This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 06823934 6

THEOLOGIA
DOGMATICO-MORALIS

Secundum Ordinem Catechiſmi

CONCILII TRIDENTINI.

EDITIO OMNIUM ACCURATISSIMA,

Plurimis ACCESSIONIBUS, & NOTIS, variis EPISTOLIS, & MONUMENTIS aucta, illuſtrata, & locupletata.

TOMUS NONUS,

UBI AGITUR

De quarto, & cæteris Decalogi præceptis. Et de Oratione.

AUCTORE

R. P. F. NATALI ALEXANDRO
Ordinis FF. Prædicatorum, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctore, & emerito Theologiæ Profeſſore.

Typis Principalis Monaſterii B. V. M. Einſidlenſis,
Per Franciſcum Xaverium Kälin. Anno MDCCLXXII.



THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI
Concilii Tridentini
LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De quarto Decalogi Præcepto.

EXplicatis tribus prioribus Decalogi præceptis, quæ ad primam Tabulam pertinent, hominumque charitatem, & officia in Deum ſpectant; ad ſeptem reliqua Decalogi præcepta explicanda aggredimur, quæ in ſecunda Tabula erant ſcripta, & quæ dilectionem proximi ſpectant. Inter hæc autem primum eſt præceptum de honore parentibus tribuendo, quibus poſt Deum debemus, quod ſumus, & vivimus, quod recte educati ſumus, quod in religione, pietate, ſtudiis, vel artibus ſumus inſtituti, & recte collocati His autem verbis expreſſum præceptum eſt, Exodi 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quo præcepti ſenſus, merceſque exponuntur.

§. I. *Qui parentum nomine ſint intelligendi.*

PArentum nomine illi imprimis ſignificantur, ex quibus geniti ſumus, de quibus *Eccleſ.* 3. dicitur:

Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt. Deinde parentes dicuntur in ſacris Literis Eccleſiæ Præſides, & Paſtores, & Sacerdotes, qui ſpiritualiter Chriſto nos genuerunt, & quotidie parturiunt, quemadmodum Apoſtolus 1. ad Corint. 4. ait: *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Et ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* De quibus etiam potiſſimum dictum eſſe videtur Deut. 32. *Interroga patrem tuum, & dicet tibi; Majores tuos, & annuntiabunt tibi.* Et Eccl. 44. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Tertio ii, quibus aut imperium, aut magiſtratus, aut poteſtas commiſſa eſt, qui rempublicam gubernant, patres appellantur. Sic famulos Naaman principis viri dominum ſuum patrem appellaſſe, 4. *Reg.* cap. 5. legimus: *Pater* (inquiunt) *& ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras.* Quarto, patres vocantur illi, quorum procurationi, fidei, probitati, ſapientiæque alii commendantur, cujuſmodi ſunt tutores, & curatores, pædagogi, & magiſtri. Quare Eliam, & Eliſæum filii Prophetarum, ipſique Reges Iſrael, Patres appellabant 4. *Regum*, cap 2. *Aſcendit Elias per turbinem in cœlum; Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi.* 4. Regum 13. *Eliſæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt: Deſcenditque ad eum Joas Rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus.* Seniores denique patres dicimus, præſertim ſi vitæ ſint inculpatæ. Unde Lev. 19. præcipit Deus: *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam Senis, & time Dominum Deum tuum: Ego ſum Dominus.* Et Sap. 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Hinc Apoſt. 1. ad Tim. 5. *Seniorem* (inquit) *ne increpaveris, ſed obſecra, ut patrem*

Quam-

Quamvis autem ad omne parentum genus hoc præceptum porrigatur, iique omnes ſint honorandi; de illis tamen præcipue divina lex loquitur, ex quibus nati ſumus. „„ Sunt enim (*inquit Concilii Tridentini Catechiſmus*) immortalis Dei quaſi quædam ſimulacra, in iiſque ortus noſtri imaginem intuemur, ab iis vita nobis data eſt, iis Deus uſus eſt, ut nobis animum, mentemque impertiret, ab iis ad Sacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum, civilemque inſtituti, ad morum integritatem, & ſanctitatem eruditi ſumus „„. Nomen vero matris in hoc præcepto expreſſum eſt, ut ejus beneficia, & merita erga nos conſideremus, quanta cura, & ſolicitudine nos in utero geſtaverit, quanto cum dolore, ac labore pepererit, atque educaverit. Unde Tobiæ 4. ſenior Tobias ſupremæ ſalutis monita filio tradens: *Honorem* (inquit) *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus; memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.* Et Eccl. 7. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

§. II. *In quo poſitus ſit honor parentibus debitus ex Dei mandato.*

Honor autem parentibus debitus in eo poſitus eſt, primum, ut parentes ſummo poſt Deum amore prolequamur, maximaque obſervantia veneremur. Sic Joſeph Ægypti Prorex Jacob patrem ſuum, qui in Ægyptum venerat, honorifice excepit, Gen. 46. *Junctio Joſeph curru ſuo, aſcendit obviam patri ſuo ad eumdem locum; videnſque eum, irruit ſuper collum ejus, & inter amplexus flevit.* Sic Salomon matri advenienti aſſurrexit, eamque veneratus, regio in ſolio ad dexteram collocavit. 3. *Reg.* cap. 2. *Surrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum; poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* Primum erga parentes officium.

Alterum erga parentes officium.

Alterum honoris officium, quod parentibus exhibere debemus, eſt, ut Deum pro ipſis oremus, eiſque diuturnam, felicem, tranquillam, ac lætam vitam ferventiſſimis deſideriis adprecemur, a Deoque poſtulemus imprimis, ut ipſi grati ſint, & accepti, divinæque gratiæ auxiliis ad ſalutem neceſſariis, & omni benedictione ſpirituali cumulentur; tum ut in maxima gratia, & honore ſint apud homines, bonaque temporalia ipſis non deficiant ad vitam ſuſtentandam, ſtatuſque decorem neceſſaria.

Tertium erga parentes officium.

Tertium reverentiæ erga parentes officium, quod nobis Deus hoc mandato imperat, eſt obedientia; de qua Salomon Prov. 1. *Audi, fili mi* (inquit) *diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Et S. Paulus ad *Epheſios* cap. 6. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam; quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.* Et ad Coloſſ. 3. *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino.* Hujus obedientiæ exemplum Dominus noſter Jeſus Chriſtus præbuit, qui non ſolum patri æterno *Obediens uſque ad mortem* fuit, ſed & matri, & ipſi Joſeph tanquam parenti, matris ſcilicet conjugi, paruit; Lucæ 2. *Et erat ſubditus illis.* Non infirmitatis, ſed pietatis fuit iſta ſubjectio, ut nos parentes honorare doceret. „ „ Tu (*inquit S. Ambroſius lib.* 11. *in Lucam*) Matri debes pudoris injuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina, cui miſere in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt; & cum ediderit, quod optavit, partu abſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicato alienis uſibus cenſu, jactaque agricolæ ſemina poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi „ „? Id ſanctiſſimorum hominum exemplis confirmatur. Etenim Iſaac, cum a patre ad ſacrificium vinciretur, modeſte, ac

ſine

ſine recuſatione paruit. *Gen.* 22. Et Rechabitæ, ne a patris mandato unquam diſcreparent, a vino in perpetuum temperarunt. Jerem. 25. *Poſui coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum, qui reſponderunt: Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis. .. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael: Pro eo, quod obediſtis præcepto Jonadab patris veſtri, & cuſtodiſtis mandata ejus, & feciſtis univerſa, quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Jonadab filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.*

Quartum honoris erga parentes officium eſt probitatis illorum, virtutumque, ac recte factorum imitatio. Iis enim plurimum tribuere videmur, quorum eſſe volumus quam ſimillimi. Unde Chriſtus Joan. 8. Judæis ait: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et Iſ. 51. dicitur: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Quartum erga parentes officium.

Quintum honoris erga parentes officium eſt, eorum conſilia non modo exquirere, verum etiam ſequi, niſi evidenter prava ſint, ac Dei gloriæ, æternæ ſaluti, aut evangelicæ perfectioni contraria. Tum vero maxime hic honos illis tribuendus eſt, cum vitæ ſtatus deligendus eſt, cum uxor ducenda. Parentes enim, ut plurimum prudentiores ſunt filiis, meliuſque ipſis conſulunt, quam ipſi ſibi. Sic Iſaac, & Jacob uxores accepere, quas parentes ipſis elegerunt; *Gen.* 24. & 28. Parentum etiam ad Clericalem, aut religioſam vitam invitantium conſilium ſequi, laudabile eſt; verumtamen *Unuſquiſque proprium donum* Quintum erga parentes officium.

num ex Deo habet, alius quidem ſic, alius vero ſic (inquit Apoſt. 1. Cor. 7.) Et *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt* (ait Chriſtus *Matth.* 19.)

ctum erparentes cium.

Sextum honoris erga parentes officium eſt, illis ſubvenire, cum in ſpiritualibus neceſſitatibus, tum in temporalibus. Quamobrem ſi filius noverit parentes gravi alicui peccato eſſe obnoxios, aliena bona retinere, Sacramenta non frequentare, ſalutis ſuæ curam non gerere, omni opera niti debet, ut eos non quidem acerbe, ſed ſumma cum reverentia admonitos, ad pœnitentiam, ad reſtitutionem faciendam, ad Sacramentorum frequentationem, ad veram pietatem adducat. Quod pleroſque Sanctorum ferventiſſimo ſtudio feciſſe legimus. Deinde cura eorum gerenda eſt, ne quid eis, quod ad corporalem neceſſitatem attinet, unquam deſit. Honor in Scripturis non tantum in ſalutationibus, & officiis deferendis, quantum in eleemoſynis, & munerum oblatione ſentitur: *Honora viduas, quæ vere viduæ ſunt* (inquit Apoſt. 1. ad Tim. 5.) Hic honor donum intelligitur. Et: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti.* Et: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Sic Dominus, vel infirmitates, vel gravem ætatem, vel egeſtatem parentum conſiderans, quarto Decalogi mandato præcipit, ut filii parentes honorent, etiam in alimentorum, aliorumque ad vitæ ſuſtentationem neceſſariorum miniſtratione. Quamobrem Chriſtus Scribas, & Phariſæos acerrime reprehendit, qui peſſimos filios docebant, ſpecie religionis, & munerum, quæ Deo offerebantur, parentum inopiam negligere.

tth. 15. *Quare & vos* (inquit) *tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem; &, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter*

pter traditionem veſtram. Id eſt, quicunque patri, vel matri dixerit, munus a me Deo ſacratum, & oblatum utile tibi erit, putatque ſe Dei legem impleviſſe, nec parentes honorare, ſive ipſorum neceſſitatibus ſubvenire curat, violator eſt divini mandati. Pietatis in parentes exemplum omnibus imitandum *Tobias* junior præbuit, qui manuum ſuarum labore patrem ſuum tenem, & luminibus orbatum educavit. Longe vero nobilius, ac potentius Chriſti Salvatoris noſtri exemplum eſt, qui in Cruce pendens, moxque moriturus, Matris dilectiſſimæ affectu pientiſſimo memor fuit, eamdemque Virginem perpetuam diſcipulo Virgini commendavit. Sacrificium ſuum quodammodo interrupit (ſi ita loqui fas eſt) ne matrem inhonoratam relinqueret. „ „ Moralis igitur inſinuatus locus (*inquit S. Auguſt. Tract.* 19. *in Joannem.*) Facit, quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos inſtruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis. Ex hac ſana doctrina didicerat Paulus Apoſtolus, quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem ſuis, & maxime domeſticis non providet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Quid autem tam cuique domeſticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque ſaluberrimi præcepti ut eſſet magiſter Sanctorum de ſeipſo conſtituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus, quam creaverat, & regebat, ſed ut matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro ſe quodammodo filium providebat „ „. 1. Tim. 5.

Aves ipſæ, ſola duce natura, pietatem erga parentes exercent. Ciconiarum pietas hominum hac in re impietatem accuſat, & damnat. De qua *S. Ambr.* lib. 5. *Hexameron* cap. 16 „ „ Quam vero (*inquit*) rationabilium non excedat pietatem, ac prudentiam avis hujus clementia, conſiderandum, quam nec poſt exemplum quidem irrationabilium quiſquam noſtrum imitari potuerit. Nam depoſiti patris artus per lon-

gævum ſenectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumſtans ſoboles pennis propriis fovet. Et quid dicam, collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa reparat naturæ diſpendia, ut hinc, atque inde ſublevantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, & in priſtinos uſus deſueta jam revocant pii patris membra? Quis noſtrum levare ægrum non faſtidiat patrem? Quis feſſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? Quis ut pius ſit, non hoc ſervulis mandet obſequium? At vero avibus non eſt grave, quod pietatis eſt plenum; non eſt oneroſum, quod ſolvitur naturæ debito. Non recuſant aves paſcere patrem, quod etiam præſcripta neceſſitate ſub terrore pœnarum plerique hominum recuſarunt. Aves non ſcripta, ſed nata lex ſtringit. Aves ad hoc munus nulla præcepta conveniunt, ſed gratiæ naturalis officia. Aves non erubeſcunt reverendi ſenis membra portare, eſt enim vectura pietatis, quod eouſque frequenti teſtificatione percrebuit, ut congruæ mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum uſu pia avis vocatur. Et quod vix uni Imperatori Conſulto-Senatus delatum dicitur, hoc iſtæ aves in commune meruerunt „ „.

Idem *S. Ambroſius* divinum de parentum honoratione præceptum accurate, ac eloquenter explicat lib. 8. in Evang. S. Lucæ. „ „ Bene (*inquit*) lex, quæ præmiſerat: *Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum*, ſubjecit: *Honora patrem tuum, & matrem.* Primus enim gradus iſte pietatis eſt, namque hos auctores tibi eſſe voluit Deus. Honora obſequiis, ut abſtineas a contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda pietas eſt parentum. Sed parum eſt non lædere, quia lex proſpexit, ne patiantur injuriam. *Qui enim maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*, tu honora, ut bonus ſis. Aliud eſt legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, quia ſuos Dei filius honoravit. Legiſti enim: *Et erat ſubditus illis*; Si Deus ſervulis quemadmodum tu, pa-

Exod. 21. 17.

Luc. 2. 51.

parentibus? Honoravit igitur Joſeph, & Mariam Chriſtus, non naturæ debito, ſed pietatis officio. Honorabat & Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare, ut eſſet obediens uſque ad mortem. Honora ergo & tu parentes. Eſt autem honor non ſolum honorificentiæ, ſed etiam largitatis: *Viduas honora, quæ vere Viduæ ſunt.* Honor enim eſt deferre pro meritis. Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam. Et ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt; non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit; non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit, tibi, quem noluit, cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem! Illi debes, quod habes, cui debes, quod es. Quantum judicium, ſi paſcat Eccleſia, quos tu nolis paſcere! *Si quis fidelis* (inquit) aut ſi qua fidelis *habet Viduas, ſubminiſtret illis, ut non gravetur Eccleſia, ut his, quæ vere Viduæ ſunt, ſufficiat.* Hoc de extraneis, quid de parentibus?... Nonne audiſtis, quia dives ille in byſſo, & purpura recubans, cujus de menſa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis, quia pauperi non impertivit alimenta? Si non donare extraneis grave eſt, quanto gravius excludere parentes? Sed dicis: Te, quod eras parentibus collaturus, Eccleſiæ malle conferre; non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis, quia diſcipuli Domini manus non lavarent, reſpondit Jeſus; *Quicunque dixerit, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem, aut matrem...* Id eſt, cum petit aliquid ad ſumptum egens pater, aut mater a filio, quia legem timens Judæus excuſationem non dandi requirit, dicere ſolet;

1. Tim. 5.

1. Tim. 5.

Matth. 15.

Mu-

Munus quod eſt ex me, tibi proderit, ut dicatam a filiis Deo pecuniam pater religioſus accipere reformidet. Sed hæc traditio hominum eſt excuſationes obtexentium avaritiæ ſuæ. Cæterum Dei traditio eſt, ut prius paſcas parentes. Nam ſi juxta divinum Oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames, quæ morte gravior eſt „„ ?

Septimum erga parentes officium.

Septimum reverentiæ, & honoris erga parentes officium in eo poſitum eſt, ut periculoſe ægrotantibus præſto ſint filii, dentque operam, ne quid illi prætermittant, quod vel ad peccatorum Confeſſionem, vel ad reliquorum Sacramentorum ſuſceptionem, & cætera moribundi hominis officia pertinet; curent denique, ut pii, religioſique homines eos crebro inviſant, qui vel imbecillos confirment, & conſilio juvent, vel optime animatos ad ſpem erigant immortalitatis, & ad chriſtiane moriendum diſponant, & adhortentur.

Poſtremum erga parentes officium.

Octavum, ac poſtremum honoris erga parentes officium eſt, funeris, exequiarum, atque ſepulturæ honorifica procuratio, necnon Sacrificiorum anniverſariorum, ac piacularium precum pro illorum animabus; Teſtamenti ab illis conditi, ſupremæque voluntatis executio, ac eorum, quæ ad pias cauſas ab ipſis legata ſunt, diligens, & accurata ſolutio.

§. III. *Reverentiæ, & honoris erga Paſtores, & Presbyteros officia.*

Paſtores, & Sacerdotes diligere debemus.

Non ii modo honorandi ſunt, ex quibus nati ſumus, ſed & alii, qui patres appellantur, præſertim vero patres ſpirituales, & paſtores animarum noſtrarum de quibus 1. ad *Tim.* 5. ſcriptum eſt: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Ipſis imprimis debetur ſincerus, & caſtus amor, quo ut Dei miniſtri præcipua quadam ratione diligantur. Cujus erga Apoſtolum amoris documentum Galatæ dederunt, quibus præclarum illud benevolentiæ ſibi exhibitæ teſtimonium præbet, Epiſtolæ ad ipſos ſcriptæ

ptæ cap. 4. *Teſtimonium perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Hinc idem Apoſt. 1. Theſſalon. cap. 5. ſcribit: *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum: Pacem habete cum eis.* Hi colendi, & diligendi ſunt, ut *Miniſtri Chriſti*, ut *Diſpenſatores Myſteriorum* Dei, ut Chriſti ad homines legati, quorum reverentiam multo magis, quam Sacerdotum antiquæ legis, imperat Spiritus ſanctus: Eccleſiaſtici cap. 7. *In tota* (inquit) *anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & miniſtros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.*

Plebs chriſtiana paſtoribus ſuis neceſſaria ſubminiſtrare debet.

Alterum reverentiæ, & honoris erga Sacerdotes, & Paſtores officium eſt, ut quæ ad vitæ uſus neceſſarios requiruntur, illis abunde, libenter, & ex animo ſuppeditentur, quemadmodum S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. docet... *Quis* (inquit) *militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.* Et Eccl. 7. ſcriptum eſt: *Honorifica Sacerdotes, & purga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis.* Hue etiam ſpectant, quæ de primitiis, & decimis in domum Dei conferendis, *Exod.* 22. & 23. *Lev.* 27. & *Num.* 28. præcipiuntur. Hinc *S. Ambroſ.* lib. 8. in Evangel. ſecundum Lucam: „ „ Da ergo prius parenti (*inquit*) da etiam pauperi, da illi Presbytero; quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias ſpirituale, quod tibi deeſt; etenim qui honorat, honorabitur.

Deut. 25.

Vi-

Vide ergo, quia ille cum accipit, tradit. & accipit non quaſi inops, ſed quaſi remuneraturus majori menſura „ „. Cum ſuſtentatio Paſtoribus divino, & naturali jure debita ſit, dicente Chriſto, Lucæ 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, recte Eccleſia veteris Legis præceptum de ſolvendis decimis, quod ad cæremonias non pertinebat, ſed ad judicia, ſive politiam, renovavit, & ea, quam a Chriſto accepit, in Chriſtianos omnes auctoritate impoſuit. Qua de re legendi Canon: *Si quis Laicus*, & Canon *Decimas*, cauſa 16. qu. 1. cap. *Pervenit*, cap. *Nuntios*, cap. *Cum homines*, cap. *Parochianos*. cap. *A nobis*, & alia, Extra, *De Decimis*. Et Concil. Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 12. „ „ Non ſunt ferendi (*inquit*) qui variis artibus decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt; cum decimarum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cujuſcunque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure teneatur, impoſterum Cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Hortatur dehinc omnes, & ſingulos pro chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi a Deo collatis, Epiſcopis, & parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam non graventur „ „.

Decimarum ſolutio.

Decimarum ſolutio qua ratione plebi chriſtianæ perſuadenda.

Decimarum porro ſolutio chriſtianæ plebi eo nomine perſuadenda eſt, quod Deus, qui dignatus eſt totum dare, decimam a nobis dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis profuturam. Sic enim per Prophetam promiſit (Malachiæ 3.) *Inferte omnem decimam in horreis meis, ut ſit cibus in domo mea, & probate me*

in

in his, dicit Dominus; ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructum uſque ad abundantiam. Et Prov. 3. *Honora Dominum Deum tuum de tuis juſtis laboribus, & deliba ei de fructibus juſtitiæ tuæ, ut repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundent.* Inculcandum eſt ipſos Dei ſervos eſſe, & colonos, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, poſſeſſorem proinde, ac Dominum agnoſcere debere; decimas eſſe tributa Deo debita. Redde ergo (inquit *S. Caſarius Arelatenſis* Sermone 77.) Redde tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus; quod ſi decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcunque te paſcit ingenium, Dei eſt, & inde decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas... Cum decimas dando, & terrena, & cœleſtia poſſis munera promereri, quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas?... Noſti, quia Dei ſunt cuncta, quæ percipis, & de ſuo non accomodas rerum omnium Creatori? Non eget Dominus Deus, non præmium poſtulat, ſed honorem, non de tuo aliquid exigit, quod refundas. Primitias rerum, & decimas petit, & negas? Avare, quid faceres, ſi novem partibus ſibi ſumptis tibi decimam reliquiſſet? Quod certe jam factum eſt, cum meſſis tua pluviarum benedictione ſubtracta jejuna defecit, & vindemiam tuam, aut grando percuſſit, aut pruina decoxit... Novem tibi partes retractæ ſunt, quia decimam dare noluiſti... Hæc enim eſt juſtiſſima Domini conſuetudo, ut ſi tu decimam illi non dederis, tu ad decimam revoceris „„. Sermo erat inter Auguſtinianos alias 219. *De tempore* nunc in Appendice 277. Et can. *Decima*, cauſa 16. quæſt. 1. ſub *S. Auguſtini* nomine: „ Decimæ ex debito „ requiruntur; & qui eas dare noluerit, res alienas in„ vaſit „. Paſtores itaque jus habent decimas exigendi, ſive prædiales, quæ ex prædiis, locatione agrorum, vel domorum, piſcinis, lacubus, molendinis, &c. ſive perſonales, quæ ex perſonarum negotiatione, militia, artificio, ſive mixtas, quæ ex ani-

animalium fœtu, lana, lacte, &c. educuntur, *secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam* ipsorum Ministrorum, ut ait S. Thomas, 2. 2. qu. 87. art. 2. ad primum. Horum tamen *honestati non convenit*, ut de minutis rebus, herbis videlicet, aut leguminibus, quæ in hortis crescunt, decimas exigant, ut loquitur idem S. Doctor in responsione ad tertiam objectionem. Nec de hujusmodi minutis rebus tenentur Fideles decimas dare: *Nisi forte propter consuetudinem patriæ.* Personales decimæ in Galliis non solvuntur, sed prædiales duntaxat, & mixtæ. *Caterum* „ Laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Ministri, *scilicet* Ecclesiæ majorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum „. Unde Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut stipendia victus acciperet ab his, quibus Evangelium prædicabat, ne impedimentum afferretur Evangelio Christi. „ Nec sunt in statu damnationis *Christiani*, qui non solvunt *decimas* in locis illis, in quibus Ecclesia non petit, nisi forte propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur „; *inquit S. Thomas*, 2. 2. quæst. 87. art. 1. in responsione ad quintam objectionem.

Idem confirmat quodlibeto 2. quæst. 4. art. 3. „ Nulla (*inquit*) consuetudo contraria solvit hominem ab obligatione reddendi decimas, quia hæc obligatio fundatur supra jus divinum, & supra jus naturale; unde semper tenentur homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. Et in terris, in quibus est consuetudo, quod decimæ solvantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas; unde peccaret, qui non redderet. Sed in terris, in quibus non est consuetudo, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat; & ideo homines in terris illis non peccant, decimas non dando „.

Ubi

Ubi ergo Eccleſia decimas exigit, quod jure ſuo poteſt, lethalis peccati rei ſunt, laici, qui decimas non ſolvunt: *Statim fructibus collectis, cum integritate, non deductis ſumptibus* (ut loquuntur *Alexander III.* cap. *Cum homines*, *Cœleſtinus III.* cap. *Non eſt*, & *Innocent. III.* cap. *Tua nobis*, & cap. *Paſtoralis*, Extra, *De decimis.*) Peccati etiam lethalis reus eſſet, qui deteriores manipulos, fructus, aut animalium fœtus ſegregaret ad ſolvendas Sacerdotibus decimas, ſibi vero optima quæque retineret. Peccatus decimas non ſolventium.

Neque vero a peccato lethali immunis eſt pauper decimas non ſolveris diviti Sacerdoti. „ „ Reddere etenim debitum eſt actus juſtitiæ; & ideo ad hoc, quod alicui reddatur, quod ei debetur, non refert, utrum ſit dives, vel pauper. Decimæ autem Sacerdotibus debentur, tum jure naturali; *quia* naturalis ratio dictat, ut qui pro populo in ſpiritualibus laborant, a populo ſtipendia ſuæ ſuſtentationis accipiant; *tum jure divino*; *quia* Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, *ſic dicitur* 1. *ad Corinth. cap.* 9. Tum etiam ex ſtatuto Eccleſiæ. *Unde* quamvis Sacerdos ſit dives, nihilominus pauper tenetur ei decimas ſolvere „ „. Ita docet S. Thomas, quodlibeto 5. quæſt. 6. art. 3.

Tertium reverentiæ & honoris erga Paſtores, & Sacerdotes officium eſt obedientia in omnibus, quæ ordinem, & diſciplinam Eccleſiæ, ac bonum ſalutis æternæ ſpectant. Chriſtus enim monet *Matth.* 23. Scribis, & Phariſæis ſuper Cathedram Moyſis ſedentibus parendum eſſe. *Quæcunque* (inquit) *dixerint vobis, facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Et Apoſtolus, ad Hebræos 13. *Obedite* (inquit) *Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Hinc idem Apoſtolus perambulans Syriam, & Ciliciam, & confirmans Eccleſias præcepta Apoſtolorum, & Seniorum obſervari juſſit, ut legimus *Actuum* 15. Moſaicæ legis Sacerdotibus ſi quis obedire ſuperbe recuſaret, capitali ſupplicio plectebatur, Deuteron. 17. Obedientia paſtoribus debita.

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Gravioribus certe pœnis digni ſunt in foro divinæ juſtitiæ, qui novæ legis Sacerdotibus non obediunt, cum longe ſit excellentius evangelicæ legis Sacerdotium. Pueros ad venerationem Sacerdotum, & paſtorum informandos, & aſſuefaciendos ſacra oſtendit hiſtoria, quæ in pueros *Eliſæum* irridentes Deum urſos immiſiſſe refert, qui ipſos laceraverunt 4. *Reg.* cap. 2. *Cum aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende, calve, aſcende, calve. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini; egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Parentibus ſuis inſtigantibus, aut certe non reprehendentibus, pueros Prophetam contempſiſſe, & ludibrio habuiſſe, veriſimillimum eſt. Unde vindicis Dei imperio ipſos urſi diſcerpſerunt: „„ Ut percuſſis parvulis Majores reciperent diſciplinam, & mors filiorum fieret diſciplina parentum. *Idque grandi pietate, & miſericordia factum eſt*: Ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Judæi nolebant credere, vel cum ſeveritate vindictam irrogantem metuerent, & timentes mortem corporum, vel ſic ſalutem requirerent animarum „„. Verba ſunt S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Sermone 22. inter Auguſtinianos alias *De tempore* 204. nunc in Appendice 41. Chriſtus denique oſtendit, quam grave ſit peccatum contemptus Sacerdotum, & Paſtorum, & inobedientia ipſorum mandatis, cum ait diſcipulis (*Lucæ* cap. 10.) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.*

Porro ſi Eccleſiæ miniſtris reverentiam, amorem, obedientiam debemus, multo magis ipſi Chriſto, & Eccleſiæ, cujus miniſtri ſunt: Chriſtus enim Pater noſter eſt, Eccleſia mater noſtra, qui nos regeneraverunt *Lavacro aquæ, in verbo vitæ*, qui nos Sacramen-

mentis, & verbo Dei paſcunt, divinis monitis eruduunt, & ad vitam æternam, quantum in ipſis eſt, perducunt. Ad quam certiſſime perveniemus, ſi ipſis adhæreamus, illorumque mandatis fideliter pareamus; tuncque regenerationis noſtræ in ſpem vivam pleniſſimum fructum re ipſa carpemus, cum *Occurramus omnes* Chriſto *in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti*, corpore pariter, & anima beati in æternum futuri. Eph. 4. 13.

§. IV. *Reverentia, & honoris erga Principes, & Magiſtratus officia.*

Honor, & obedientia Principibus debentur.

Patrum nomine Principes quoque, & magiſtratus in Scriptura ſacra appellari obſervavimus, imo & *Patres patriæ* Principes appellari, & magiſtratus *Patres conſcriptos*, in veteri Romanorum republica ſummo honori ducebatur. Hi enim vero cum publicam tranquillitatem ſervent, juſtas leges condant, ſuum cuique jus reddant, reos ſupplicio, bene meritos gratia afficiant, corpora, uxores, liberos, fortunas, & bona ab iniquis invaſoribus defendant, quaſi communes parentes ſunt ex Dei mandato honorandi, non externa tantum reverentiæ ſignificatione, ſed magis animi judicio ac voluntate, ut in eis Dei miniſterium, & ordinationem agnoſcamus, ac veneremur. Hinc Petrus Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 2. *Regem* (inquit) *honorificate.* Et rurſus: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei.*

Principibus itaque, & magiſtratibus, non ſolum honor, ſed & obedientia debentur, quia Dei vice populis præſident, ac præcipiunt, ut docet Apoſtolus ad Romanos 13. *Omnis* (inquit) *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ne autem

tem civilem duntaxat damnationem intelligat, ſubdit Apoſtolus: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram* (id eſt ad pœnam temporalem vitandam) *ſed etiam propter conſcientiam.* Princeps enim, & magiſtratus *Dei miniſter eſt*, recte quidem agentibus *in bonum, vindex* vero *in iram ei, qui malum agit.* Et ad *Titum* ſcribit cap. 3. ut Chriſtianos admoneat: *Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Hæc autem obedientia complectitur omnia illa officia, quæ ad reipublicæ utilitatem a Principibus, & magiſtratibus imperantur, ſcilicet, militare, tributa perſolvere, &c. adeo ut de belli juſtitia, aut tributorum, ſeu vectigalium, aliorumve onerum, ſeu publicarum indictionum æquitate, judicium ad ſolum Principem, executio, & obedientia ad ſubditos pertineat, qui Principis rationes ad examen vocare non debent, & dubia etiam cauſæ æquitate, illi obedire tenentur, ut docet *Auguſtinus* lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 75. „ „ Ordo ille naturalis (*inquit*) mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principem ſit, exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debeant paci, ſalutique communi. *Igitur*, vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte *poteſt* illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans, cui, quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi „ „. Tributorum vero ſolutionem Chriſtus præcipit Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Et Apoſtolus ad Romanos 13. *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

Tributa, & vectigalia ſolvenda.

Judicium de illorum æquitate pertinet ad principem, obedientia ad ſubditos.

Preces ad Deum pro principibus fundendæ.

Ferventiſſimas denique preces ad Deum fundere debemus pro incolumitate, ſalute, proſperitate, & felicitate Principum, quibus ſubditi ſumus. Unde *Baruch* Propheta cap. 1. ſcribit ad Judæos, qui Hieroſolymis relicti erant: *Orate pro vita Nabuchodonoſor*

Re-

Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cæli ſuper terram, & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Balthaſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum. Et *Jer.* 29. Judæis Babylonem deportatis Dominus ait: *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis.* Et Apoſtolus 1. *ad Timotheum* cap. 2. jubet *Fieri objecrationes, orationes, poſtulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo.* Hinc *Tertullianus* Apologetici cap. 30. „„ Nos (*inquit*) pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium. Sciunt, quis homines, quis & animam. Sentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes, & ſuper omnes Deos. Quidni? Cum ſuper omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antiſtant. *Imperator* ideo magnus eſt, quia cœlo minor eſt. Illius enim eſt ipſe, cujus & cœlum eſt, & omnis creatura. Inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus. Illuc ſuſcipientes chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt „„.

§. V. *Reverentiæ, & honoris Servorum erga Dominos officia.*

Servorum humilis obedientia esse debet.

Et Domini reſpectu ſervorum Patres-familias ſunt, quos proinde ſervi honorare jubentur quarto Decalogi præcepto. Illos itaque vereri debent, & colere; illis obſequi non inviti, ſed libenti animo, abſque murmuratione, & contradictione; illis adhærere *Non tam conditionis neceſſitate, quam officii delectatione* (ut loquitur *S. Auguſtinus* libro *de moribus Eccleſiæ catholicæ* cap. 30.) Non ſolum opera ſibi impoſita exequi cum prælentes Domini ſunt, verum etiam cum abſentes, Deum in Dominis ſuis timere, venerari, cum fidelitate ſervire, conditionem ſuam tanto magis amare, quanto humilior eſt. *Servi* (inquit Apoſtolus ad Epheſios 6.) *obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto; non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes, quoniam unuſquiſque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber.* Et 1. ad *Timotheum* cap. 6. *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt; ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt, & dilecti, qui beneficii participes ſunt.* Et ad *Titum* cap. 2. Tito præcipit, ut doceat: *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes; ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.* Et 1. ad Corinth. 7. Servos hortatur, ut conditionis ſuæ humilitatem, ac jugum non ſolum patienti animo ferant, ſed eam ament, conſiderantes in ea ſe Dei providentia, & voluntate conſtitutos. *Unuſquiſque* (inquit) *in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non ſit tibi cura; ſed etſi potes fieri liber, magis utere. Qui enim*

Conditionem ſuam amare debent.

enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini. Nec vero minus obedire ſervi dominis tenentur, quia pravi fiunt, durique, & immites, ut docet *S. Petrus* Epiſtolæ 1. cap. 2. *Servi* (inquit) *ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte.* „ *Servi igitur* ſuam ſervitutem ipſi quodam„ modo liberam faciant, non timore ſubdolo, ſed „ fideli dilectione ſerviendo „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 19. de Civit. Dei, cap. 15.) Et Enarratione in Pſalm. 124. „ „ Non vult te ſuperbum facere Chriſtus... Non ideo Chriſtianus effectus es, ut dedigneris ſervire. Cum enim Chriſto jubenti ſervis homini, non illi ſervis, ſed illi, qui juſſit „ „. Non dixit Chriſtus, indignum eſt, ut juſtus ſerviat iniquo, ſed ut corroboraret ſervum ait; *Exemplo meo ſervi, prior ſervivi iniquis.* Dominus enim tanta in Paſſione ſuſtinens, a quibus ſuſtinuit, niſi Dominus a ſervis? Et a quibus ſuſtinuit, niſi a malis ſervis? Nam ſi fuiſſent boni ſervi, hon oraſſent Dominum, ſed quia mali ſervi erant, injuriis eum affecerunt. Ille vero dilectionem reddit pro odio. „ „ Si Dominus cœli, & terræ, per quem facta ſunt omnja, ſervivit indignis, rogavit pro ſævientibus, & furentibus, & tanquam medicum ſe exhibuit adveniens: (Nam & medici & arte, & ſanitate meliores ſerviunt ægrotis) quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo, & ex tota bona voluntate, cum tota dilectione ſervire domino etiam malo „ „?

Sanctus etiam *Ambroſius* Epiſtola 63. ad Eccleſiam Vercellenſem, eadem ratione ſervos hortatur, ut duris etiam dominis obediant. „ „ Et vos (*inquit*) contemplatione Domini Jeſu, etiamſi difficilibus ſerviatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipſe Dominus juſtus ab injuſtis paſſus eſt, & patientia mirabili peccata noſtra ſuæ affixit cruci; ut qui illum imitatus fuerit, peccata ſua ſanguine ſuo diluat „ „.

empla vis imi- ida.

Habent ſervi, quos imitandos ſibi proponant in Scriptura ſacra, ſcilicet *Jacob*, qui fidelisſime, ac diutiſſime ſervivit *Laban*, ſocero ſuo, *Geneſi* 29 & 30. & caſtum, fidelemque *Joſeph*, qui a Putiphare *præpoſitus omnibus, & gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa, quæ ei tradita fuerant*; ita ut Dominus ejus nihil aliud noſſet, *niſi panem, quo veſcebatur*. Cujus pudicitiam cum ſolicitaret domina libidinis impotens, ille *Nequaquam acquieſcens operi nefario*, reſpondit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua; nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es; quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* (Geneſ. 39.)

His adde Regulam familiæ traditam a venerabili *Gerſonio*, in Tractatu *De Modo vivendi omnium Fidelium*, Conſideratione 18. „„ Ne fraudem (*inquit*) Dominis ſuis in ſerviendo negligendo faciant. Fideles ſint in rebus ſuis cuſtodiendis. Nihil ab eis auferant occulte, nec alios facere permittant. Nuntium malum non faciant uxori, vel filiis domini ſui. De male reſpondendo caveant. Malos rumores fugiant, unde in domum malum redundare poſſit, ſed diſcordias etiam reportare vitent. Miſſi cito revertantur. Mercedem ſuam in ſuperbia veſtium non expendant. Ita vivant in humilitate, ut labor eorum eis ſit in remiſſionem peccatorum ſuorum „„.

§. VI. *Præcepti Merces.*

rces a o pro- ſa his, paren- ſecun- n ejus ndatum norant.

Hoc mandatum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, ab Apoſtolo, cap. 6. Epiſtolæ ad Epheſios, dicitur *Primum in promiſſione*, vel quia primum eſt in ſecunda Tabula, habetque promiſſionem illam adjunctam: *Ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*; vel quia cum ſæpe in Scriptura ſacra obſervantibus mandata Dei, diuturna, felixque vita promittatur, ea tamen primo, ſpeciatimque promittitur honorantibus parentes. Idque convenienti ratione; æquum enim eſt, ut qui beneficii memores ſunt, gratique ani-

animi ſignificatione benefactores honorant, beneficio quam diutiſſime perfruantur. Cum igitur, qui parentes colunt, iis gratiam referant, a quibus poſt Deum, lucis, & vitæ hujus uſuram acceperunt, jure merito diuturna vita illis a Deo promittitur. Unde Apoſtolus ait 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Nec ſolum tranquillam vitam, ſed quietam, ac felicem, honorantibus parentes Deus pollicetur. Hinc parentum benedictionem, ſignum eſſe voluit, omenque benedictionis a ſe conferendæ, pignuſque temporalis etiam felicitatis. Id opere comprobatum eſt in Jacob benedicto ab Iſaac; in Ephraim, & Manaſſe, & duodecim Patriarchis a Jacob benedictis. Unde Eccleſ. 3. dicitur: *In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et rurſus: *Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorat patrem ſuum, jucundabitur in filiis, & in die orationis ſuæ exaudietur.* Ideo autem magnam vim parentum benedictioni Deus indidit, ut liberi ad honorem parentibus deferendum impellerentur, ut docet *S. Ambroſ.* lib. *De Benedictionibus Patriarcharum*, cap. 1. „ „ Quantam (*inquit*) diſcimus parentibus referre reverentiam, cum legimus, quoniam, qui benedicebatur a patre, benedictus erat, & qui maledicebatur, maledictus erat. Ideo hanc parentibus gratiam donavit Deus, ut filiorum pietas provocetur. Prærogativa igitur parentum diſciplina eſt filiorum. Honora ergo patrem, ut benedicat te. Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et ſi pauper eſt pater, & non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hereditatem, qua ſanctificationis opes ſucceſſoribus largiatur. Et multo plus eſt beatum, quam divitem fieri „ „.

Parentum benedictio divinæ benedictionis pignus.

Parentum maledictio timenda.

Quantum etiam valeat paterna maledictio, in *Cham*, & *Chanaan* oſtenſum eſt, *Gen.* 9. Nam in multas Chananæorum generationes eſt extenſa. Quin & *S. Auguſt.* libro 22. De Civitate Dei, cap. 8. refert, de-

Exemplum terribile.

cem fratres Cæſarea Cappadociæ ſuorum civium non ignobiles, maledictione matris, quæ injuriam ſibi ab eis illatam acerbiſſime tulit, tali pœna divinitus eſſe coercitos, ut horrendum in modum quaterentur omnes tremore membrorum; in qua fœdiſſima ſpecie oculos civium ſuorum ferre non valentes, quaquaverſum cuique ire viſum eſt, toto pene Orbe romano vagabantur. Illorum natu major gravibus, atque intolerandis communem matrem affecerat injuriis, ita ut ei etiam manus inferre non dubitaret. Alii omnes congregati patienter tulerant, ut ne verbum quidem fratri pro matre ſua dicerent. Mulier doloris ſtimulis incitata, injurioſum filium maledicendo punire ſtatuit. Dæmonis in ſpecie patrui filiorum adſpectabilis inſtinctu omnibus maledixit. Sacrum Baptiſmatis fontem provoluta corripuit, & ſparſis crinibus, nudatiſque uberibus, a Deo poſtulavit, ut extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus ſuo terrerent exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta proſecuta eſt. Filium ætate, culpaque majorem horrendus membrorum tremor protinus invaſit. Cæteros, ſervato ordine, quo nati erant, intra unum annum eadem pœna corripuit. Videns mater maledictionem ſuam tantam vim habuiſſe, impietatis ſuæ conſcientiam, & opprobrium hominum diutius ferre non potuit, ſed laqueo guttur adſtringens, miſeram vitam termino funeſtiore concluſit. Decem filii opprobrii impatientes, communi patria relicta per diverſas regiones diſperſi ſunt. Natu major ſanatus eſt Ravennæ ad memoriam *S. Laurentii* Martyris, ſextus nomine *Paulus* cum ſorore Hipponem ſe contulit ad memoriam *S. Stephani* Protomartyris, monitu *B. Auguſt.* Epiſcopi, qui ipſis adhuc in vivis agens, & neſciens apparuit, ibique magnis cum lacrymis orans, ſanatus eſt,

ſe-

ſorore ad omnium eruditionem cunctis membris adhuc contremiſcente. Rem ita narrat *Paulus* ipſe in libello, quem *S. Auguſtino* jubente obtulit, Feria tertia Paſchæ, anno forſitan quadringenteſimo vigeſimo quinto, quique in publico plebis Hipponenſis conventu recitatus eſt in Eccleſia. Ea occaſione *S. Auguſt.* Sermonem habuit, qui nunc 323. eſt, alias 32. *De Diverſis*, in quo hæc habet; „„ Miſericordia quidem Dei, ſicut credendum eſt, omnes iſti fratres, quos una Dei ira materna plaga percuſſit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri ſunt ſanitatem. Verumtamen diſcant filii obſequi, timeant parentes iraſci. Scriptum eſt: *Benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta.* Eccli. 3. Modo iſti per terras in fundamentis patriæ ſuæ non ſunt; præbent ubique ſpectaculum, proponunt ſuum ſupplicium; præbent oculis miſeriam ſuam, terrent ſuperbiam alienam. Diſcite filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum. Sed & vos parentes, quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita eſt; quia Deus vere juſtus eſt, quia vere injuriam paſſa fuerat. Unus ipſorum & verba contumelioſa, & manus injecerat, & cæteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem reſponderunt. Juſtus Deus, qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa miſera? Nonne unde citius exaudita, inde plus punita? Diſcite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri „„. Hæc Hiſtoria, cujus veritas *S. Auguſtino*, totaque Eccleſia Hipponenſi teſtibus probata eſt, oſtendit, quam grave ſcelus ſit filiorum, qui patrem, & matrem non honorant, quanta vis ſit paternæ, aut maternæ maledictionis, quam grave denique ſit peccatum parentum, qui ex ira, & doloris impatientia, vindictæque animo filiis maledicunt, & quam ſerio mopendi ſint, ut ab hujuſmodi imprecationibus caveant.

Rogabit quiſpiam, quomodo divini promiſſi fides,

Cur interdum piis erga parentes filiis brevior ſit vita.

& conſtantia indicari poteſt, cum interdum filiis, qui majorem pietatem parentibus præſtiterunt, brevior ſit vita.

Tribus de cauſis id contingere docet Concilii Tridentini Catechiſmus; vel quod iis optime conſulitur, qui prius vita excedunt, quam a virtutis, & officii religione diſcedant, quibus illud ſapientis oraculum jure, meritoque accommodatur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius*; vel quia, dum publica perturbatio, & calamitas impendet, ad meliorem vitam a Deo vocantur, ne eorum virtus, aut ſalus periclitetur, cum a mortalibus flagitiorum pœnas repetit. Unde Iſaiæ cap. 57. ſcriptum eſt: *A facie malitiæ collectus eſt juſtus*; vel ne triſtiſſimis temporibus ex propinquorum, amicorumque calamitatibus acerbiſſimos luctus ſentiant. Quare metuendum eſt majorem in modum, cum viris bonis immatura mors accidit. His explicatur *S. Thomæ* reſponſio 2. 2. q. 122. ar. 1. ad 4. „ „ Quia (*inquit*) præſentia bona, vel mala non cadunt ſub merito, vel demerito, niſi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem; ideo quandoque ſecundum occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maxime futuram remunerationem reſpiciunt, aliqui, qui ſunt pii in parentes, citius vita privantur, alii vero qui ſunt impii in parentes, diutius vivunt „ „. Quod tempore legis gratiæ maxime locum habet, quia promiſſiones temporalium, & terrenorum bonorum in veteri Teſtamento proponebantur carnalibus Judæis, promiſſiones vero ſpiritualium, & æternorum bonorum in novo Teſtamento proponuntur Chriſtianis. Unde ad vetus Teſtamentum præcipue referenda eſt promiſſio longævitatis ſuper terram iſtam, in qua mortales habitamus, iis facta, qui parentes honorant; ad novum autem Teſtamentum immortalis, æternaque vita in *Terra excelſa, terra nova, terra viventium*, quam humilibus promiſit Chriſtus *Matth.* 5. dicens: *Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram*: Quam quidem non aliud

Sap. 4.

eſſe

eſſe quam regnum cœlorum beatitudo ſequens oſtendit: *Beati* (inquit) *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Eoſdem enim eſſe humiles, ſive mites, paupereſque ſpiritu compertum eſt, cum divitiarum cupiditas ſuperbos, amor vero paupertatis humiles, ac manſuetos homines faciant. Terræ hujus excelſæ, & inviſibilis typus, ac figura fuit terra Chanaan populo judaico a Deo promiſſa, terra optima, lacte, & melle fluens. Verum figura ad carnales Judæos pertinuit, veritas autem, ſeu res per terram illam ſignificata, ad Chriſtianos pertinet, qui non contemplantur *Ea, quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt*; ait Apoſt. 2. ad Cor. 4. Sic Abraham, Iſaac, & Jacob, jam tunc fide Chriſtiani terram Chanaan ipſis a Deo promiſſam ſpectarunt, teſte Apoſtolo, Epiſt. ad Hebræos cap. 11. *Fide* (inquit) *demoratus eſt Abraham in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac, & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus... Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti; non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cœleſtem.* Sic ergo promiſſio Abrahæ, aliiſque Patriarchis facta, cœleſtis ſimul erat, & terrena; cœleſtis, prout ipſam fide intuebantur, terrena, prout poſteris eorum terræ adhærentibus, & terrena ſola ſpectantibus, & deſiderantibus proponebatur; ita promiſſio adjuncta præcepto de honorandis parentibus literalis, & carnalis eſt pro Judæis carnalibus, ſpiritualis potiſſimum eſt pro ſpiritualibus Iſraelitis, ſcilicet Chriſtianis, quibus non anguſtam regionem, qualis erat Judæa, ſed regnum nullis finibus circumſcriptum, non terram, ſed cœlum, non diuturnam in hoc ſeculo vitam;

Qua

Quæ mors potius dicenda eſt, quam vita; ſiquidem *quotidianus defectus corruptionis eſt quadam prolixitas mortis*, ut loquitur *S. Greg.* Homil. 37. in Evangelia, ſed vitam immortalem, & æternam Deus promiſit.

Impiorum ingratorumque filiorum pœnæ.

Exod. 21.

Quemadmodum autem iis, qui grati in parentes ſunt, merces a Deo propoſita eſt, promiſſioque facta vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ; ſic ingratis, impiiſque filiis graviſſimas pœnas Deus comminatur. Scriptum eſt enim: *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* Prov. 19. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix.* Prov. 20. 20. *Qui maledicit patri ſuo, & matri extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Et cap. 30. 17. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Ezech. 22. *Patrem, & matrem contumeliis affecerunt in te... Verecundiora patris diſcooperuerunt in te... Et congregabo vos, & ſuccendam vos in igne furoris mei.* Qui parentibus injuriam intulerunt, multos fuiſſe legimus, in quibus ulciſcendis ira Dei exarſit. *Chami*, qui patrem ſuum *Noe* ebrium, ac nudatum irriſit, nota maledictio in filio *Chanaan*, Geneſis 9. Injuriarum patri *David* illatarum debitas pœnas dedit *Abſalon*, quem ob ejus ſcelus e quercu ſuſpenſum, & tribus lanceis transfixum, miſera morte perire voluit Deus juſtus judex. (2. *Regum* 18.)

ARTICULUS II.

De officiis Parentum erga filios, Paſtorum erga plebes, Principum, & Magiſtratuum erga ſubditos, Dominorum erga ſervos, Toparcharum erga vaſſallos.

Reciproca ſunt filiorum erga parentes, & parentum erga filios; ovium in Paſtores, & Paſtorum in oves; ſubditorum in principes, & Magiſtratus, & principum, ac Magiſtratuum in ſubditos, ſervorum in dominos, & dominorum in ſervos officia: utraque naturæ lege hominum animis inſcripta; utraque poſitiva Dei lege præſcripta.

§. I.

§. I. *Parentum erga filios officia.*

Filiorum cura.

Ut filii parentes honorare debent, ita parentes filios amare, ipſiſque providere, ut coram Deo hunc honorem mereantur, & tueantur. Debent imprimis filios alere, educare, curam ipſorum gerere diligentem, ne quid ipſis infauſti contingat, dum parvuli ſunt, ne in ignem, vel aquam cadant, ne claudi, gibboſi, aut luſci fiant; qua in re negligentia parentes gravis peccati reos facit. Debent ipſis vivendi ſubſidia, cum adulti fuerint, ſubminiſtrare: *Nec enim debent filii parentibus theſaurizare; ſed parentes filiis* (inquit Apoſt. 2. ad Corinth. 12. 14.) Id autem præſtant parentes, non tantum cum annuos redditus, aut prædia filiis aggregant; ſed etiam cum artem, vel opificium docent, quo vitam honeſte tranſigant.

Chriſtiana filiorum educatio.

Secundo, inſtructionem, & diſciplinam filiis debent parentes. Eorum officia ſunt (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) ut ſanctiſſimis diſciplinis, ac moribus filios imbuant, iiſque optima dent vivendi præcepta, ut ad religionem inſtructi, & parati, Deum ſancte, inviolateque venerentur, quod a parentibus Suſannæ factum eſſe legimus, Dan. 13. *Parentes enim illius, cum eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* Idemque Tobiæ filio præſtitum a Patre; *Tobiæ* cap. 1. *Accepit uxorem Annam de tribu ſua; genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Et quia plerumque parentes, aut non norunt, aut aliis impediti negotiis, non valent filios ſuos inſtituere, & erudire, tales magiſtros, ac præceptores ipſis procurare debent, qui chriſtianam fidem, & vitæ ſecundum Deum agendæ officia, & præcepta eos optime doceant. Hoc parentum erga filios officium non uno in loco Scriptura ſacra commendat. Deut. 11. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris... Docete filios veſtros, ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris.* Et Eccl. 30. *Qui docet filium ſuum,*

ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium ſuum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit; & lætatus eſt in illo; in obitu ſuo non eſt contriſtatus; nec confuſus eſt coram inimicis. Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Doce filium tuum, & operare in illo; ne in turpitudinem illius offendas. Apoſtolus etiam ad Epheſ. 6. patentum officia erga filios explicans; *Educate illos* (inquit) *in diſciplina, & correptione Domini.* Lugenda ergo parentum quamplurimorum cæcitas, qui in hac una cogitatione, cutaque verſantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum, amplumque patrimonium liberis relinquant: Fidem verò, religionem, pietatem, charitatem, & beneficentiam in pauperes, manſuetudinem, humilitatem, patientiam, modeſtiam, ſeculi contemptum, mortificationem, quibus poſſint in æternum vivere, eos docere negligunt; quo fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam ſua crimina transferant, nec illis ad cœlum ſe duces præbeant, ſed ad inferorum ſupplicia ſempiterna. Docendi ſunt igitur parentes, nullam eſſe ampliorem hereditatem, nec præclarius patrimonium, quod filiis relinquere poſſint, quam ſi effecerint, ut optimi Chriſtiani evadant; quæ virtus omni terreno theſauro multo pretioſior eſt cenſenda, ut loquitur Conc. Mediol. 5. ſub *S. Carolo Borromæo*, tit. *De iis, quæ ad matrimonium pertinent.* Qua de re & *S. Cyprianus* lib. *De Opere, & eleemoſynis*, præclare chriſtianos parentes commonet: „ „ Qui ſtudes (*inquit*) terreno magis, quam cœleſti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare, quam Chriſto, bis delinquis, & geminum, ac duplex crimen admittis; & quod non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quod doces filios patrimonium plus amare, quam Chriſtum. Eſto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da utilia, & ſalutaria præcepta pi-

Tobiæ 4.

gno-

gnoribus, qualia ille filio dedit; manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit, dicens „ „:

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave; ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. De substantia tua fac eleemosynam; & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit; abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Attende tibi ab omni fornicatione; & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue; & merces mercenarii apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide; ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus; & egenis comede; & de vestimentis tuis nudos tege. Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo; ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

Inculcare sæpius ipsis debent, ut pravorum hominum societates fugiant; invigilare, ne socios frequentent pravæ indolis, a quibus corrumpantur; Salomonis verbis ipsos admonere; Prov. 1. *Fili mi, si te lactaverint peccatores; ne acquiescas eis. Fili mi, ne ambules cum eis, pedes enim eorum ad malum currunt.* Prov. 4. *Ne delectaris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam; declina, & desere eam.* Et Apostoli verbis 1. ad Corinth. 15. *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Cavere præterea debent, & prohibere, ne pueri cum puellis ludant; *S. Hieronymi* ad *Gaudentium* scribentis prudens consilium sequi: „ Sexus „ femineus sexui suo jungatur; nesciat puella, imo „ timeat cum pueris ludere „: Filiis in memoriam itentidem revocare debent pacta cum Deo in Baptismo inita, monere, & hortari, ut ea fideliter servent, ut tanquam a facie colubri peccatum fugiant, ut præ-

ter Dei amorem, & ſervitutem, cætera omnia vanitatem cenſeant. Hæc & ſimilia ſalutis monita filiis tradere debent chriſtiani parentes, Deumque ferventiſſimis precibus orare, ut hæc præveniente, & adjuvante ipſius gratia proſequantur, potiuſque illos ex hoc mundo rapiat, quam lethali peccato a ſuo amore, & obſequio permittat averti.

Nulla re magis, quâ optima, & ſancta educatione ſuum erga filios amorem teſtari parentes poſſunt.

Nulla re magis quam optima, & chriſtiana educatione ſuum in filios amorem teſtari parentes poſſunt, ut docet *Salvianus* Maſſilienſis Presbyter libro 1. *Ad Eccleſiam catholicam*, ſcribens: „„ Non ſolum (*inquit*) amandos dicimus filios, ſed præcipue ac ſuper omnia amandos; nec quidquam his omnino anteponendum, niſi Deum ſolum. Nam & hoc eſt præcipue amare illum, filiis anteponere, quem non expediat omnino poſtponere. Quid eſt ergo, aut quo modo amandos dicimus filios? Quo abſque dubio, niſi quo Deus ipſe conſtituit? Neque enim eſt ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipſos filios dedit, neque poſſunt pignora melius amari, quam ſi in eo ipſo, a quo data ſunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios juſſerit, non dico ego, dicat ſermo ipſe divinus... Pauca ſunt, quæ mandat, ſed ſalutaria, expedita, ſed ſancta, præcepto parva, ſed fructu grandia, ſcripto brevia, ſed beatitudine ſempiterna. *Parentes* (inquit) *nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini, ut ponant* ſcilicet ſicut Propheta dixit, *in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei ſui, & mandata ejus exquirant.* En quales divitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem ſcilicet, ac timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam, diſciplinam; non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca, præclara utique Cum enim Deus vivorum ſit, non mortuorum, recte illa parari filiis juſſit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat, omnibus ferme malis, & infidelibus divitias mundiales cauſam mortis magis

Ephes. 6.

Pſal. 77.

eſſe,

eſſe, quam vitæ, ſecundum illud, quod Deus dicit: *Quam difficile bi, qui pecunias habent, introibunt in regnum cælorum!* Unde & illud eſt, quod ſpecialiter jubet dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Superioribus, ac ſequentibus dictis duo theſaurorum genera monſtrantur; unum ſcilicet, quo filiis theſaurizent patres, aliud quo ſibi. Filiis quomodo? Ut erudiant illos officio, ac timore divino. Sibi quomodo? Ut theſaurizent ſibi theſauros in cœlo. Mirifice ſcilicet, ut quia pecunia caduca eſt, diſciplina immortalis; & omnes fere parentes plus ament filios, quam ſeipſos, ſibi conferant bona caduca, filiis ſempiterna; ac ſic & pietati ſuæ conſulant, & ſaluti cum duplici; atque immortali bono, & per ea, quæ æterna ſunt, æternos eſſe filios faciant, & ad conquirendam ſibi beatitudinem; ea, quæ naturaliter caduca ſunt, bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æſtuas, paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena, & peritura diſtenderis? Nihil majus præſtare filiis potes, quam ſi hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non neceſſe eſt ergo ut filio tuo terrenos theſauros recondas, nulla re eum facies ditiorem, quam ſi ipſum filium tuum theſaurum Dei feceris „ „.

Marci. 10.

Matth. 6.

Quia vero exempla longe movent efficacius, quam verba, filiis ſuis omnium virtutum exemplo prælucere debent parentes chriſtiani. „ Sacerdos parentes commoneat (*inquit Concilii Tridentini Catechiſmus*) „ ut ſe liberis magiſtros præbeant virtutis, æquitatis, „ modeſtiæ, & caſtitatis „. Hinc *S. Joan. Chryſoſt.* Hom. 5. in Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes ait, Patremfamilias magis prodeſſe poſſe uxori ſuæ, filiis, & ſervis exemplo ſuo, & chriſtiana, ſanctaque converſatione, quam Concionatores. Hos enim raro audiunt, & ſtatim ac pedem extulerunt e templo, eorum, quæ audierunt in Concione, obliviſcuntur; parentum autem, & dominorum vitam, & exempla præ oculis ſemper habent filii, ac ſervi. *Licet ergo* (inquit S.

Parentes filiis omnium virtutum exemplo debent prælucere.

Chryſoſt.) *unicuique eſſe doctorem.* Et *S. Auguſt.* in Pſ. 50. „ „ Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi „ „. Hinc *S. Hieron.* Epiſt. 7. *Ad Lætam*, de inſtitutione filiæ ſcribit: „ „ Nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplo doceri poſſe, quam voce „ „. Huc pertinent Salviani verba, lib. 7. *De Gubernatione Dei*, dicentis: „ „ In domo ſua dominus quaſi corporis ſui caput eſt, & vita ejus cunctis norma vivendi. Peſſimumque hoc eſt in hoc negotio, quod libentius omnes deteriora lectantur; & facilius mala inſtitutio depravat bonos, quam bona emendat malos. *Hinc eſt* (*inquit idem* Salvianus lib. 1. ad Eccleſiam catholicam) *quod* Pene omnes parentibus ſuis filii non magis in patrimonia, quam in vitia ſuccedunt, nec magis facultates paternas ſumunt, quam pravitates; ac ſic tranſeuntes ſemper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam, quam ſubſtantiam poſſidere. Bona enim parentum nonniſi mortuis eis poſſident; viventibus autem adhuc, & videntibus, mores. Ac ſic prius, quam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos patres; & antequam habeant illa, quæ falſo dicuntur bona, habent illa, quæ vere probantur mala „ „. Longe igitur graviora ſunt peccata parentum, qui filios ſuos pravis exemplis, blaſphemiis, juramentis, verbis obſcœnis, ebrietate, libidine, inimicitiis, rixis, vindicta, ludis alearum, impietate, ac negligentia in frequentandis Sacramentis, in Feſtis ſanctificandis, in verbi divini auditione, in ſalutis negotio, quod *Unum eſt neceſſarium*, agendo, duritie in pauperes, ad ſimilia vitia informant, & provocant, quam eorum, qui Patresfamilias non ſunt (cæteris paribus.) Unde infelices illi filii merito dixerint: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas.* Ob hanc rationem Deus *Viſitat iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, ut dici-

S. Cyprian. ib. De Laplis.

tur

tur Exodi 20. & 24. ipſos puniens in filiis, quos pravis exemplis corruptos, ſuorum imitatores criminum reliquerunt, & vice verſa, peccata filiorum in parentibus puniuntur, cum negligenti educatione, aut exemplorum pravitate, ipſi ruinæ auctores extiterunt. 1. *Reg.* cap. 12. 15. *Si non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.*

Filiorum correptio.

Quartum parentum in filios officium eſt eorum correptio, & caſtigatio ſtatim a pueritia, quæ prona ad malum eſt, &, niſi coerceatur, vitia concipit ad alias ætates tranſitura. Qua in re prudentia, & moderatione opus eſt, ut videlicet nec auſteriores, nec indulgentiores parentes ſint. Præpoſtera namque ſeveritate fit, ut pueri fracto, abjectoque animo ſint, dum omnia timent, quod ſummopere cavendum Apoſtolus docet ad *Epheſios* 6. & ad *Coloſſ.* 3. parentibus præcipiens, ne quid acerbius in liberos loquantur, aut ſtatuant, quo ad iracundiam illi provocentur, ac in deſperationem quodam modo compellantur; *Et vos, Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini... Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Sit igitur parentum imperium lenitate, ac manſuetudine temperatum. Non quaſi ſervulis, ſed quaſi filiis ſe præeſſe noverint; non iræ impetu, ſed charitatis impulſu peccantes corripiant, & emendent: Liberos corrigere malint, quam ulciſci; vel feras ipſas imitentur, quæ cum homines terreant, & in ſylvis fremant, ſævitiam omnem, ac feritatem deponunt in ſpeluncis, ubi filios ſuos alunt. Doceantur gravis peccati reos eſſe parentes, qui magis ira quam ratione in filios læviunt, & correctis etiam, veniamque petentibus placabiles præbere ſe nolunt.

Parentum imperium lenitate, ac manſuetudine temperatum.

Diſſoluta indulgentia.

Verum non minus cavere debent parentes, ne quid liberis per indulgentiam diſſolute remittant, ſi quam culpam commiſerunt, quæ objurgationem, & caſtigationem poſtulet. Sæpe enim filii nimia lenitate, &

facilitate parentum depravantur. Quamobrem Scriptura ſacra parentes a diſſoluta illa indulgentia deterret, quæ ſegnes, pravoſque liberos facit. *Prov.* cap. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Et cap. 23. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Et *Eccleſiaſtici* cap. 7. *Filii tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Et cap. 30. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduas illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia... Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet; lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi; ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatem in juventute; & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

Negligentiam paternæ in filios diſciplinæ graviſſimo
1. Reg. 4. ſupplicio ultus eſt Deus in *Heli* ſummo Sacerdote, qui *de ſella* cadens retrorſum, *fractis cervicibus mortuus eſt*, duoque ejus filii occiſi, Iſraelitæ a Philiſtæis profligati, arca Domini capta, translatum ab ejus familia ſummum Sacerdotium, multæque calamitates poſteris ejus illatæ, ut Dominus per *Samuelem* prænuntiaverat 1. *Regum* cap. 2. & 3. *Suſcitabo* (inquit) *adverſum Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum ejus; incipiam, & complebo. Prædixi enim ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus uſque in æternum.* Filios tamen ſuos verbis corripuerat, cum eorum ſacrilegia, & ſtupra audiviſſet;
1. Reg. 2. *Quare* (inquit) *facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo? Nolite, filii mei; non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccaverit vir in virum,*

pla-

placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Verum non verbis tantum cum illis agendum erat; cum graviſſima crimina perpetrarent in templo Dei cum totius populi ſcandalo; amovendi enim erant ab officio ſacerdotali, quod indigne adminiſtrabant. Quod quia non præſtitit *Heli*, filiorum honori magis conſulens quam Dei, maximo ſupplicio eſt affectus. „ Heli corripuit „ filios, & punitus eſt, quia non corripere, ſed ſub„ jicere debuit „ (*inquit S. Hieronymus* lib. 1. Contra Pelagianos.)

Præclara ſunt, quæ iſto de argumento *S. Joan Chryſoſtomus* habet Hom. 9. in Epiſt. 1. ad Timotheum. „ Heli (*inquit*) propter filios periit: illos quippe cum acrius coercere debuiſſet, verbis tandem lenibus monuit. Quapropter dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, illos, & ſeipſum una perdidit. Audite hæc, patres, veſtroſque filios in diſciplina, & correptione Domini erudite ſumma cum diligentia. Eſt enim juventus fera, plurimiſque indiget inſtitutoribus, & magiſtris. Si igitur illis ab ipſis ſtatim initiis, atque a prima ætate leges optimas imponamus, minimum poſthac laborabimus, verum conſuetudo ipſa virtutis in legem tranſibit. Nihil eos agere permittamus ex his, quæ noxie jucunda ſunt, neque illis, ut pueris indulgeamus; atque ante omnia illos in pudore, & ſobrietate ſervemus, quippe huic inimica libido omnium maxime hujuſmodi perturbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compeſcendum: magnis nobis ſudoribus, magnaque intentione opus eſt; mature illos matrimonio jungamus, ut munda, atque integra illorum corpora ſponſæ admoveantur.., Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minaſque intentemus, & modo iſtud, modo illud faciamus. Magnum habemus pretioſumque depoſitum filios, ingenti illos ſervemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam ut fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro ma-

gno cum ſtudio tradimus, procuratoremque, ac diſpenſatorem, qui a nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus; cæterum, quod nobis chariſſimum omnium eſt, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius tueri, ac ſervare pudicitiam poſſit. Et certe nulla poſſeſſio, nullus fundus æque nobis gratus, atque charus eſſe debet; quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis poſſeſſionum cura eſt, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur; quod profecto abſurdiſſimum, atque ſtoliſſimum eſt. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia ſecundo loco quæramus. Nam ſi quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt; ſin autem probi, nihil ex paupertate lædentur... Filiis non rite inſtitutis præſtat pauperes eſſe, quam divites. Paupertas enim, vel invitos coerçet, atque intra virtutis limites continet, opes vero ne volentes quidem pudice, temperanterque vivere ſinunt; verum exorbitare faciunt, atque pervertunt, maliſque innumeris ſubjugant. Matres item filiarum vobis curam aſſumite; eſt ea cura vobis perfacilis. Curate ſolicite, ut domi jugiter ſint. Ante omnia pias eſſe, religioſaſque docete, aſpernari pecunias, exterioriſque ornatus contemptrices eſſe; atque ita demum nuptiis tradite. Eas ſi ita inſtitueritis, non ipſas modo ſervabitis, verum & viros, qui illas ducturi ſunt, neque viros tantum, ſed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima ſurculi prodeunt firmiores, ac ſemper in meliora proficiunt, horumque omnium merçes vobis reddenda eſt „„.

Legenda ejuſdem Patris Hom. 21. in Epiſtolam ad Epheſios, & libri 3. *Adverſus Vituperatores vitæ Monaſticæ* cap. 3. 4. 6. & 18. „„ Job ſanctiſſimum virum (*inquit*) cum ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quod fuerit juſtus, quod verax, quod religioſus, quod pius, tum ex eo maxime, quod filiorum optime educandorum habuerit ſummam diligen-

ligentiam. Non enim ea cura utebatur, ut aurum illis copioſiſſimum acquireret, non ut humana gloria verendos, & illuſtres cerneret; ſed quid ille tandem requirebat? Audi, quid Scriptura dicat: *Cum conſummati eſſent dies convivii illorum, mittebat Job, & purificabat eos, conſurgenſque diluculo offerebat pro eis Sacrificia ad numerum ipſorum, vitulumque unum pro peccatis pro animabus eorum. Dicebat enim Job in corde ſuo: Ne forte filii mei in mente ſua mala cogitaverint adverſus Deum.* Ullane jam nobis erit excuſatio ejuſmodi ſcelus admittere audentibus, quando is, qui ante gratiam, ante legem fuit, qui nullo ſacrarum Literarum magiſterio inſtructus erat, tantam filiorum oſtendit, geſſitque providentiam, ut de incertis quoque eorum, & occultis tremeret, paveretque delictis? Quænam nos jam excuſabit ratio, qui cum ſimus ſub gratia, cum tantis, & tam inſignibus magiſtris potiamur, cum ejuſmodi exemplis abundemus, totque monitis erudiamur, non modo pro occultis, incertiſque filiorum peccatis non metuimus, verum aperta quoque, & manifeſta contemnimus? Nec iſta ſaltem pernicie contenti, ſi qui eos emendare voluerint, eos undique rejicimus, exagitamus, affligimus. Abraham quoque cum cætera recte facta commendant, tum illud quoque clariſſimum facit. Igitur cum tanta ſummorum virorum teneamus exempla, paremus Deo miniſtros idoneos, & probatiſſimos famulos. Nam ſi is, qui vel athleatas civitatibus nutrit, vel exercet ad Regis obſequium milites, maximis honoribus fruitur; quanta nos munera, quot coronas accepturi ſumus, qui tam magnos, & eximios viros, dicam verius, Angelos, Deo educamus? Omnia igitur faciamus, cunctaque moliamur, ut eis inſignes pietatis opes relinquamus, quæ ſolæ permanent nobiſcum, excedentesque e vita comitantur „ „. Job 1.

Et rurſus lib. 3. Adverſus Vituperatores vitæ Monaſticæ. „ „ Unde (*inquit*) acerbæ, & intempeſtivæ mortes? Unde morbi perpetui, atque graviſſimi plerum-

rumque nobis, & liberis noſtris inferuntur? Unde caſus varios, calumnias, mala innumera quotidie perpetimur? Nonne quod filios noſtros malos aſpicimus, & eos emendare negligimus „„ ?

Pietatem denique poſtulare, ut parentes filios quandoque ſevere increpent, & caſtigent, docet auctor Sermonis 44. inter eos, qui hactenus *S. Ambroſio* iunt adſcripti, & in editione noviſſima in appendicem rejecti. „„ Non oſculatur (*inquit*) ſemper pater filium, ſed & aliquando caſtigat. Ergo quando caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cum amarius inferuntur; dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quam blanda remiſſio. Unde ait Propheta;

Prov. 27. 6. *Dulciora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici* „„. Refertur Canone. *Non oſculatur*, cauſa 5. qu. 5.

Idem docet *S. Auguſt.* Serm. 13. alias *De Tempore* 94. „„ Adhibeantur pœnæ (*inquit*) non recuſo, non interdico, ſed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis. Non enim filium tuum non erudis. Et prius agis, ut, ſi fieri poteſt, pudore, & liberalitate erudiatur, erubeſcat patrem offendere, non tanquam ſeverum judicem timeat gaudens ad talem filium; ſed ſi fuerit forte iſta contemnens, adhibes & verbera, incutis pœnam, ingeris dolorem, ſed quæris ſalutem. Multi amore, multi timore correcti ſunt; ſed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt. Non ſic quæritur innocentia, ut pereat

Sap. 3. diſciplina. Scriptum eſt: *Diſciplinam qui abjicit, infelix eſt.* Bene poteſt addi ad iſtam ſententiam. Sicut diſciplinam qui abjicit, infelix eſt, ſic diſciplinam qui negat, crudelis eſt... Teneo prorſus, & oſtendo feriendo pium, parcendo crudelem, exemplum ante oculos pono. Ubi invenio pium? Non eo ad alios, ad patrem & filium eo; pater & quando ferit, amat, & non vult puer cædi, contemnit voluntatem, conſulit ad utilitatem. Quare? Quia pater eſt, quia hereditatem parat, quia ſucceſſorem nutrit.

Ecce

Ecce feriendo pius eſt pater, feriendo miſericors eſt. Da mihi hominem parcendo crudelem. Non recedo a perſonis, eos ipſos ante oculos pono. Sed puer impunitus, & indiſciplinatus ſi ſic vivat, ut pereat, & pater diſſimulet, pater parcat, pater perditum filium diſciplinæ aſperitate offendere timeat, nonne parcendo crudelis eſt „„?

Et Enarratione in Pſalm. 50. „„ Verumtamen (*inquit*) in tanta morum diverſitate, & tam deteſtabili corruptela, regite domos veſtras, regite filios veſtros, regite familias veſtras. Quomodo ad nos pertinet in Eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi. Amat Deus diſciplinam. Perverſa autem, & falſa innocentia eſt, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde pernicioſe ſentit filius patris lenitatem, ut poſtea Dei ſentiat ſeveritatem; & hoc non ſolus, ſed cum diſſoluto patre ſuo. Quid enim ſi ipſe non peccat, & non facit, quod filius ejus, ideo non debet ab ipſa nequitia filium prohibere? An forte ut videatur filio ejus, quia & pater talia faceret, niſi ſenuiſſet? Peccatum quod tibi non diſplicet in filio tuo, delectat te, ſed ætas deleruit, non cupiditas. Sed forte negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel ſeveritatem. Tu imple perſonam tuam, Deus de illo exigit ſuam „„.

Idem docet *S. Bernardus* Serm. 10. in Pſalmum, *Qui habitat*, dicens: „„ Ne ipſi quidem filio expedit ſic amari, ut videlicet cui interim caves a flagello paternæ correptionis, theſaurizes iram æternæ damnationis „„.

§. II. *Paſtorum erga oves officia.*

Paſtorum officium eſt oves paſcere, unde S. Petro dictum eſt Joan. 21. *Simon Joannis amas me? Paſce oves meas.* Idemque tertio repetitum, ut triplex paſcendi modus ſignificetur. Debent namque Paſtores gregem *Paſcere exemplo converſationis, verbo* Triplex paſcendi modus.

præ-

prædicationis, fructu orationis; ut ait *S. Bernardus*, Tractatu in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*, seu libro *De Colloquio Simonis ad Jesum*, §. 11.

1. Pastores pascere debent oves exemplo conversationis. Act 1. 1. ad Tim. 4. 12.

Primo pascere debent *exemplo conversationis*, Christum Jesum imitati, qui *Cœpit facere, & docere*, & qui magnum illum in regno cœlorum futurum dixit; *Qui fecerit, & docuerit.* Unde Apostolus *Timotheum* suum erudiens: *Exemplum* (inquit) *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Et de piis veteris Testamenti Levitis Dominus ait Malach. 2. *Pactum meum fuit cum Levi vitæ, & pacis; & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus, In pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.* Pastores mali, quantum in ipsis est, oves male vivendo, & malum exemplum præbendo occidunt. Unde non frustra ad Tit. 2. *Titum* scribit Apostolus: *Circa omnes te ipsum bonorum præbe exemplum.* Attendit enim ovis etiam fortis plerumque præpositum suum male viventem; si declinet oculos a regulis Domini, & intendat in hominem, incipit dicere in corde suo: Si præpositus meus sic vivit, ego quis sum, qui non faciam, quod ille facit? „ „ Occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem, jam de cæteris quid faciet illud, quod non ipse fortificaverat, sed forte, aut robustum invenerat, male vivendo interfecit? Dico charitati vestræ, iterum dico, etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud, quod audierunt a Matth. 23. Domino suo: *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Tamen, qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus. Et ille vivit, & ille homicida est. Quomodo cum lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam, ecce illa casta est, & mœchus est iste. Domini enim vera, & aperta sententia est? Matth. 5. *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Sic omnis, qui male

vivit

vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit & forte oves. Qui ergo imitatur præpoſitum malum, moritur; qui non imitatur, vivit; tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit. Et, *quod craſſum eſt* (inquit) *interficitis*, Ezech. 3. *& oves meas non paſcitis* „„. Hæc *S. Auguſt.* Serm. 46. alias de Temp. 165. *De Paſtoribus* inſcripto.

Idem confirmat *S. Greg. magnus*, p. 2. *Paſtoralis Curæ*, cap. 1. „„ Tantum (*inquit*) debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet a grege vita Paſtoris. Oportet namque, ut metiri ſolicite ſtudeat, quanta tenendæ rectitudinis neceſſitate conſtringitur, ſub cujus æſtimatione populus grex vocatur. Sit ergo neceſſe eſt cogitatione mundus, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius; contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupationem non minuens, exteriorum providentiam in internorum ſolicitudine non relinquens „„.

Et cap. 3. „„ Sit rector operatione præcipuus, ut vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet, & grex, qui Paſtoris vocem, moreſque ſequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat, ut fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: *Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion.* Haiæ 40. Ut videlicet, qui cœleſti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur. Tantoque facilius ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat. *Et p.* 3, *Admonitione* 5. Scire Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exem-

empla traſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non ſoli moriuntur „ „.

Ezech. 33. Pastores gregem sibi commissum pascere debent verbo prædicationis.

Secundo gregem Chriſti paſcere debent Paſtores *Verbo Prædicationis.* Hinc Dominus *Ezechielem* Prophetam his verbis compellat: *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie; morte morieris; non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua; ipſe in iniquitate ſua morietur; porro tu animam tuam liberaſti.* Hæc vero etiam de Paſtoribus novi Teſtamenti intelligi debere, docet Apoſtolus, cum eorum officium explicans, Ep. ad *Hebræos*, cap. 13. ait: *Ipſi pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Gravis igitur peccati rei ſunt Paſtores, qui populo chriſtiano ſibi commiſſo verbum Dei non prædicant ex inertia, ignorantia, vel nimia ad res temporales adhæſione. Quibus convenit illud Iſaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi; canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia... Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, a ſummo uſque ad noviſſimum.* Et rurſus Ezech. 34. *Væ Paſtoribus Iſrael; qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: Gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri... Propterea Paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem*

gem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos; & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam. Quiſquis ita Præpoſitus eſt, ut in eo, quod Præpoſitus eſt, gaudeat, & honorem ſuum quærat, & commoda ſua ſola reſpiciat, ſe paſcit, non oves. „„ Qui præbet lac, victum præbet, qui præbet lanam, honorem præbet (*inquit S. Auguſt. Serm. 46. De Paſtoribus*, cap. 3.) Iſta ſunt duo, quæ a populis quærunt, qui ſeipſos paſcunt, non oves, commodum ſupplendæ neceſſitatis, & favorem honoris, & laudis. Etenim veſtimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Eſt enim unuſquiſque homo infirmus. Et quid eſt, quiſquis vobis præeſt, niſi quod vos eſtis? Carnem portat, mortalis eſt, manducat, dormit, ſurgit, natus eſt, moriturus eſt. Si ergo cogitas, quid ſit ſecundum ſeipſum, homo eſt, tu tamen honorando eum velut Angelum, contegis, quod infirmum eſt „„. Hæc ab ovibus cum accipiunt paſtores, & tamen oves negligunt, quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, ovium languidarum, ac putridarum vulnera non ſecant, parcunt putredini, inimici multitudinis fieri timent vitia palam arguendo, & diſciplinæ chriſtianæ ſeveritate coercendo, ſunt Paſtores ſemetipſos paſcentes, non oves. Illi porro, quod infirmum eſt non conſolidant, qui ad ferendas tentationes, & adverſa quæque toleranda chriſtianam plebem diſponere, & confirmare non curant. „„ Infirmum animum gerit ovis (*inquit S. Auguſt. Serm. 44. De Paſtoribus, cap. 5.*) quando tentationes ſibi futuras non credit. Paſtor negligens, quando ſic credit talis infirmus, non illi dicit: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Qui enim hoc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille cum crediderit, proſpera hujus ſeculi ſperet. Si autem doctus fuerit ſperare proſpera hujus ſeculi, ipſa proſperitate corrumpitur, ſuperve- Eccl. 2.

nien-

nientibus enim adverſitatibus fauciatur, aut fortaſſis extinguitur... Sed ne in futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falſa ſpe decipiendus eſt, nec terrore frangendus. Dic ei: *Præpara animam tuam ad tentationem.* Sed forte incipit labi, contremiſcere, nolle
6. Cor. 10. accedere. Habes aliud: *Fidelis Deus, qui non vos ſinat tentari, ſupra quam ferre poteſtis.* Illud autem promittere, & prædicare futuras paſſiones, infirmum confirmare eſt. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito, cum polliceris miſericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, ſed quia non permittit tentari, ſupra quam ferri poteſt, fractum colligare eſt „„.

Quod ægrotum eſt, non ſanant mali Paſtores, quia animabus cupiditatum ſuarum morbis languentibus pharmaca ſaluberrima ex Scripturis ſacris non applicant. Inter infirmos, & ægrotos, quid diferimine intercedat, *S. Auguſt.* cap. 6. ejuſdem ſermonis exponit. „„ Infirmo (*inquit*) ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum eſt, languens autem jam cupiditate aliqua ægrotat, & cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, a ſubeundo jugo Chriſti. Attendite illos homines volentes bene vivere, & minus idoneos mala pati, ſicut parati ſunt bona facere. Pertinet autem ad chriſtianam firmitatem, non ſolum operari, quæ bona ſunt, ſed & tolerare, quæ mala ſunt. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, ſed imminentes paſſiones tolerare nolle, aut non poſſe, infirmi ſunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipſis bonis operibus revocantur, languidi, & ægroti jacent, quippe, qui ipſo languore tanquam ſine ullis viribus, nihil boni poſſunt operari. Talis in anima Paralyticus ille fuit, quem eum ad Dominum inferre non poſſent, qui eum portabant, tectum aperuerunt, & depoſuerunt, id eſt, tanquam ſi in anima hoc velis facere, ut tectum aperias, & deponas ad Dominum animam paralyticam diſſolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, gravatam utique peccatis ſuis, & languentem morbo cupiditatis ſuæ. Si ergo diſſoluta

ſunt

ſunt membra omnia, & eſt paralyſis interior; ut pervenias ad medicum (forte enim latet medicus, & intus eſt, hoc eſt, ille verus intellectus in Scripturis occultus) exponendo, quod occultum eſt, aperi tectum, & depone Paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, auditis; quæ audiant: *Quod male habuit, non corroboraſtis; & quod contribulatum eſt, non colligaſtis* „ „. Ezech. 34.

Paſtores animarum vulnera curare debent ſecundum ſpiritualis medicinæ regulas a Chriſto inſtitutas.

Quod ægrotum eſt curare debent paſtores, non ſolum verbi divini prædicatione, ſed Sacramentorum adminiſtratione, ad quam paratos ſemper ipſos eſſe, ob idque in Diœceſibus, vel parochiis ſuis reſidere oportet. Curare autem debent animarum vulnera ſecundum ſpiritualis medicinæ regulas a Chriſto, & Apoſtolis, a SS. Patribus, a Conciliis, & ſummis Pontificibus, eccleſiaſticæ diſciplinæ arbitris, conſtitutas; ſicut medici illi cenſentur optimi, qui morbos corporis curant ſecundum regulas artis. Ut enim ſcite, ait S. Gregorius Nazianz. *Divinæ animarum medicinæ nos miniſtri, & adjutores ſumus, quicunque aliis præſidemus.* Utrumque autem conjungere debent, verbi ſcilicet divini prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, ut miniſterium ſuum impleant, & animas ægrotas, atque vulneratas curent. Scriptum eſt enim Pſalm. 106: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.*

Quod abjectum eſt reducere, & quod perierat, quærere paſtores tenentur, quia & hæreticos a via veritatis, & peccatores quoſcunque a via juſtitiæ errantes, fatagere modis omnibus debent, ut ad Fidem catholicam, vel ad meliorem frugem reducant, prædicatione, familiari inſtructione, & adhortatione, obſecrationibus, increpationibus, cenſuris, doctrina, patientia. Unde Apoſtolus Paſtores omnes in *Timotheo* ſuo informans: *Teſtificor* (inquit) *coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, per Adventum ipſius, & regnum ejus; Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina... Tu vero vigila,* 2. Tim. 4.

in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Et ad Titum 1. neceſſarias inter Epiſcopi dotes, vult eſſe *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere.* Et ad 1. Tim 4. *Attende* (inquit) *lectioni, exhortationi, & doctrinæ... Inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt.* Et Epiſt. 2. cap. 2. *Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Et cap. 3. gratulatur, quod ab infantia ſacras literas noverit, quia *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.* Hæc ſcilicet Paſtorum officia, propter quæ ſacræ Scripturæ ſcientia inſtructi eſſe debent, populum chriſtianum ſibi commiſſum a Chriſto ſummo Paſtore, cujus grex eſt & oves docere, arguere, corripere, erudire in juſtitia: *Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Unde & ipſe Apoſtolus impoſitum ſibi officium, ac miniſterium conſiderans 1. ad Corinth. 9. *Si Evangelizavero* (inquit) *non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit; væ enim mihi eſt, ſi non Evangelizavero.* Alias enim ſe reum perditionis omnium animarum futurum noverat, quibus Evangelium prædicare neglexiſſet. Unde Act. 20. ait: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.*

Id confirmat *S. Greg.* Hom. 11. in Ezechielem. „ Impio (*inquit*) mors debetur; ſed ei a ſpeculatore via vitæ nuntianda eſt, & ejus impietas increpanda. Si vero ſpeculator taceat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur; quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non eſſet, ad quem ſpeculatoris ſermo fieret. Sed ſanguinem ejus Dominus de manu ſpeculatoris requirit, quia ipſe hunc occidit, qui eum tacendo morte prodidit. In quibus utrique penſandum eſt, quando ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque præpoſitorum, quia ſibi ſubjectus ex ſua culpa

mo-

moritur, ibi is, qui præeſt, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. ... O quam liber a commiſſorum ſibi ſanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat: *Mundus ſum a ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis!* Si enim non annuntiaſſet, mundus a ſanguine non eſſet; ſed quibus omne conſilium Dei annuntiare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos conſtringimur, nos rei eſſe oſtendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus. ... Sanguis ergo morientis de manu ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi culpæ præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur. Eſt ergo, quod faciat, ut etiam moriente ſubdito ſe liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat; ſicut ſcriptum eſt: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum; ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Unde hic quoque additur: *Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & a via ſua impia; ipſe quidem in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Tunc enim ſubjectus moritur ſine te, quando in cauſa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis adjungeris. *Et infra:* Quia juſto, qui in peccato cecidit, prædicator tacuit, ejus ſanguinis reus tenetur. Et qui ſolicitus eſſe non ſtuduit in prædicatione, factus eſt particeps in condemnatione „.

Act. 20.

Prov. 6.

Ezech. 33.

Neque vero a quærendis ovibus errantibus deterreri Paſtores debent, quod errores illæ ſuos ament, & vitia, Paſtorumque diligentiæ, & charitati reluctentur, ac eorum vocem ægre, & impatienter audiant. Jubet enim Deus, ut nihilominus verbum ſuum prædicent, inſtent opportune, importune, ut Apoſtolus loquitur. Qua de re præclare *S. Auguſt.* Serm. 46. *De Paſtoribus*, cap. 7. „ „ Et contumaces ſunt oves; quia quæruntur errantes, alienas ſe a nobis di-

dicunt errore ſuo, & perditione ſua. Quid nos vultis? Quid nos quæritis? Quaſi non ipſa cauſa ſit, quare eas velimus, & quare quærimus, quia errant, & pereunt. Si in errore (*inquit*) ſum, ſi in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo; quia periſti, invenire volo. Sic volo errare, ſic volo perire. Sic vis errare, ſic vis perire? Quanto melius ego nolo? Prorſus audeo dicere, importunus ſum. Audio enim dicentem Apoſtolum:

2. Tim. 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune.* Opportune utique volentibus, importune nolentibus. Tu vis errare, tu vis perire; ego nolo. Non vult poſtremo ille, qui me terret. Si voluero, vide, quid

Ezech. 34. dicat, vide, quid increpet: *Quod errabat non revocaſtis, & quod periit, non inquiſiſtis.* Revocabo errantem, requiram perditum; velis, nolis, id agam. Et ſi me inquirentem lanient vepres ſylvarum, per omnia anguſta me coarctabo; omnes ſepes excutiam, quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo; revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire „ „.

Paſtores ad verbum Dei populo ſibi commiſſo prædicandum tenentur, niſi ſint legitime impediti.

Verbi divini populo ſibi commiſſo prædicandi officium Paſtoribus incumbere, ita ut lethalis peccati rei ſint, ſi legitimo impedimento non detenti id omittant, ſacra Concilia confirmant.

Arelatenſe 6. anno 813. can. 10. „ „ Providimus (*inquit*) pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi, ut non ſolum in civitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis Presbyteri ad populum verbum faciant, & ut bene vivere ſtudeant, & populo ſibi commiſſo prædicare non negligant „ „.

Valentinum III. anno 855. can. 16. „ „ Unuſquiſque noſtrum (*inquiunt Epiſcopi*) ſive per ſe, ſive per aliquem, vel aliquos ex miniſtris Eccleſiæ fideliter doctos ita verbum prædicationis tam in urbe, quam foris in plebibus exhibeat, ut omnino eis admonitio, & exhortatio ſalutaris deeſſe non poſſit; quia ubi verbum Dei fidelibus non miniſtratur, quid aliud, quam vita animæ ſubtrahitur „ „? Le-

Lemovicenſe 2. anno 1304. Act. 2. „„ Omnes (*inquit*) Sacerdotes, quibus parochia commiſſa eſt, omnibus Dominicis, & feſtis diebus admonere prædicando populum debent: ſecundum illud: *Argue, obſecra, increpa*: Quia Sacerdos ſi ſine ſonitu prædicationis incedit, interminatione divina mortis reus eſt. Epiſcopus autem, quos doctos viderit ad hoc officium & idoneos, non tantum juſſu, ſed etiam rogatu, ad tam ſublime opus incitare debet „„.

Concil. denique Trident. ſeſſ. 5. *De Reformat.* cap. 2. „„ Quia (*inquit*) chriſtianæ reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus, ſtatuit, & decrevit S. Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium. Si vero contigerit, Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque parochiales, vel alias Curam animarum habentes Eccleſias quocunque modo obtineant per ſe, vel alios idoneos; ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandaque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadant, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione exemptum ſe eſſe prætenderet; etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra Diœceſim exiſtenti forſan annexæ, vel unitæ, modo re ipſa in Diœceſi ſint, provida

Cap. Inter cætera Extra de Officio judic. Ord.

paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Itaque, ubi ab Epiſcopo moniti trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per Cenſuras eccleſiaſticas, ſeu alias, ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec Principalis in ſe reſipiſcens officium ſuum impleat „ „. Sed & Catecheſes, ſaltem Dominicis, aliiſque feſtis diebus in ſingulis parochialibus Eccleſiis haberi ſanxit ac præcepit eadem S. Synodus.

Lament. Jerem. 4.

Dioeceſis viſitatio non minima pars curæ paſtoralis.

Paſtoralis Curæ non minima pars eſt ſacra Dioceſeſum Viſitatio, quam Epiſcopi obire debent, per ſe, vel per alium, ſi legitime fuerint impediti, ita ut totam biennio ſaltem quolibet Dioceſim ſuam luſtrent, ut ſtatuit S. Synodus Trid. ſeſſ. 24. *de Reformat.* cap. 3. Harum porro Viſitationum ſcopus eſt: „ „ Sanam, orthodoxamque doctrinam, expulſis hereſibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera, prout locus, tempus, & occaſio feret, ex Viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituere. Quæ ut facilius, feliciuſque ſuccedant (*inquit Concilium*) monentur prædicti omnes, & ſinguli, ad quos Viſitatio ſpectat, ut paterna charitate, chriſtianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modeſto contenti equitatu, famulatuque, ſtudeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, Viſitationem ipſam abſolvere, interimque caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, onoroſive ſint.

Paſtores gregem paſcere debent fructu orationis. 1. Cor. 3.

4. Tandem cum nec viſitatio, nec prædicatio fructuoſæ eſſe poſſint abſque Dei gratia; quia *Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*: Sacrificiis, & aſſiduis orationibus Deum interpellare debent Paſtores pro grege ſibi commiſſo, & oves *Paſcere fructu orationis*, ut loquitur *S. Bernardus.* Unde Apoſtoli Act. 6. ajunt: *Nos ora-*

orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et S. Paulus ad Hebræos, cap. 5. *Omnis Pontifex* (inquit) *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis; qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Paſtor itaque orando pro ſe, ac pro ovibus, „ ſit orator antequam doctor; & „ priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum „ levet animam ſitientem, ut eructet, quod biberit, „ vel quod impleverit, fundat „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 4. *De Doctrina chriſtiana* cap. 15.)

§. III. *Principum, & magiſtratuum officia.*

1. Officium Principum eſt, pietate, ac Dei cultu ſubditis prælucere, Eccleſiam tueri, populum cum æquitate, & juſtitia regere, ac defendere. Principes vitam ſuam imprimis ad Dei legem conformare debent.

Ad Dei legem imprimis vitam ſuam conformare debent. Unde Deut. 17. ſcriptum eſt: *Poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus.* Et Pſalmo 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de vita juſta.* Ex Dei cultu, ex vera pietate, ex chriſtianarum, & regiarum virtutum operibus, non ex diuturnitate imperii, non ex victoriis, & hoſtium debellatione, non ex temporali proſperitate, æſtimanda eſt Regum, ac Principum felicitas, ut docet *S. Aug.* lib. 5. De Civitate Dei, c. 24. „ „ Neque enim (*inquit*) nos chriſtianos Imperatores ideo feli- Quibus ex rebus æſtimanda felicitas Principum.

ces dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc, & alia vitæ hujus ærumnosæ, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti; & hoc ipsius misericordiæ factum est, ne ab eo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eamdem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt, si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant, si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior, si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare; & si hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id, quod expectamus, advenerit „ „.

Idem confirmat *S. Fulgentius*, lib. *De veritate Prædestinationis, & gratiæ*, cujus verba refert Concil. Parisiense 6. p. 2. cap. 1. „ „ Clementissimus Imperator (*inquit*) non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni Principatus accepit, sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cor-

cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubjiciat; ſi magis in timore ſervire Deo, quam in tumore dominari populo delectetur; ſi in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas poteſtatem; ſi ſe magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat; ſi ſubjectis ſalubriter conſulat, ſi juſtitiam ſic teneat, ut miſericordiam non relinquat; ſi præ omnibus ita ſe ſanctæ Matris Eccleſiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci, atque tranquillitati per univerſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum. Magis enim chriſtianum regitur, atque propagatur imperium, dum eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur „ „.

Officium præterea Regum eſt, leges ferre in bonum religionis, & Eccleſiæ. „ „ In hoc enim Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam religionem „ „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 3. *Contra Creſconium* cap. 51.) Quomodo enim Reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo (inquit idem ſanct. Doct. Epiſt. 185. alias 50. *Ad Bonifacium* Comitem.) „ „ Aliter enim ſervit, quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſervit viyendo fideliter; quia vero etiam Rex eſt, ſervit leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo, ſicut ſervivit Ezechias, lucos, & templa idolorum, & illa excelſa, quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo; ſicut ſervivit Joſias talia, & ipſe faciendo; ſicut ſervivit Rex Ninivitarum, univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo; ſicut ſervivit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando; ſicut ſervivit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos a blaſphemando lege terribili prohi-

Regum officium, leges ferre in bonum religionis & Eccleſiæ.

hibendo. In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges „„.

Et infra: „„ Poſtquam cœpit impleri, quod ſcriptum eſt: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient illi*, quis mente ſobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno veſtro, a quo teneatur, vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, non ad vos pertineat, in regno veſtro quis velit eſſe ſive religioſus ſive ſacrilegus, quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat, in regno veſtro quis velit pudicus eſſe, quis impudicus? Cur enim cum datum ſit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt animam Deo, quam feminam viro? Aut ſi ea, quæ non contemptu, ſed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda ſunt „„? Pſal. 71, 11.

Tuitio Eccleſiæ, proprium Chriſtianorum principum officium.

Tuitionem Eccleſiæ proprium eſſe chriſtianorum Principum officium, *S. Iſidorus Hiſpalenſis* confirmat, cujus verba refert Concilium Pariſienſe 6. p 2. cap. 2. „„ Principes ſeculi (*inquit*) non unquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleſte regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, vigore Principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, poteſtas impertiat. Cognoſcant Principes ſeculi, Deo debere ſe reddere rationem propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credi-

didit „„. Sic Eccleſiam tuiti ſunt religioſiſſimi Principes Conſtantinus, Theodoſius, Carolus magnus, Ludovicus Pius, Henricus Pius Imperatores, Clodovæus, Robertus & Ludovicus IX. Reges chriſtianiſſimi, Reccaredus Hiſpaniæ, Stephanus Hungariæ, & alii, quorum nomina, vel Feſtis eccleſiaſticis, vel libro vitæ ſunt adſcripta.

Grave peccatum Principum, cauſarum eccleſiaſticarum cognitionem uſurpantium.

Ad ſeculares tamen Principes non pertinet cognitio, & judicium cauſarum eccleſiaſticarum, fidem præſertim, aut Sacramentorum adminiſtrationem, ſacros ritus, ac diſciplinam ſpectantium, aut alia divino, vel eccleſiaſtico jure romano Pontifici, & Epiſcopis reſervata. Unde gravis peccati rei ſunt, ſi quando manum ad thuribulum admovere, aut arcam Domini contingere præſumant, id eſt, cauſarum eccleſiaſticarum cognitionem uſurpare, aut alia Sacerdotum munia invadere; meritoque metuere debent pœnas terribiles Core, Dathan, & Abiron, & eorum aſſeclis, qui thus adolere Domino auſi ſunt, cum non eſſent de genere Aaron; & Ozæ, qui manum extendit ad arcam Dei, & tenuit eam, a Deo illatas. Hic enim ſubito percuſſus a Domino propter temeritatem juxta arcam mortuus eſt; illi vero dirupta ſub pedibus eorum terra, deſcenderunt vivi in infernum operti humo, Core ſcilicet, Dathan, & Abiron, & eorum familiæ; & ignis egreſſus a Domino interfecit 250. viros, qui thus adolere præſumpſerant. (*Num.* 16. & 2. *Regum* 6. ac 1. *Paral.* 13.) Sed & Oziæ Regis temeritas, & pœna Principibus ob oculos ponenda eſt, qui thus adolere ſuper altare thymiamatis cum tentaſſet, minatuſque fuiſſet Sacerdotibus, lepra percuſſus eſt ad obitum uſque illi inhærente, ac de templo ejectus, atque in domo ſeparata extra omne commercium hominum habitare compulſus eſt, Joatham filio ejus regnum adminiſtrante (2. *Paral.* 26.)

Recta juſtitiæ adminiſtratio Principum, &

5. Officium denique Principum, ac magiſtratuum eſt, juſtitiam recte adminiſtrare, pauperes, viduas, pupillos tueri, cauſas ad tribunal ſuum delatas dili-

gen-

magiſtratuũ officium.

genter cognoſcere, & examinare, abſque perſonarum acceptione jus unicuique reddere, improbos coercere ſeveritate legum, probos fovere. Quod Regis, ac magiſtratuum officium exponitur Job 29. *Quando* (inquit) *procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi... Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me, ſicut veſtimento, & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum; & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Prov. 20. *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo... Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem... Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus. Et* cap. 29. *Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam... Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Item Sap. 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.* Et cap. 6. *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende, & cito apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortio-*

ribus

ribus autem fortior inſtat cruciatio. Iſ. 1. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Et cap. 5. *Væ, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferris ab eo. Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet.* Cap. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt; ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam veſtram, ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis?* Eccl. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.*

Principum officium in judiciis ordinandis, vel exercendis.

Præclara ſunt, quæ de miniſterio Principum in judiciis ordinandis, vel exercendis tradit Conc. Pariſienſe 6. p. 2. cap. 2. „ „ Regale miniſterium (*inquit*) eſt populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & juſtitia, & ut pacem, & concordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim debet primo defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipſius enim terror, & ſtudium hujuſmodi eſſe debet, primo ut nulla injuſtitia fiat, deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat, nec ſpem deliteſcendi, ſive male agendi audaciam cuique relinquat, ſed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidquam mali, quod admiſerint, nequaquam incorrectum, vel inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & modus juſtæ correptionis. Quapropter in throno regiminis poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe per ſe provideat, & perquirat, ne in judicio aliquis a veritate, & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod cauſa, quam juxta miniſte-

rium

rium ſibi commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei cauſa exiſtit, cui pro miniſterio, quod ſuſcepit, in examinis tremendi die rationem redditurus eſt. Et ideo oportet ut ipſe, qui judex eſt judicum, cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſte, aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittat „ „.

Et cap. 3. „ „ Ad peccatum Regis pertinet, quando judicibus, miniſtriſque iniquis miniſterium ſuum adimplendum committit. Neque enim miniſterium ſuum per alios tantum adminiſtrare, & ſe ab eo debet alienare. Non ergo dicimus, ut ſolus jurgia, & querimonias populi audiat, & inveſtiget, & definiat, quoniam nequaquam ad hæc ſolus ſufficere poteſt, ſed magis, ut tales ſub ſe timentes Deum, & avaritiam odientes conſtituat, per quos Regem Regum non offendat „ „. Judices ergo, & Magiſtratus, ſcientia, probitate, & æquitate conſpicui eſſe debent, ut ſuo munere digni ſint, illoque recte fungantur. Tales conſtituere Princeps debet; omnium alioqui peccatorum reus erit, quæ ipſi in exercendis judiciis committent. Prudentiſſimum, & a Deo probatum conſilium Moyſi Jethro dedit, Exodi 18. *Provide* (inquit) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referant ad te.* Hinc Moyſes Deuteronomii cap. 1. ſic populum alloquitur: *Dixi vobis, non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus, ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, & quorum conſervatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes. Tunc reſpondiſtis mihi: bona res eſt, quam vis facere. Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos Principes, Tribunos, Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui docerent vos ſingula. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod ju-*

Judicum dutes.

juſtum eſt, judicate; ſive civis ille ſit, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.

Judicum peccata.

Qui ergo legum imperiti ſunt, & ſapientia, prudentiaque ad exercendum judicium neceſſaria deſtituti, lethalis peccati rei ſunt, ſi Magiſtratum ſuſcipiant, & in ſtatu peccati, ac damnationis æternæ verſantur, quamdiu illum retinent, ac gerunt, nec abſolvi poſſunt in foro pœnitentiæ, donec abdicaverint. Lethalis item peccati rei ſunt, qui perſonarum acceptione pervertunt judicia, qui munera accipiunt, qui ultra ſtipendia ſibi legibus, & regiis Conſtitutionibus, vel conſuetudine conſtituta aliquid exigunt, vel recipiunt, qui ſecundum leges non judicant, qui reos abſolvunt, aut inſontes condemnant, qui juris ordinem pervertunt, aliquem ſine accuſatore, vel denuntiatore, & legitimis teſtibus damnantes, non vocatum, nec auditum. Unde *Actuum 25. Feſtus* Præſes *Agrippæ* Regi ait: *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Gravis item peccati rei ſunt judices, qui viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum cauſas negligunt, qui lites protrahunt cum damno partium, qui facilem audientiam non præbent partibus. Quæ quidem facilitas quam ſit neceſſaria, inde intelligitur, quod judices antiquitus in porta civitatis ad judicandum ſedebant, ut nulli difficilis ad ipſos aditus eſſet, aut quiſquam civium vim, aut calumniam pati cogeretur.

Judices magno delectu a Principibus conſtituendi.

Denique graviſſimum eſſe peccatum Principum, qui pravos judices conſtituunt, & neceſſarium ea in re delectum non habent, Conſilium Pariſienſe 6. cap. 3. ex *S. Iſidoro Hiſpalenſi*, docet cujus hæc ſunt verba: „ Ad delictum pertinet Principum, qui pravos judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam ſicut populi delictum eſt, quando Principes mali ſunt, ſic Principis eſt peccatum, quando ju-

judices iniqui exiſtunt. Bonus judex ſicut nocere civibus neſcit, ita prodeſſe omnibus novit. Aliis enim præſtat cenſuram juſtitiæ, alios bonitate judicii ſine perſonarum acceptione ſuſcipit. Non infirmat juſtitiam avaritiæ flamma, nec ſtudet auferre alteri, quod cupiat ſibi. Boni judices juſtitiam ad ſolam obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, nec eam muneribus acceptis diſtribuunt; ut dum de juſto judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur „ ſ.

Magiſtratibus etiam Dei nomine denuntiandum eſt, quod quidquid judicaverint, in eos redundabit, ut de judicibus a ſe in cunctis civitatibus Juda conſtitutis ſignificavit *Joſaphat* Rex piiſſimus (2. *Paralipomenon c.* 19) *Videte* (ait) *quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite; non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.*

§. IV. *Dominorum erga ſervos officia.*

Domini ſervis debent benevolentiam.

Dominorum erga ſervos officia ſunt benevolentia ſincera, & charitas, cura illorum cum in neceſſitatibus animæ, tum corporis, diſciplina, & correctio manſuetudine temperata. De quibus præcepta variis Scripturæ locis tradit Spiritus ſanctus. Eccleſiaſt. 7. 22. 23. *Non ladas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Et cap. 33. *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua; quaſi fratrem ſic eum tracta.* Ad *Epheſios* cap. 6. ubi Apoſtolus ſervorum erga dominos officia deſcripſit, ad dominos ſermonem convertit. *Et vos Domini* (inquit) *eadem facite illis, remittentes minas; ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cœlis; & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* Ad Coloſſenſes 4. *Domini, quod juſtum eſt, & æquum, ſervis præ-*

ſtate,

ſtate, ſcientes, quod & vos Dominum habetis in cælo. Et 1. ad Timoth. 5. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Servis igitur alimenta debent domini, ſtipendiaque, de quibus inter illos conventum eſt, ſufficientia, ſecundum labores, & obſequiorum menſuram, ac regionis conſuetudinem, nec unquam ipſos mercede fraudare, aut eam apud ſe retinere, vel differre debent contra præceptum Dei, *Levitici*, cap. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* Et Deut. 24. *Eodem die reddes ei mercedem laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Tob. 4. *Quicunque tibi operatus aliquid fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Debent præterea ipſis ſubvenire cum ægrotant, ipſorum curam gerere, Centurionis exemplo, qui ad Jeſum ſupplex acceſſit, ſervi ſui valetudinem ab ipſo rogaturus (*Matth.* 8.) Non ipſos velut inutiles ſtatim ad parentes remittere, aut in Xenodochia amandare. Maxime vero eorum ſaluti conſulere debent, & curare, ut chriſtianæ fidei rudimentis imbuantur, Deique, & Eccleſiæ mandata ſciant, & opere impleant, ut mane, ac veſpere Deum orent, ut Dominicis, feſtiſque diebus ab operibus ſervilibus vacent, Miſſæ, ac veſpertino etiam, ſi fieri poteſt, officio, & doctrinæ chriſtianæ expoſitioni interſint, ut Sacramenta frequentent, ut a vitiis, quibus obnoxii ſunt, emendentur. Cum vero Deum offendunt, illos corripere debent, & cum delicti gravitas poſtulat, caſtigare, non identidem pro levibus culpis verberare, aut durioribus verbis excipere. Patres tandem ſe ipſis, ac paſtores exhibere debent, ipſiſque ut filiis ad colendum, & promerendum Deum conſulere, ipſos verbo, & exemplo ad Deum ducere, ut illud Eccleſiaſt. 18. 13. impleant: *Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.*

Domini curam gerere debent ſervorum in ſpiritualibus, & temporalibus.

Et cap. 4. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*

Hæc omnia confirmat *S. August.* lib. 19. *De Civitate Dei*, cap. 14. „ „ Quia (*inquit*) duo præcipua præcepta hoc est, dilectionem Dei, & dilectionem proximi docet magister Deus, in quibus tria invenit homo, quæ diligat, Deum, seipsum, & proximum, atque ille in se diligendo non errat, qui diligit Deum; consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic cæteris, quibus potuerit, hominibus, & ad hoc sibi a proximo, si forte indiget, consuli velit; ac per hoc erit pacatus, quantum in ipso est, omni homini, pace hominum, id est, ordinata concordia; cujus hic ordo est, primum ut nulli noceat, deinde ut etiam prosit, cui potuerit. Primitus ergo inest ei suorum cura; ad eos quippe habet opportuniorem, faciliorem-que aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius
1. Tim. 5. societatis humanæ. Unde Apostolus dicit: *Quisquis autem suis, & maxime domesticis non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est, ordinata imperandi, obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim, qui consulunt; sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem, quibus consulitur; sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo justi, viventis ex fide, & adhuc ab illa cœlesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi misericordia „ „.

Quod spectat spiritualia, & æterna bona, pari dilectione servis consulere debent domini ac filiis.

Et cap. 16. „ „ Etiamsi habuerunt servos justi Patres nostri, sic quidem administrabant domesticam pacem, ut secundum hæc temporalia bona, filiorum sortem a servorum conditione distinguerent, ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, ut nomen

men patrumfamilias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc ſe nomine gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum, & promerendum Deum conſulunt, deſiderantes, atque optantes venire ad cœleſtem domum, ubi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neceſſarium non erit officium conſulendi jam in illa immortalitate felicibus; quo donec veniatur, magis debent patres, quod dominantur, quam ſervi tolerare, quod ſerviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domeſticæ paci adverſatur, corripiatur, ſeu verbo, ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ juſto, atque licito, quantum ſocietas humana concedit, pro ejus, qui corripitur, utilitate, ut paci, unde diſſiluerat, coaptetur. Sicut enim non eſt beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum, quod majus eſt, amittatur, ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non ſolum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipſe, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo „„.

Idem confirmat *S. Gregorius*, Paſtoralis Curæ p. 3. Admonitione 6. „„ Aliter (*inquit*) admonendi ſunt ſervi, atque aliter domini. Servi ſcilicet, ut in ſe ſemper humilitatem conditioni aſpiciant: Domini vero, ut naturæ ſuæ, qua æqualiter ſunt cum ſervis conditi, memoriam non amittant. Servi admonendi ſunt, ne dominos deſpiciant, ne Deum offendant, ſi ordinationi illius ſuperbiendo contradicunt: Domini quoque admonendi ſunt, quia contra Deum de munere ejus ſuperbiunt, ſi eos, quos per conditionem tenent ſubditos, æquales ſibi per naturæ conſortium non agnoſcunt. Iſti admonendi ſunt, ut ſciant ſe ſervos eſſe dominorum; illi admonendi ſunt, ut cognoſcant ſe conſervos eſſe ſervorum „„.

Servi, qui pravis ſunt moribus nec ad meliorem frugem redire volunt, ex familia ejiciendi. Pſal. 100.

Servos autem, qui pravis ſunt moribus, nec ad meliorem frugem redire volunt, ſed familiæ ſcandalo ſunt, patresfamilias ejicere ex domo debent, ſolutiſque ſtipendiis dimittere tenentur; alioqui gravis peccati rei ſunt coram Deo, ſi ganeones foveant, & peſtes hominum in familia retineant. Dicant igitur cum Davide: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum; ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit.* Servis namque utebatur iis, *Qui virtutis ſtudioſi erant, & cuiuslibet ſceleris expertes* (inquit *Theodoretus* in hujus Pſalmi Commentario.) Ita ſe geſſit *Conſtantinus Auguſtus* magni *Conſtantini* pater, qui homines ad idolorum cultum propenſos a miniſtrorum ſuorum, ac ſervorum albo expunxit, & regiis ex ædibus ejecit; illos vero ſolos retinuit, quos Deo fideles probaverat, teſte *Euſebio* lib. 1. *De vita Conſtantini*, cap. 17. „ „ Nam quomodo (*inquiebat*) fidem erga Principem ſuum ſervaturi ſunt, qui erga Deum perfidi eſſe deprehenduntur? Itaque ejuſmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos eſſe cenſuit. Illos vero quos Deo dignos eſſe veritatis ipſius teſtimonio conſtaret, eodem erga Principem animo futuros eſſe affirmans, protectores, atque imperii ipſius cuſtodes conſtituit, ejuſmodi homines inter præcipuos amicorum, & maxime neceſſarios habendos eſſe dicens, multoque pluris æſtimandos, quam maximarum opum theſauros „ „.

Concilium denique Mediolanenſe 3. ſub *S. Carolo Borromæo*, tit. *De iis, quæ ad matrimonii Sacramentum pertinent*, agens de officiis patrisfamilias: „ „ Ne patiatur (*inquit*) in familia eſſe quempiam, qui blaſphemus ſit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obſcœne quidquam vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat „ „.

§. V.

§. V. *Toparcharum erga Vaſſallos officia.*

Toparchæ, ſive oppidorum, villarum, pagorum Domini, de nobilitate ſua, divitiis, & poteſtate extolli non debent, ſed in conſpectu Dei humiles eſſe, ſubditos ſuos diligere ſinceræ charitatis affectu, illorum ſaluti conſulere, temporalibus etiam utilitatibus, pro viribus providere, curare, ut optimi paſtores parochiis ſuis præficiantur, ut Concionatores in illas mittantur Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, extraordinariæ etiam Miſſiones interdum fiant Epiſcoporum auctoritate ad plebem inſtruendam, & chriſtianæ vitæ præceptis informandam atque Sacramentis expiandam, ſumptus etiam pro ſua parte ad pium iſtud opus contribuere, nec non ad ſcholarum in ſuis oppidis, & pagis inſtitutionem, in quibus puellæ ſeorſim a pueris inſtituantur, iſti a Sacerdotibus, aut Clericis, ſeu integræ vitæ Laicis, illæ a piis mulieribus, quæ ipſas non ſolum rudimenta fidei & doctrinam chriſtianam, legendique, & ſcribendi artem, ſed aliquod etiam opificium doceant ex iis, quæ mulieribus conveniunt. Parochos, alioſque viros eccleſiaſticos tueri tenentur; jus unicuique ſubditorum ſuorum, quantum in ipſis eſt, reddere, neminem opprimere, concutere, gravare, ſumptus ſuos ſecundum redditum ſuorum, ac facultatum menſuram moderari, debita diligenter ſolvere, quæ ſi accumulent, & ſumptus non moderentur, lethalis peccati rei ſunt, nec abſolvi ſacramentaliter debent. Gravis etiam peccati rei ſunt, ſi parochos, aut eorum Vicarios ſolitas Miſſæ parochialis, aut aliorum officiorum divinorum horas mutare compellant, contra *Caroli IX.* chriſtianiſſimi Regis edictum datum Pariſiis anno 1571. Lethalis item peccati rei ſunt Toparchæ, qui juriſdictiones habent dominiis ſuis, ac terris annexas, ſi judices, ſcientia, prudentia, experientia neceſſaria deſtitutos, vel iniquos, & improbos conſtituant, aut eorum incapacitate, vel iniquitate cognita, illos non amoveant. Ipſis enim

injuſtæ ſententiæ, quas hujuſmodi homines protulerint, imputantur, & non ſolum in divino judicio propterea pœnas dabunt, ſed etiam ſecundum Regum chriſtianiſſimorum Conſtitutiones mulctantur. Obſervare denique tenentur id, quod ipſis Concilium Turonenſe 3. anno 813. can. 49. qui in lib. 2. Capitularium, cap. 44. tranſcriptus eſt, præſcribit: „„ Admonendi ſunt Domini ſubditorum, ut circa ſuos pie, & miſericorditer agant, nec eos qualibet injuſta occaſione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſte tollant; nec ipſa debita, quæ a ſubditis reddenda ſunt, impie, ac crudeliter exigantur „„. Debent lites inter ſuos ſubditos, ac vaſſallos impedire, componere, finire, diſſidentes ad pacem, & concordiam revocare, illos compellere, ut concubinas, ſi quas habent, ejiciant, meretrices e terris ſuis expellere, pravas conſuetudines divinis, aut eccleſiaſticis legibus contrarias, ea qua pollent auctoritate, abrogare, curare, ut piæ confraternitates inſtituantur ad pietatem promovendam, & fovendam, pietatis, temperantiæ, juſtitiæ exemplo omnibus prælucere, divinæ illius ſententiæ memores; *Secundum judicem populi; ſic & miniſtri ejus; & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Eccl. 10. 3.

De Toparcharum, nobilium, & Optimatum officiis breves tradit regulas venerabilis *Gerſonius* in Tractatu *De modo vivendi omnium Fidelium*: Conſideratione 1. Regula 1. quæ ſpectat ad nobiles, potentes, & Scabinos: „„ Ne pauperes videlicet per potentiam ſuam opprimant, & a ſubditis ſuis opprimi permittant. Malos uſus in villis ſuis deſtruant. Cauſas pauperum, viduarum, & orphanorum libenter audiant, & cito juſte judicent. Munera pro judicio faciendo, vel feſtinando, aut retardando non accipiant. Nil a ſubditis ſuis extorqueant „„.

Et conſideratione ſeptima: Regula divitum: „„ Ne aliquid injuſtum acquirant. Ne propter divitias ſuas vicinos pauperes deſpiciant. Pauperes ſuſtineant. Operara-

rariis ſuis bene, & cito perſolvant. Adulatores, neque adulatrices in menſa recipiant. Diligenter, & libenter ad concordiam vicinorum ſuorum laborent „„

ARTICULUS III.

Regulæ circa quartum Decalogi præceptum.

REGULA I.

Lethalis peccati rei ſunt, qui parentibus maledicunt, qui ipſos verberant, ſpernunt, vel irrident, aut de ipſis erubeſcunt. Graviter etiam peccant, qui parentibus mærorem creant, aut ſenectutis illorum infirmitates impatienter ferunt.

Scriptum eſt enim Lev. 20. 9. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: Patri, matrique qui maledixerit, ſanguis ejus ſit ſuper eum.* Quam grave fuerit crimen impii Cham, qui videns *verenda patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras*, oſtendit maledictio, quam Noe Chanaan ejus filio, & illius poſteris intulit, quamque Deus confirmavit; cum contra benedictionem promeriti ſint Sem, & Japhet: *Qui pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui, faciesque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderunt.* Scriptum eſt Eccleſ. 3. *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim eſt tibi gloria, ſed confuſio. Gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filii pater ſine honore. Fili, ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua; eleemoſyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris* (id eſt, pro illius defectu, aut moroſa indole, quam toleras) *reſtituetur tibi bonum, & in juſtitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui, & ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua. Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem.* Graviter etiam peccant filii conjugati, cum uxoribus ſuis reverentiam

De honore parentibus debito.

Geneſ. 9.

erga patrem, & matrem ſuam, non imperant, aut eas non corripiunt, & emendant, ſi quando debitam illis reverentiam violaverint: imitantur enim impium *Eſau*, qui duxit uxores *Judith* & *Baſemath*, *quæ amba offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ*, ut refertur Geneſ. 26. 34. 35.

Denique Prov. 30. 17. ſcriptum eſt: *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.*

REGULA II.

Lethaliter peccant filii, qui parentes egenos deſerunt religionis prætextu.

Prima pars hujus Regulæ nititur can. 16. Concilii Gangrenſis, relato diſt. 30. canone *Si qui filii*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Si qui filii parentes, maxime fideles, deſeruerint, occaſione Dei cultus, hoc juſtum judicantes eſſe, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt; anathema ſit „ „. Præpoſtera certe pietas eſt, imo vera impietas, mandata Dei violare, aut negligere, ſpecie implendi conſilia.

Id confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 3. quæſt. 6. art. 2. „ „ Qui nondum religionem intravit, ſi videat patrem ſuum in magna neceſſitate, cui per alium ſubveniri non poſſit, non debet religionem intrare, ſed tenetur miniſtrare parentibus. Si vero per alium poſſit ejus parentibus miniſtrari, poteſt, ſi vult, religionem intrare „ „. Unde *S. Chryſoſtomus*, exponens illud *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, dicit, *quod* „ „ Malum eſt abducere hominem a ſpiritualibus, & maxime cum fuerint, qui miniſterium parentum compleant; erant enim alii, qui complere poſſent illius funeris ſepulturam „ „. Colligitur quoad ſenſum ex verbis *Chryſoſtomi* Homilia 28. in Matthæum, & 2. 2. quæſt. 189. art. 6. ait: „ „ Parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis commode

mode aliter, quam per obſequium filiorum ſubveniri non poſſit, non licet filiis, prætermiſſo parentum obſequio, religionem intrare „ „.

REGULA III.

Religioſus Profeſſus parentibus ſuis ad inopiam redactis ſubvenire tenetur; quantum poteſt, ſalva obedientia: ſed e clauſtrò egredi non poteſt abſque Superiorum ſuorum licentia, ut illis ſubveniat.

Sic reſpondet *S. Thomas*, quodlibeto 3. qu. 6. art. 2. „ „ Poſtquam (*inquit*) aliquis eſt jam in religione profeſſus, eſt mortuus mundo; unde per ſpiritualem mortem deobligatur a cura impendenda parentibus, ſicut etiam deobligaretur per mortem corporalem; & ideo non peccat, nec contra Dei præceptum agit, ſi in clauſtro remaneat ſub præcepto Prælati ſui, parentum miniſtratione prætermiſſa. Eſt enim factus impotens ad reddendum debitum miniſterium abſque propria culpa. Debet interim tamen, quantum poteſt, ſalva ordinis obedientia, ſatagere, ut per ſe, vel per alium ſuis parentibus ſubveniatur, ſi in neceſſitate fuerint conſtituti „ „.

Hanc, ſuperioremque Regulam rurſus confirmat angelicus Doctor Quodlibeto 10. qu. 5. art. 1. „ „ Dicunt aliqui (*inquit*) quod ſi aliquis habet patrem indigentem, debet ei dimittere, ſi quid habet, ad ejus ſuſtentationem, & ſic poteſt licite religionem intrare, parentum curam Patri cœleſti committens, qui etiam aves paſcit. Sed quia hæc opinio nimis videtur aſpera, ideo melius videtur dicendum, quod aut iſte, qui habet propoſitum intrandi religionem, videt ſe in ſeculo non poſſe vivere ſine peccato mortali, vel non de facili. Si timet ſibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur ſaluti animæ ſuæ providere, quam corporali neceſſitati parentum, non tenetur in ſeculo remanere. Si autem videt ſe poſſe in ſeculo converſari abſque peccato, diſtinguendum videtur; quia

ſi ſine ejus obſequio parentes nullo modo vivere poſſunt, ſic tenetur eis ſervire, & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret eos dimittens; ſi vero ſine ejus obſequio poſſunt aliqualiter ſuſtentari, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere. Secus autem eſt de illo, qui jam religionem intravit, quia cum jam ſit mortuus mundo per profeſſionem, ſolutus eſt a lege, quia in mundanis obſequiis parentibus tenebatur. In aliis autem ſpiritualibus (puta orationibus, & hujuſmodi) eis tenetur ſervire. Et hoc quod dictum eſt de introitu religionis, poteſt etiam de obſervantia virginitatis, & de aliis operibus perfectionis dici „ „.

REGULA IV.

Parricidii rei ſunt filii, qui mortem parentum optant, aſſequendæ hereditatis cupiditate; nec illos excuſat, quod eam non optent, ut parentibus malam, ſed ut ſibi utilem.

Parricidium. Cum enim Deus non ſemel morte dignum pronuntiet: *Qui maledixerit patri, vel matri*, multo magis reus eſt mortis, qui illorum mortem optat, a quibus vitam accepit, quamvis non ex odio, ſed ex cupiditate id optet. Unde Salomon Prov. 20. cum dixiſſet: *Qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*; ſtatim addit: *Hereditas, ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit.*

Id confirmat *S. Auguſt.* impium filium eſſe docens, qui mori vult patrem, quem Deus etiam vult mori. Contra vero pium eſſe filium, qui patrem vult vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Sic enim habet *Enchiridii* cap. 1. „ „ Aliquando (*inquit*) bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipſe bona multo amplius, multoque certius voluntate; nam illius mala voluntas eſſe nunquam poteſt. Tanquam ſi bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bo-

na

na voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona, velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult, quod non vult Deus, ille vero id vult, quod vult & Deus; & tamen bonæ Dei voluntati pietas illius consonat, quamvis aliud volentis, quam hujus idem volentis impietas. Tantum interest, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, ut aut probetur, aut improbetur „ „.

Merito itaque sacra Facultas Parisiensis in Censura edita die 3. Febr. anno 1665. inter alias Propositiones illam confixit, ut pietati, charitati, justitiæ contrariam, quæ parricidas filios esse negat, qui mortis parentum sibi vota permittunt, non quidem ut eorum (inquiunt) malum, sed ut causam maximi boni in se ex illa derivandi, consecutionis nimirum pinguissimæ hereditatis. Merito *Innoc. XI.* Pontifex maximus die 4. Martii anni 1679. inter alias pravæ moralis opiniones, istas Propositiones damnavit. Propositiones damnatæ.

XIV. „ Licitum est absoluto desiderio cupere mor„ tem patris non quidem ut malum patris, sed ut „ bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est „ pinguis hereditas „.

XV. „ Licitum est filio gaudere de parricidio er„ ga parentes a se in ebrietate perpetrato, propter „ ingentes divitias inde ex hereditate consecutas „.

Hanc postremam propositionem Clerus etiam gallicanus anno 1700. damnavit, ut *Falsam, scandalosam, execrandam, pietati erga parentes contrariam, viam crudelitati, & avaritiæ aperientem.*

REGULA V.

Filii, qui parentibus aliquid surripiunt, lethalis peccati rei sunt, nisi materiæ levitas veniale faciat.

Hæc Regula Spiritus sancti oraculo nititur, Prov. 28. 24. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

Eam

Eam confirmat *S. Antoninus* p. 2. tit. 1. cap. 15. §. 1. „ „ Si filiusfamilias abſtulit de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum commiſit; & ſi eſt quid notabile, mortale eſt „ „. Et in Summula Confeſſ. P. 2. *De modo interrogandi pœnitentes*, cap. 6. De ſeptimo præcepto: „ „ Si quis (*inquit*) rem aliquam occultet invito domino, non ſolum ſi abſtulit ab extraneo, ſed etiam filius a parentibus, uxor a viro, ſervus a domino, furtum eſt, & ſi eſt aliquod notabile damnum, mortale; unde tenetur ad reſtitutionem; ſecus ſi quid minimum, ut aliquos fructus, quatrinum, & hujuſmodi „ „. Tenentur autem filii ad reſtitutionem faciendam, cum propria bona habuerint, vel ipſis parentibus, vel coheredibus; niſi forte coheredes ipſos tantumdem furripuiſſe certo ſcirent.

REGULA VI.

Filii parentibus non obedientes in iis, quæ juſta ſunt, & quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam, rei ſunt lethalis peccati, ſi res præcepta ſit gravis momenti; verbi gratia, ſi pater filio præcipiat, ut certorum hominum ſocietatem vitet; ne certas domos adeat, ex quarum frequentatione periculum ejus innocentiæ, vel famæ imminere judicat; ne huic, aut illi feminæ nubat, quam ipſi convenientem, vel eo dignam non cenſet; ne aleis ludat, ut aliqua opera faciat, vel negotia gerat ad utilitatem familiæ, &c. Si mater præcipiat filiæ, ne ſola domo egrediatur, nec viros alloquatur, ne dulces literulas, aut munuſcula furtim recipiat, ne fucis utatur, ne pectus nudet, &c. ut opera aliqua diſcat, vel exerceat in Gynecæo, ut in monaſterio maneat, donec matrimonio collocari poſſit, aut vitam religioſam eligere &c. In his etiam, quæ levis alias momenti eſſe videntur, lethaliter peccant, ſi ex contemptu non obediant.

bedientia ntibus

Violant enim Dei præceptum ab Apoſtolo promulgatum, & explicatum cap. 6. Epiſtolæ ad Ephe-

Epheſios: *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt.* Et ad Coloſſ. 3. *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino.* Unde idem Apoſtolus inter alia gentium a Dei cognitione, & cultu alienarum crimina inobedientiam recenſet, ad *Romanos* cap. 1. *Parentibus* (inquit) *non obedientes.* Et 2. ad Timoth. 3. homines variis criminibus involutos deſcribens in noviſſimis diebus futuros: *Erunt* (inquit) *homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes.* Hinc Deus in lege veteri pœnam capitalem decrevit in filios contumaces, Deut. 21. 18. *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris, aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; apprendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis; lapidibus eum obruat populus civitatis, & moriatur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat.*

Hanc regulam confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 104. art. 5. „ „ Non tenentur (*inquit*) nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi. Sed in his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis; ſicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum, ſervus domino, in his quæ pertinent ad ſervilia opera exequenda; filius patri, in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam „ „.

Et quodlibeto 2. qu. 5. art. 1. „ „ Cum (*inquit*) obedientia Prælato debeatur, ad illa ſe extendit debitum obedientiæ, ad quæ ſe extendit jus prælationis; habet autem pater carnalis jus prælationis in filium; primo quidem quantum ad domeſticam converſationem; ſic enim eſt paterfamilias in domo, ſicut Rex in regno; unde ſicuti ſubditi Regis tenentur obedire Regi in

his,

his, quæ pertinent ad gubernationem regni, ita etiam filii, & alii domeſtici tenentur obedire patrifamilias in his, quæ pertinent ad diſpenſationem domus. Secundo, quantum ad morum diſciplinam; unde Apoſtolus dicit ad Hebr. 12. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & vivemus?* Debet enim pater filio non ſolum educationem, ſed etiam diſciplinam. In his ergo filius tenetur obedire patri carnali „„. Si autem in rebus, quæ levis momenti videntur, filii protervi ſint, & contumaces ex parentum contemptu, nihilominus rei ſunt peccati lethalis, quia non homines ſpernunt, ſed Deum, & præceptum de honorandis parentibus pro nihilo ducunt. „„ Honorare enim eſt, de aliquo honorifice ſentire, & quæ illius ſunt, maximi putare omnia. Huic autem honori hæc omnia conjuncta ſunt, amor, obſervantia, obedientia, & cultus „„ (*inquit Catechiſmus* Concilii Tridentini.)

REGULA VII.

Filii parentibus obedire non tenentur, cum aliquid præcipiunt contra Dei præcepta, vel conſilia evangelica.

Deo, & Eccleſiæ magis obediendum, quam parentibus.

Ipſis enim duntaxat obedire tenentur *in Domino*, ut ait Apoſtolus. Si quid autem jubeant contra Dominum, tunc ſervanda eſt illa principis Apoſtolorum regula, Act. 5. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Atque ea ratione Chriſtus parentes ſibi poſtponi jubet, Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plus, quam me, non eſt me dignus.* Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Si quis non oderit, id eſt, ſi præ Deo amaverit, illoſque Deo præpoſuerit. Quo ſenſu, & Deut. 33. Moyſes Leviticæ tribui benedicens ait: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis; Igno-*

Ignoro vos; & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.

Hanc regulam confirmant SS. Patres, *S. Hieronymus* in *Matthæum*, cap. 10. hæc verba Chriſti explicans: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, &c.* Ait enim: „ „ Qui ante præmiſerat: *Non veni pacem mittere, ſed gladium, & dividere homines adverſum patrem, & matrem, nurum, & ſocrum;* ne quis pietatem religioni anteferret, ſubjecit dicens: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me.* Et in Cantico legimus Canticorum: *Ordinate in me charitatem.* Hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt. Ama poſt Deum, patrem, ama matrem, ama filios. Si autem neceſſitas venerit, ut amor parentum, ac filiorum Dei amori comparetur, & non poſſit utrumque ſervari; odium in ſuos, pietas in Deum ſit „ „. Cant. 2.

Et in cap. 3. Epiſtolæ ad Titum: „ „ Si bonum eſt, quod præcipit Imperator, & Præſes, jubentis obſequere voluntati. Sin vero malum, & contra Deum ſapit, reſponde ei illud de actibus Apoſtolorum: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Hoc ipſum & de ſervis intelligamus apud dominos, & de uxoribus apud viros, & de filiis apud parentes; quod in iſtis tantum debeant dominis, viris, parentibus eſſe ſubjecti, quæ contra Dei mandata non veniunt „ „.

Idem Epiſt. 1. ad Heliodorum: „ „ Recordare (*inquit*) tyrocinii tui diem, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba juraſti, pro nomine ejus non te patri parciturum eſſe, non matri. Ecce adverſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera, quibus te enutrierat, mater oſtendat; licet in limine pater jaceat; per calcatum perge patrem; ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem... At contra Scriptura præcipit, parentibus obſequendum. Sed quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam

mam ſuam. Gladium tenet hoſtis, ut me perimat; & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus ejus cauſa debeo?... Aries iſte pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus eſt muro. Mater mea, & fratres mei hi ſunt, quicunque faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt. Si credunt in Chriſtum, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo; ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos. Sed hoc ais in Martyrio. Erras frater, erras, ſi putas unquam Chriſtianum perſecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis „„.

Matth. 12.

S. Auguſtinus, Epiſtola 243. alias 38. ad *Lætum* data, qui perfectum mundi contemptum aggreſſus, domeſticis neceſſitudinibus, matris præſertim affectu irretitus, a ſancti propoſiti executione retardabatur, „„ Ne ſuccenſeant (*inquit*) parentes, hoc præcipere Dominum, ut eos oderimus, quando nobis hoc de anima noſtra præcipitur. Nam ſicut nunc de anima jubetur, ut eam propter Chriſtum cum parentibus oderimus; ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque poteſt congruentiſſime convenire. *Qui amat* (inquit) *animam ſuam, perdet eam.* Dicam etiam fidenter, qui amat parentes ſuos, perdet eos. De anima quippe hoc ibi dixit, *oderit*, quod hic, *perdet*. Sicut autem hoc præceptum, quo perdere jubemur animam noſtram, non ad id valet, ut ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt; & tamen valet, ut interimat in ſe carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ præſens vita delectat; hoc eſt enim, quod dictum eſt, oderit animam ſuam, & perdet eam, quod tamen diligendo fit; quandoquidem apertiſſime fructum ejuſdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens: *Qui perdiderit eam in iſto ſeculo, in vitam æternam inveniet eam*: Ita de parentibus rectiſſime dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpiritali gla-

Parentes Deo poſtponendi.

Joa. 12. 25.

gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo & ſeipſos, & eos, quos genuerunt, implicamentis hujus ſeculi obligare conantur; pie, fidenterque percutiens, & occidens, illud in eis vivere faciat, quo fratres ſunt, quo cum filiis ſuis temporalibus, parentes æternos Deum, Eccleſiamque cognoſcunt „„.

„„ Ecce rapit te ſtudium veritatis, & cognoſcendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in Scripturis ſacris; rapit evangelicæ prædicationis officium. Dat ſignum Dominus, ut vigilemus in caſtris, ut ædificemus turrim, de qua hoſtem ſempiternæ vitæ & proſpicere, & propellere valeamus. Rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium, & retinet mater. Non plane talis, qualis Machabæorum fuit, nec ſaltem ſimilis Lacedæmoniis matribus, de quibus memoriæ proditum eſt, quod filios ſuos, ut pro terrena patria ſanguinem funderent, multo amplius, atque ardentius in certamine bellico, quam ſignorum ſonitus excitabant. Nam mater, quæ te ad diſcendam vitam removeri a curis ſecularibus non permittit, ſatis oſtendit, quemadmodum te, ſi opus eſſet, ad obeundam mortem penitus ſeculum repudiare permitteret „„.

„„ Sed quid dicit, aut quid allegat? Forte decem illos menſes, quibus viſcera ejus oneraſti, & dolores parturitionis, ac labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo ſalutari, hoc perde matris, ut in vitam æternam invenias eam. Hoc memento, ut oderis in ea, ſi diligis eam, ſi tyro Chriſti es, ſi turris fundamenta poſuiſti, ne dicant tranſeuntes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere.* Carnalis enim affectus eſt iſte, & adhuc veterem hominem ſonat. Hunc carnalem affectum & in nobis, & in noſtris, militia chriſtiana, ut perimamus, hortatur; nec tamen ita ut ingratus ſit quiſque parentibus, & eadem ipſa beneficia, quibus in vitam hanc editus, ſuſceptus, atque nutritus eſt, enumerata derideat. Servet potius ubique pietatem. Habent hæc locum, ubi majora non vocant „„.

Carnalis parentum affectus.

Lucæ 14. 30.

„ „ Mater Eccleſia, mater eſt etiam matris tuæ. Hæc vos de Chriſto concepit, hæc Martyrum ſanguine parturivit, hæc in ſempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutrivit, & nutrit, ciboſque majores præparans, quod adhuc parvuli, & ſine dentibus vagire vultis, horreſcit. Hæc mater toto orbe diffuſa, tam variis, & multiplicibus errorum infeſtationibus agitatur, ut abortivi jam filii ejus adverſus eam infernis armis belligerare non dubitent. Ignavia etiam, atque torpore quorumdam, quos gremio continet, membra ſua frigeſcere plurimis in locis, & fovendis parvulis minus idonea fieri dolet. Unde niſi per alios filios, unde niſi per alia membra, quorum e numero es, juſtum, ac debitum poſcit auxilium? Hujuſne tu neceſſitates deferens, ad carnalia verba converteris? Nonne hæc gravioribus querelis inſonat auribus? Nonne hæc chariora viſcera, & cœleſtia ubera oſtentat? Adde viri ejus ſuſceptionem carnis, ne carnalibus inhæreres, & a verbo æterno univerſa, quæ tibi mater improperat, ne his implicareris aſſumpta; adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis „ „.

„ „ Talibus concepte ſeminibus, talique in vitam novam connubio procreate, langueſcis, & contabeſcis in veterem hominem? Itane matrem terrenam non habebat imperator tuus? Quæ tamen, cum ei nuntiaretur agenti cœleſtia, reſpondit: *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit, non pertinere ad cognationem ſuam, niſi qui facerent voluntatem Patris ejus. In quo numero profecto etiam ipſam Mariam benignus includit; faciebat enim & illa voluntatem Patris. Ita optimus magiſter, atque divinus, & maternum nomen, quo ei quaſi privatum, propriumque nuntiaverant, quia terrenum erat, in comparatione cœleſtis propinquitatis abjecit; & eamdem cœleſtem propinquitatem in diſcipulis ſuis commemorans, quo ſibi rurſum conſortio generis cum cæteris Sanctis Virgo illa cohæreret, oſtendit „ „.

Matth. 12. 48.

„ „ Hæc ergo interrumpuntur vocibus matris tuæ,

&

& inter hæc locum invenit commemoratio prægnantis; atque lactantis, ut de Adam & Eva alius Adam naſcereris, & nutrireris? Reſpice potius, reſpice Adam ſecundum de cœlo, & porta, cujus jam cœleſtis imaginem, ſicut terreni portaſti. Imo & hic habeant locum materna ipſa beneficia, quæ tibi ad enervationem cordis enumerantur; habeant prorſus locum; noli eſſe ingratus, repende gratiam matri tuæ, repende ſpiritalia pro carnalibus, pro temporalibus ſempiterna: Sed non vult ſequi? Non impediat. Non vult converti in melius? Cave, ne in deterius pervertat, & everſat: Quid intereſt, utrum ipſi uxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere caveatur? Nam iſta umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus ſe primum parentes noſtri in illa damnabili nuditate texerunt. Et quidquid in illis verbis, atque ſuggeſtione quaſi officium tibi charitatis oſtendit, ut a germaniſſima, atque ſinceriſſima Evangelii charitate te detorqueat, ad aſtutiam ſerpentis pertinet, & ad duplicitatem Regis illius, qui habet viginti millia, quam nos docemur decem millium, hoc eſt cordis, in qua Deum quærimus, ſimplicitate ſuperare. *Et Enarrat. in Pſalm. 70. Serm. 1:* In ea re ſola (*inquit*) filius non debet obedire patri ſuo, ſi aliquid pater ipſius jufſerit contra Dominum Deum ipſius. Neque enim debet irafci pater, quando ei præponitur Deus. Ubi autem hoc jubet pater, quod contra Deum non ſit; ſic audiendus eſt, quomodo Deus; quia obedire patri juſſit Deus „„.

S. Bernardus Epiſtola 111. *Heliæ* Monachi nomine ad ejus parentes ſcripta: „„ Sola cauſa (*inquit*) qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dixit: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Si me vere, ut boni, ut pii parentes diligitis; ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis; quid me Patri omnium Deo placere fatagentem inquietatis, & ab ejus ſervitio, cui ſervire regnare eſt, retrahere attentatis? Vere nunc cognoſco, quia *Inimici hominis domeſtici ejus.* In hoc vobis obe-

Matth. 10.

Mich. 7. & Matth. 10.

dire non debeo, in hoc vos non agnoſco parentes, ſed hoſtes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum, atque veſtrum, imo univerſorum patrem „„.

REGULA VIII.

Mali etiam Sacerdotes propter Miniſterium honorandi ſunt. Unde gravis peccati rei ſunt, qui ipſos contemnunt, vel irrident, aut ipſis detrahunt, & maledicunt.

Act. 23. Honor Sacerdotibus debitus.

Hanc Moralis chriſtianæ Regulam verbo, & exemplo *S. Paulus* docuit. Cum enim *Ananiæ* Principi Sacerdotum, qui ipſum in faciem percuti juſſerat, dixiſſet: *Percutiat te Deus, paries dealbate*, & adſtantes Apoſtolo exprobrarent, quod ſummo Sacerdoti Dei malediceret; reſpondit Paulus: *Neſciebam, fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices.* Dominus etiam noſter „„ Jeſus Chriſtus Rex, & Judex, & Deus noſter (*inquit S. Cyprianus Epiſt. 65. ad Rogationum Epiſcopum data*) uſque ad Paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervaſſent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade, & monſtra te Sacerdoti, offer donum. Humilitate ea, qua nos quoque eſſe humiles docuit, Sacerdotem adhuc appellat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item ſub ictu paſſionis, cum alapam accepiſſet, & ei diceretur: Sic reſpondes Pontifici? Nihil ille contumelioſe locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt, dicens: Si male locutus ſum, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis? Quæ omnia ab eo ideo facta ſunt humiliter, atque patienter, ut nos humilitatis, ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes veros legitime, & plene honorari, dum circa falſos Sacerdotes ipſe talis exſtitit „„. Graviſſimum ergo illorum peccatum eſt, de quibus *S. Auguſtinus* ſcribit Epiſtola 78.

alias

alias 237. ad Clerum, & plebem Hipponenſem: „„ Ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales credant, jactent, contendant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Hos ergo de noſtris doloribus ſuavitatem ſuæ malæ linguæ captantes, facile eſt, ut illis canibus comparemus, ſi forte in malo intelligendi ſunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante januam divitis jacebat, & quouſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ laborioſa, & indigna omnia tolerabat „„. Luc. 16.

Imitanda potius *Conſtantini* magni Imperatoris pietas, cui cum in Nicænæ Synodi exordio Ariani libellos adverſus catholicos Epiſcopos porrexiſſent, cunctos libellos comburi juſſit, dicens: „„ Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus judicari; propter quod Dei ſolius inter vos exſpectate judicium, & veſtra jurgia quæcunque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati eſtis Dii; & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos; ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat* „„. Refert *Rufinus* lib. 1. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 1. Addit *Theodoretus* lib. 1. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 11. *Conſtantinum* jurejurando affirmaſſe, ſe ne verbum quidem libellorum legiſſe: „„ Nefas enim eſſe, ajebat, ut Sacerdotum delicta ad vulgi notitiam pervenirent, ne populus offendiculi occaſionem inde arripiens, licentius ad flagitia prorumperet: *Iſtud quoque adjeciſſe dicitur*: Se, ſi Epiſcopum adulterium perpetrantem oculis ſuis videret, Conſtantini magni erga Sacerdotes reverentia. Pſal. 81. 1.

ret, illegitimum facinus paludamento ſuo obtecturum eſſe, ne hujus facinoris ſpectaculum ipſis ſpectatoribus noxium eſſet „ „.

Infania illorum, qui ex pravis miniſtrorum Eccleſiæ moribus vitiis ſuis quærunt auctoritatem.

Lugenda vero illorum inſania eſt, qui ex pravis moribus præpoſitorum, & miniſtrorum Eccleſiæ vitiis ſuis quærunt auctoritatem. „ „ O miſeros homines, qui hos intuendo Chriſtum obliviſcuntur! Qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi, qui ea, quæ dicunt, non faciunt; & traditorem ſuum tolerans, uſque in finem, etiam ad evangelizandum cum cæteris miſit. Tam ſunt autem illi abſurdi, & præpoſteri, & miſeri, qui præpoſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicata Domini præcepta ſervare, quam ſi quiſquam viator remanendum ſibi eſſe exiſtimet in itinere, cum viderit milliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare; cur enim non potius, ſi pervenire deſiderat, tales comites intuetur, & conſequitur, qui & viam bene demonſtrant, & in ea perſeveranter, atque alacriter ambulant? Quod ſi iſti deſint, vel potius minus appareant, nam deeſſe non poſſunt; non enim ſic quærunt homines charitate ſtudioſa, quod prædicent ad imitationem, quomodo quærunt iniquitate ſuſpicioſa, quod murmurent ad deceptionem, partim non invenjendo bonos, dum ipſi mali ſunt; partim timendo invenire, dum mali eſſe ſemper volunt. Sed tamen concedamus non apparere nunc homines dignos imitatione. Quiſquis hoc putas, mente Dominum intuere, qui homo factus eſt, ut hominem vivere doceret... Chriſtum animo attende, attende Apoſtolos, quorum noviſſimus eſt ille, qui dicit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Attende animo tot Martyrum millia... Ibi videbis non ſolum viros, ſed etiam feminas, poſtremo pueros, & puellas, nec imprudentia decipi, nec iniquitate perverti, nec periculi timore frangi, nec ſeculi amore corrumpi. Ita te non invenientem, quid excuſes, non ſolum præceptorum inevitabilis rectitudo,

1. Cor. 4. 16.

tudo, ſed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circumdabit „ „. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Sermone 351. alias quinquageſimo inter Homilias 50.

REGULA IX.

Lethalis peccati rei ſunt parentes, qui filiorum ſuorum curam prorſus abjiciunt, illoſque exponunt.

Quam grave peccatum filios exponentium.

Crimen iſtud ethnicis exprobrabant ſæpe veteres Patres, ſcilicet *Tertullianus*, Apologetici cap. 9. „ „ Imprimis (*inquit*) filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis neceſſe eſt quandoque memoriam diſſipari, & ſimul error impegerit, exinde jam tradux proficiet incelti, ſerpente genere cum ſcelere „ „.

Minucius Felix, in octavio: „ „ Merito igitur inceſtum penes vos ſæpe deprehenditur, ſemper admittitur. Etiam neſcientes miſeri poteſtis in illicita proruere, dum venerem promiſcue ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios inerrare „ „.

Lactantius lib. 5. cap. 9. „ „ Non enim (*inquit*) de noſtro, ſe de illorum numero ſemper exiſtunt, quia vias obſideant armati, maria prædentur, vel ſi palam graſſari non licuit, venena clam temperent; qui uxores necent, ut dotes eorum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant; qui natos ex ſe pueros, aut ſtrangulent, aut ſi nimium pii fuerint, exponant „ „.

Et lib. 6. cap. 20. „ „ Quid illi (*inquit*) quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus objiciunt; & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit? Qui, etiamſi contingat ei, quod voluit, ut alatur, addixit certe ſanguinem ſuum, vel ad ſervitutem, vel ad lupanar? Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in utroque

ſexu, vel per errorem, quis non intelligit, quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt exponere, quam necare „„.

S. Baſilius Epiſt. ad *Amphilochium*, Canone 33. „„ Mulier, quæ in via peperit, & ſui fœtus curam non geſſit, cædis crimine teneatur. *Et Canone* 52. Quæ fœtus in via nati curam non geſſit, ſi cum poſſet quidem ſervare, neglexerit, vel ſe ideo peccatum celare exiſtimans, vel etiam omnino belluina, & inhumana cogitatione impulſa, tanquam propter homicidium judicetur „„.

S. Ambroſius, lib. 5. *In Hexameron* cap. 18. „„ Diſcant (*inquit*) homines amare filios ex uſu, & pietate cornicum, quæ etiam valentes filios comitatu ſedulo proſequuntur; & ſolicitæ, ne teneri forte deficiant, cibum ſuggerunt, ac plurima temporis nutriendo officia non relinquunt. At vero feminæ noſtri generis cito ablactant etiam illos, quos diligunt; aut ſi ditiores ſunt, lactare faſtidiunt. Pauperiores vero abjiciunt parvulos, & exponunt, & deprehenſos abnegant... Quis docuit niſi homo filios abdicari „„?

S. Auguſtinus, lib. 1. *De Nuptiis, & Concupiſcentia*, cap. 15. ait excuſari conjuges, & venialem habere culpam, qui voluptatis cauſa miſcentur. „„ Quia etſi non cauſa propagandæ prolis concumbitur; non tamen hujus libidinis cauſa propagationi prolis obſiſtitur, ſive voto malo, ſive opere malo. Nam, qui hoc faciunt, quamvis vocentur conjuges, non ſunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudinis obtendunt. Produntur autem, quando eo uſque progrediuntur, ut exponant filios, qui naſcuntur invitis. Oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cum in ſuos ſævit, quos nolens genuit tenebroſa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifeſta crudelitate convincitur „„.

Apud Thebanos partum expoſuiſſe, capitale erat, ut

ut de illis refert *Ælianus* lib. 2. *Variarum Hiſtoriarum*, cap. 7. quod cum chriſtianorum Principum legibus congruit.

Prava Platonis doctrina de filiorum expoſitione.

Inſipiens certe *Plato*, qui contrarium ſenſit, ac filiorum recens natorum expoſitionem permiſit. Ajebat enim, viros, ac mulieres, dum præſcriptum a ſe gignendi tempus excederent libere poſſe convivere, hoc tamen excepto, ne quem amplius conceptum fœtum in lucem ederent; ſi quis autem inſtitutum hoc violaſſet, ut fœtum ad partum perduceret, ita eum exponi, ut omni alimento careret. Quam legem merito ſugillat *Theodoretus*, lib. *De Græcarum Affectionum curatione*, Serm. 9. *De Legibus*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Quis Echetus, vel Phalaris tales leges tulit? Quis tam cruentas cædes, ut legitimas, patravit unquam? Nam qui prohibet fœtus in lucem edi, abortivis profecto pharmacis infantes necari jubet. Eos autem, qui lethalis poculi vim ſuperarint, in lucemque editi ſint, ita exponi, ut nec minima illorum cura geratur, ſed fame, gelu ve intereant, aut ferarum dentibus diſcerpantur, quem exceſſum crudelitatis non ſuperat „ „ ?

Filios quidem exponi potius, quam necari, optandum, ut minus malum ad evitandum gravius, ſcilicet parricidium; ſed non ideo inſontes, & a labe peccati mortalis, ac legum cenſura immunes ſunt parentes, qui filios exponunt. Hæc mens erat Epiſcoporum, qui Canonem illum condiderunt a *Burchardo* Wormatienſi Epiſcopo relatum lib. 3. Canone 20. & Concilio Matiſconenſi tributum, (cum tamen in Matiſconenſibus, quos habemus, Conciliis non extet.) „ „ Hoc ſancto Concilio decretum eſt (*inquit*) ut unuſquiſque Presbyter in ſua plebe publice annuntiet, ut ſi aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam diabolo coarctante, filium, aut filiam ſuam interficiat; ſed quocunque prævalet ingenio, ante januas Eccleſiæ partum deportari, ibique poni faciat; ut coram Sacerdote in craſtinum delatus, ab aliquo fideli ſu-

ſcipiatur, & nutriatur; & tali ex cauſa homicidii reatum, & quod majus eſt, parricidium evadat; nam qui filium, aut filiam interficit, parricida omnimodis tenetur „„.

Concilium Gangrenſe Canone 15. Anathemate percellit parentes, qui filios ſuos relinquunt, nec enutrire curant & inſtituere, prætextu divini cultus, & continentiæ; quanto magis execratum eſſet, ac damnaſſet eorum impietatem, qui filios exponunt? „„ Si quis (*inquit*) filios ſuos relinquens non eos enutrit, &, quod ad ſe pertinet, non ad pietatem divini cultus informat, ſed per occaſionem continentiæ negligit; anathema ſit „„.

REGULA X.

Lethalis peccati rei ſunt parentes, qui filios ſuos in eodem ſecum lecto collocatos ex ſomnolentia opprimunt; vel tam negligenter educant, ut in ignem, vel aquam cadant, aliove ſimili caſu extinguantur; vel quorum incuria ſine Baptiſmo moriuntur.

Incuria parentum in ſervanda filiorum vita.

Gravem pœnitentiam parentibus hujuſmodi negligentiæ reis imponit vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Auguſtino* editum, tit. 1, cap. 29. „„ Oppreſſiſti infantem tuum ſine voluntate tua; aut pondere veſtimentorum tuorum ſuffocaſti, & hoc ſi poſt Baptiſmum factum fuerit, quadraginta dies in pane, & aqua, & oleribus pœniteas, atque leguminibus; & a conjuge abſtineas, donec illi quadraginta dies pertranſeant. Poſt tres annos pœniteas per legitimas ferias, & tres Quadrageſimas in anno obſerves. Quod ſi ante Baptiſmum infans oppreſſus fuerit, proximos quadraginta dies pœniteas, poſtea vero quinquennium expleas „„.

Et cap. 30. „„ Inveniſti infantem tuum juxta te oppreſſum, ubi tu, & vir tuus ſimul in lecto jaciiſti, & non apparuit utrum a patre, ſeu a te ſuffocatus eſſet, non debetis ſecuri eſſe, nec eſſe ſine pœni-

nitentia. Sed tamen in his magna conſideratio debet eſſe pietatis, ubi nulla mala voluntas fuit, ſed propria mors; tamen propter negligentiam quadraginta dies debetis pœnitere. Si autem vos non latet interfectores eſſe infantis, non voluntate ſed negligentia, tres annos pœnitere debetis; unum ex his in pane, & aqua, & tempore pœnitudinis ab omni luxuria vos cuſtodire debetis „ „.

Et cap. 31. „ Cujus parvulus ſine Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum „ in pane, & aqua „.

Hos Canones S. *Carolus Borromæus* refert in inſtructionibus *De Sacramento pœnitentiæ, ad* 5. *Decalogi præceptum.*

Id confirmat Can. *Conſuluiſti*, cauſa 2. qu. 5. quod *Stephani V.* Pontificis maximi reſponſum eſt: „„ Monendi ſunt (*inquit*) parentes, ne tam tenellos ſecum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimentur, unde ipſi homicidii rei inveniantur... Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus ſe noxios, tua eos caſtiget moderatio. Quia ſi ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit; quanto magis, qui unius ſaltem diei puerum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit „ „?

Et *Lucius III.* cap. *De Infantibus*, Ext. *De his, qui filios occiderunt*, reſpondet: „„ De infantibus, qui mortui reperiuntur, cum patre, & matre; & non apparet, utrum a patre, vel a matre oppreſſus ſit ipſe, vel ſuffocatus, vel propria morte defunctus; non debent inde ſecuri eſſe parentes, nec etiam ſine pœna; ſed tamen conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuerit. Si autem eos non latet ipſos interfectores eſſe, ſcire debent ſe graviter deliquiſſe. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant eſſe debere, quorum unum peragant in pane, & aqua „ „.

Idem confirmat collectio Canonum ab *Iſaac* Epiſcopo Lingonenſi adornata, tit. 2. *De Homicidio*, Can. ul

ultimo: „„ Mulier, quæ dormiens filium ſuum oppreſſerit, & mortuus fuerit, ſex annis pœniteat. Vir ejus, ſi in domo illius fuit, quatuor; ſi vero in uno lecto, ſimili modo pœniteat; duos in pane, & aqua, reliquos quatuor, ſecundum quod Sacerdos viderit, abſtinentiam imponat ciborum „„.

Idem confirmat ex Synodo Senonenſi anno 1524. „„ Proli oppreſſioni, quæ ex indiſcretione parentum frequenter contingit, obviare volentes, ſtatuimus, quod omnes Eccleſiarum rectores ſæpe in ſuis Pronis injungant ſuis parochianis, ut curam ſolicitam habeant de infantibus in cunabulis exiſtentibus, ne inde periculum eveniat: inhibeantque ſuis parochianis, ne pueros ſecum in lectis ſuis jacere permittant, antequam ad biennium pervenerint. Quod ſi negligentes fuerint, Deo rationem reddent, & pœna arbitraria punientur „„.

Et ex Synodo Pariſienſi anno 1557. „„ Presbyteri (*inquit*) hortentur matres, ac nutrices, ne infantes ante biennium ſecum dormire ſinant, ne forte illarum incuria præ ſomno, ut ſæpiſſime contingit, perimantur. In quibus ſi negligentes fuerint, Deo primum tanquam de homicidio rationem reddent, & pœna condigna plectentur „„.

In Diœceſi Pariſienſi, & pleriſque aliis Diœceſibus pene omnibus, *Oppreſſio parvulorum per incuriam*, Caſus eſt Epiſcopo reſervatus. In pleriſque iſtius peccati rei ſiſtere ſe tenentur in Eccleſia cathedrali feria 4. Cinerum publicam pœnitentiam accepturi, & die Cœnæ Domini ſolemni ritu abſolvendi.

Denique *S. Antoninus* in Summa Confeſſorum P. 1. Interrog. De quinto præcepto Decalogi, cap. unico: „„ Si mater (*inquit*) vel nutrix ſuffocat filium, vel filiam, quam tenet juxta ſe, inadvertenter opprimat; mortale eſt propter negligentiam; & eſt epiſcopalis caſus „„.

REGULA XI.

Graviter peccant parentes, qui ob ſecundarum Nuptiarum ſocietatem filiorum ſuorum ex primo thoro ſuſceptorum educationem negligunt. Hanc

Hanc Moralis chriſtianæ Regulam tradit *S. Baſilius* Hom. 9. in Hexameron, cujus hæc ſunt verba: „„ Si lupus pro ſuis catulis pugnat, quidnam ipſe dixerit homo, ſi neque mandatis obtemperat, & naturam ipſam adulterat, cum aut filius ſenectutem patris intoleranda aſpergit ignominia, aut pater ob ſecundarum Nuptiarum ſocietatem, priorum oblivi-ſcitur filiorum „„?

Et *Baſilium* imitatus *S. Ambroſius* lib. 6. in *Hexameron*, cap. 4. „„ Natura (*inquit*) hoc beſtiis infundit, ut catulos proprios ament, fœtus ſuos diligant. Neſciunt illæ odia novercalia, nec mutato concubitu parentes a ſobole depravantur, neque noverunt præferre filios poſterioris copulæ, ſuperioris autem negligere. Norunt pignora ſua, neſciunt charitatis differentiam, odiorum incentiva, offenſionum diſcrimina... Quid dicit homo, qui mandatum negligit, naturam obliterat? Filius patrem deſpicit, pater abdicat filium; & hoc putant jus eſſe, ubi damnatur fœcunditas. Se potius pater damnat, qui facit irritum eſſe, quod genuit „„.

REGULA XII.

Gravis peccati rei ſunt parentes, qui paterna providentia filiis ſuis non conſulunt, ſed eorum neglecta collocatione, & fortuna, bona ſua dilapidant; aut tam multa extraneis conferunt, ut filios ſuos neceſſariis vitæ hujus ſubſidiis eorum ſtatui, & conditioni convenientibus fraudent, aut ſine cauſa exheredent.

Ut enim ait *S. Baſilius* in Pſalmum 7. „„ Debetur liberis a parente ſecundum naturalis amoris affectum ſuſtentandæ vitæ providentia, ſive proventus. Parentum enim eſt (*inquit*) colligere, ſive thelaurum recondere liberis, ut præter hoc, quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi ſubſidia ſubminiſtrent „„. Ex quibus etiam patet, gravis peccati reos eſſe parentes pauperes, qui arte aliqua ad conquirenda vitæ hujus ſubſidia filios ſuos inſtruere negligunt.

Hanc

Hanc Regulam confirmat *S. Auguſt.* Epiſt. 262. alias 119. ad *Ecdiciam*, quæ marito ſuo abſente, atque neſciente, omnia, vel pene omnia, quæ habebat, neſcio, quibus duobus tranſeuntibus monachis tanquam pauperibus eroganda donaverat. „„ Quid mirum (*inquit*) ſi pater communem filium nolebat hujus vitæ ſuſtentaculis a matre nudari, ignorans quid ſectaturus eſſet, cum in ætate grandiuſcula eſſe cœpiſſet; utrum monachi profeſſionem, an eccleſiaſticum miniſterium, an conjugalis neceſſitudinis vinculum? Quamvis enim ad meliora excitandi, & erudiendi ſint filii ſanctorum unuſquiſque tamen proprium donum habet a Deo, alius ſic, alius autem ſic. Nihi forte talia proſpiciens, & præcavens reprehendendus eſt pater, cum beatus Apoſtolus dicat: *Qui ſuorum autem ſuis, & maxime domeſticis non provident, fidem denegat, & eſt infideli deterior.* Cum vero de faciendis ipſis eleemoſynis loqueretur, ait: *Non ut aliis refectio ſit, vobis autem anguſtia.* Pariter ergo conſilium de omnibus haberetis, pariter moderamini, quid thesaurizandum eſſet in cœlo, quid ad vitæ hujus ſufficientiam vobis, & veſtris, veſtroque filio relinquendum, ne aliis eſſet refectio, vobis autem anguſtia. Et in his diſponendis, atque faciendis, ſi quid tibi forte melius videretur, ſuggereres viro reverenter, ejuſdemque auctoritatem tanquam tui capitis ſequereris obedienter „„.

1. Tim. 5.

2. Cor. 8

REGULA XIII.

Quamvis parentes quandoque ſecundum legis, aut conſuetudinis municipalis indulgentiam, unum filiorum præ aliis bonis temporalibus augere poſſint, ejuſque ſortem efficere meliorem; id tamen ut faciant, plerumque non expedit, ſed in ſingulos dividere debent hereditatem, ſecundum quod lege, aut conſuetudine præſcriptum eſt.

De parentum officiis erga liberos.

Parentum enim in filios inæqualis amor, & alios præ aliis augendi, ac locupletandi ſtudium, odia filiorum in parentes, fratrumque inter ſe diſſidia impla-

placabilia ſæpe parit. Unde quidquid leges hac in ſpecie parentibus permittant, memores eſſe debent apoſtolicæ illius ſententiæ: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: Alioqui fieri poteſt, ut præpoſtero affectu gravis peccati coram Deo rei ſint, ipſiſque imputentur filiorum peccata inde oritura. 1. Cor. 6.

Hanc regulam confirmat *S. Ambroſius*, lib. 1. *in Hexameron cap.* 18. „ „ Quis (*inquit*) reperit tam immitia patrum jura? Quis inter naturæ fraterna conſortia fratres impares fecit? Alius totius paternæ ſortis adſcriptionibus inundatur; alius opulentæ hereditatis patriæ deplorat exhauſtam, atque inopem portionem. Nunquid natura diviſit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad naſcendi, atque vivendi poſſit habere ſubſtantiam. Ipſa vos doceat non diſcernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquaſtis. Etenim quibus dedistis communiter eſſe, quod nati ſunt, non debetis his, ut id communiter habeant, id quod a natura ſubſtituti ſunt, invidere „ „.

Et lib. 2. *De Jacob, & vita beata*, cap. 2. „ „ Sed nec parentes nobis inexcuſati relinquendi ſunt, quod juniorem filium ſeniori prætulerint. Simul cavendum, ne quis dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat judicium; aut alterum diligendum putet, alterum poſthabendum. Hinc etiam excitantur odia fraterna, & de vilis incremento pecuniæ facinus parricidiale componitur. Eadem foveat prolem menſura pietatis. Eſto tamen, ut aliquid ſibi amplius circa blandiorem, aut ſimiliorem rapiat affectus, par debet circa omnes eſſe forma juſtitiæ. Plus confertur dilecto, cui amor fratrum quæritur; plus autem adimitur ei, qui prælationis injuſtæ oneratur invidia. Minitabatur Eſau, quod fratrem ſuum occideret, nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia a parricidiali furore revocabat; & dolebat ſibi benedictionem eſſe præreptam, cujus utique dignum ſe manſuetudine debebat probare, non ſcelere. Sed & Rebecca non quaſi filium filio, ſed quaſi juſtum præferebat injuſto. Etenim apud matrem piam my-

myſterium pignori præponderabat; illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem ſciebat collatum ſibi munus poſſe ſervare, in quo & alteri conſulebat, quem divinæ ſubducebat offenſæ; ne graviore implicaretur reatu, ſi acceptæ gratiam benedictionis amitteret. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater judicium. Mater circa juniorem tenera pietate propendeat: pater circa ſeniorem naturæ honorificentiam ſervet. Hic magis honoret, illa plus diligat; dum ſinguli ſingulos foveant, non in unum uterque conſpirent, defraudent alterum. Fiat æqualitas inter diverſa certamina, & diſparibus ſtudiis par utique, ac æqualis parentum amor, & gratia conferatur: compenſet alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Iſaac Patriarcha, & ſancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, ſed utrumque æqualem „„.

Et lib. De Joſeph Patriarcha, cap. 2. „„ Amare liberos dulce; & impenſius amare prædulce; ſed frequenter amor ipſe patrius, niſi moderationem teneat, nocet liberis; ſi aut nimia indulgentia dilectum reſolvat, aut prælatione unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hereditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas rejicit pecuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid miraris ſi propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob ſancti filios exarſit invidia „„?

REGULA XIV.

Famuli, & famulæ, quibus ſervitium occaſio proxima lethalis peccati eſt, quod exigant Domini, ut eorum peccatis cooperentur, tenentur ab illis diſcedere; nec ipſorum peccatis ſervire poſſunt abſque lethalis peccati reatu.

Ne-

Nemo enim alterius mortali peccato cooperari quovis modo poteſt abſque crimine; nemo in proxima lethalis peccati occaſione manere, abſque peccati mortalis reatu, ut alias probatum eſt in hoc opere; nemo famulus, vel famula domino ſuo, aut dominæ obedire poteſt contra Dei mandatum. Nec eos excuſat commodi cujuſvis temporalis intuitus, ut colligitur ex verbis Chriſti (Matth. cap. 5.) *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* De famulorum officiis, & de occaſionibus proximis peccati.

Hanc regulam confirmat *Tertullianus*, lib. *De Idolatria*, cap 17. „ „ Cæterum, quid facient ſervi, vel liberti fideles? Item officiales ſacrificantibus Dominis, vel patronis, vel Præſidibus adhærentes? Sed ſi merum quis ſacrificanti tradiderit, imo ſi verbo quoque aliquo Sacrificio neceſſario adjuverit, miniſter habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores etiam magiſtratibus, & poteſtatibus officium poſſumus reddere ſecundum Patriarchas, & cæteros Majores, qui Regibus idololatris uſque ad finem idololatriæ apparuerunt „ „. De aliis peccatis idem eſto judicium; non magis enim in iis perpetrandis ſervire dominis ſuis poſſunt famuli, & famulæ, quam in ipſa idololatria.

Idem confirmat *S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 124. exemplo chriſtianorum militum, qui *Juliano* Imperatori apoſtatæ non obtemperabant in iis, quæ contra Deum jubebat: „ „ Milites chriſtiani (*inquit*) ſervierunt Imperatori infideli, ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cœlo erat. Si quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum a domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali „ „.

Et Serm. 62. alias 6. De Verbis Domini, cap. 8. „ „ Nunquid in ſuperbiam vos erigimus, aut dicimus vobis, ut adverſus poteſtates ordinatas contemptores ſitis? ... Sed quid, ſi illud jubeat, quod non debes facere? Hic ſane contemne poteſtatem, timendo poteſtatem. ... Si aliquid juſſerit Curator, nonne faciendum eſt? tamen ſi contra Proconſulem jubeat, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Nec hinc debet minor irafci, quia majori prælatus eſt. Rurſum ſi aliquid Proconſul jubeat, aliud Imperator, nunquid dubitatur, iſto contempto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium. Recte, ſed non in idolo „ „ Lege ſuperioris libri cap. 7. art. 3. Regula 39. quæ iſtius ad peccata luxuriæ applicatio eſt.

CAPUT II.

De quinto Decalogi præcepto.

Cum poſt Deum, & parentes jubeamur diligere proximos ſicut nos ipſos, aptiſſime inter ea mandata, quæ proximi læſionem prohibent, primum illud eſt, quod nocumentum ſummum vetat, quo proximus e medio tollitur, hiſque verbis exprimitur: *Non occides*; quod quidem non de plantis, & arboribus dictum, ut Manichæi delirabant; cum nullus ſit eis ſenſus, & hominibus in eſcam datæ ſint herbæ, legumina, & fructus, nec de brutis animantibus, quæ nulla nobis ratione ſociantur; & quorum vita, & mors noſtris uſibus a Deo deſtinata eſt, dicente Domino: *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*: Sed de homine ad imaginem Dei condito intelligendum eſt; quamvis feræ ſit indolis, bruta etiam animantia ſine cauſa occidere, & eorum doloribus delectari, indeque homo quodammodo diſcat homini eſſe crudelis. Unde Proverb. 12. ſcriptum eſt:

Exod. 20.

Gen. 9.

No-

Novit juſtus jumentorum ſuorum animas; viſcera autem impiorum crudelia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo præcepti ſenſus explicatur.

I. Ad naturæ legem omnium hominum cordibus inſcriptam præceptum iſtud pertinere, quo cædes hominis prohibetur, certiſſimum eſt. Unde Cain fraternæ cædis reus, omniumque homicidarum caput hujus criminis gravitatem cognovit, confiteri illud nolens: *Nunquid* (inquit) *cuſtos fratris mei ſum ego?* Graviſſimas ſcilicet pœnas ob tantum ſcelus meri ſe noverat; quibus cum juſti judicis Dei ſententia fuiſſet damnatus, dixit ad Dominum: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Quocirca ſapientiæ 10. de illo ſcriptum eſt: *Ab hac* (ſcilicet ſapientia) *ut receſſit injuſtus in ira ſua, per iram homicidii fraterni deperiit.* Et 1. Joannis 3. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta.* Sed & hoc unum imprimis eſt, quod poſt generale diluvium Deus hominibus interdixit, illis etiam prohibens, ne ſanguine animantium veſcerentur, ut eos indito effuſi ſanguinis horrore, ab homicidio deterreret. Gen. 9. *Carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum; & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* In Evangelio etiam, ubi veteres leges a Domino explicantur, hæc primum locum obtinet. Matth. cap. 5. v. 22. *Auditis, quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.* Gen. 4.

II. Quam grave crimen ſit homicidium, his verbis explicat Conc. Trid. Catechiſmus: „ „ Sunt homicidæ humani generis, atque adeo naturæ hoſtes acer- Homicidium quam grave crimen.

acerbiſſimi; qui, quantum in eis eſt, univerſum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cujus cauſa is omnia, quæcunque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur; imo vero in Geneſi cum prohibitum ſit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem ſuam, & ſimilitudinem creavit, inſignem Deo injuriam is facit, & quaſi violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem e medio tollit „ „. Hinc lex Moſaica morti addicit homicidas. Exod. 21. *Qui percuſſerit hominem* (inquit) *volens occidere, morte moriatur... Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Hanc ob cauſam Eccleſia homicidas publicæ pœnitentiæ ſubjecit, per longam annorum ſeriem, ut ex Patribus, & antiquis Canonibus compertum eſt. Ancyrani Concilii Can. 22. perpetuæ per omnem vitam pœnitentiæ addicuntur voluntarii homicidii rei. Deinde benigniſſime cum illis actum eſſe putavit Eccleſia, ſi pœnitentia illa, quam per totam vitam agere debuiſſent, ad magnum annorum numerum contraheretur. Quin ut a voluntariis cædibus homines magis abſterrerentur, acerrime etiam vindicavit homicidia, quæ quis per imprudentiam admiſiſſet, ſeptenni, aut certe quinquenni pœnitentiam illis imponens, ut ex eodem Ancyrani Concilii Canone, ex Epiſtolis canonicis *SS. Baſilii, & Gregorii Nyſſeni, ex Zacharia, & Alexandri II.* Summorum Pontificum Decretis, & ex antiquo Pœnitentiali romano conſtat. Et in Moſaica lege ſtatutum erat, ut qui homicidium etiam involuntarium commiſiſſent, exilio plecterentur, & confugerent ad civitatem refugii, ibique permanerent uſque ad Pontificis obitum; ita ut impunitus maneret propinquus occiſi, ſi involuntarium homicidam extra fines urbium refugii occidiſſet.

mis vio- tia quin- Decalogi ecepto hibita.

III. Quinto autem Decalogi præcepto non ſolum homicidium vetatur, ſed omnia, quibus contra diſciplinæ ordinem læditur hominis corpus, & male mulctatur, ſcilicet verbera, vulnera, mutilatio, injuſta incarceratio, & aliæ id genus violentiæ. Nec

ſo-

ſolum ſuis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno vitam homini eripere non licet; ſed conſilio, ope, auxilio, vel alia quacunque ratione id fieri prorſus vetitum eſt. Sic David jubens poni *Uriam* ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſſet prælium, eumque derelinqui, ut percuſſus interiret; ſic *Jezabel*, quæ juſſit occidi *Nabeoth*; ſic *Caiphas*, qui conſilium dedit, ut occideretur Chriſtus; ſic Judæi, qui a Pilato petierunt, & clamoribus obtinuerunt, ut crucifigeretur, homicidæ fuerunt. Sic reus eſt homicidii poſtremus judicum, qui ſententiæ capitali ab iis, qui ante ipſum ſuffragati ſunt, in inſontem latæ aſſenſum præbet, quamvis nihilominus morti fuiſſet addictus, etiamſi reclamaſſet. Scriptum eſt enim Exodi 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.* Particeps etiam eſt criminis homicidæ ſocius, vel comes, etiamſi non conſentiat, ſi ex ejus ſocietate ille ad patrandum ſcelus reddatur audacior, qui ſi ſolus fuiſſet, hominem aggredi non fuiſſet auſus. Rei ſunt etiam homicidii, qui homicidam laudant, aut ignaviam exprobrant ei, qui occidere inimicum veretur; item qui homicidis favent, aut illos apud ſe recipiunt; qui arma ſuppeditant aggreſſori; qui hominem impediunt, ne cum moderamine inculpatæ tutelæ vitam ſuam adverſus invaſorem defendat; qui aliquem ad odium alterius inflammant, ex quo homicidium ſequitur; qui vel in ſarcinis cuſtodiendis miniſterium homicidis præbent; qui cum poſſint, & debeant impedire, non impediunt.

IV. Cum lex Chriſti ſpiritualis ſit, quæ non ſolo externo opere, ſed ſpiritu magis adimpletur, non ſufficit ad hoc præceptum implendum continere manum a cæde, & membrorum mutilatione, ſeu verberatione, aut quavis alia violentia, niſi etiam contineas animum ab omnibus affectibus, qui illuc tendunt, ira ſcilicet, odio, pravis mortis alienæ deſideriis, aut gaudio de illa. vel adverſis quibuslibet

Animus ab omnibus affectibus, qui ad læſionem proximi tendunt, continendus.

390251

proximo evenientibus, invidia, contumelia, obtrectatione. Ita Chriſtus declaravit, Matth. 5. 22. *Auditis* (inquit) *quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca; reus erit Concilo; qui autem dixerit, Fatue; reus erit gehennæ ignis.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt (inquit Concil. Trid. Catechiſmus) eum culpa non carere, qui fratri ſuccenſeat, quamvis iram animo incluſam contineat; qui vero ejus iræ ſignificationem aliquam dederit, graviter peccare; at multo gravius, qui non vereatur dure fratrem accipere, & ei convicium facere, ut explicat *S. Auguſt.* lib. 1. *De Serm. Domini in monte.* Intelligendus eſt tamen Chriſti ſermo de ea ira, quæ vindictæ libido eſt, & lædendi affectum conjunctum habet; alioqui iraſcimur & his quos diligimus, non ut lædamus, ſed ut corrigamus, & odio habemus in homine, non quod fecit Deus, ſed quod fecit ipſe, non naturam, ſed peccatum; idque ſolo juſtitiæ zelo. Unde ſcriptum eſt: *Iraſcimini, & nolite peccare. . . Iniquos odio habui; & legem tuam dilexi.* Non ait David, iniquos odio habui, & juſtos dilexi, *aut*, iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi, ſed cum dixiſſet, *Iniquos odio habui*, expoſuit quare, addendo, *& legem tuam dilexi*; ut demonſtraret, *Non ſe in hominibus iniquis* odiſſe naturam, qua homines ſunt; *ſed iniquitatem, qua legis, quam diligit, inimici ſunt* (inquit *S. Aug.* Serm. 24. in illum Pſalmum.) Rurſus ſcriptum eſt Pſal. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* „ Quid eſt, perfecto odio (inquit *S. Auguſt. hunc Verſum explicans.*) Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc eſt perfecto odio odiſſe, ut nec propter vitia hominis oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide, quid adjungat: *Inimici facti ſunt mihi*, non jam tantum Dei, ſed ſuos inimicos oſtendit. Quomodo ergo in eis implebit, & quod ipſe di-

a, quæ
ndictæ
ido eſt,
o præce-
o prohi-
ta.

Pſal. 4.
Pſal. 118.

dixit: *Nonne eos, qui oderant te, odio habui*, & quod Dominus præcepit; *Diligite inimicos veſtros*? Quomodo implebit hoc niſi illo perfecto odio; ut hoc in eis oderit, quod iniqui ſunt, hoc diligat, quod homines ſunt? Nam & tempore veteris Teſtamenti, quo viliibilibus ſuppliciis carnalis populus coercebatur, homo ad novum Teſtamentum per intelligentiam *pertinens* famulus Dei Moyſes, quomodo oderat peccantes, cum pro eis orabat, & quomodo non oderat, cum eos occidebat, niſi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione ſic oderat iniquitatem, quam puniebat, ut diligeret humanitatem, pro qua orabat. „ „ Igitur non fratri iraſcitur, qui peccato fratris iraſcitur; ſed qui ſine cauſa iraſcitur, is non peccato, ſed fratri iraſcitur. In hac igitur Chriſti ſententia; *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, &c.* ſubintelligendum eſt, *Sine cauſa*, quod græci Codices habent; aut ſi mavis, vindictæ libidine: „ „ Chriſtiani enim hominis ira (*inquit Concilii Tridentini Catechiſmus*) non a carnis ſenſibus, ſed a Spiritu ſancto proficiſci debet; cum nos templa ſancti Spiritus, in quibus Jeſus Chriſtus habitat, eſſe conveniat „ „.

Porro cum ira prohibetur, qui primus gradus eſt, quo a chriſtiana manſuetudine deflectimus, multo magis odium prohibetur, quæ eſt ira inveterata. Nam ſi nefas eſt iraſci fratri ſine cauſa; multo minus licet ultionis affectum, & cupiditatem animo tenere, ut in odium indignatio convertatur. Unde Apoſtolus ait, ad Ephes. 4. *Non occidat ſol ſuper iracundiam veſtram.* Alioqui feſtuca creſcit in trabem. „ „ Feſtuca in oculo ira eſt; trabes in oculo odium eſt. Feſtuca initium trabis eſt. Nam trabes quando naſcitur, prius feſtuca eſt. Rigando feſtucam, perducis ad trabem; alendo iram, malis ſuſpicionibus perducis ad odium. Multum autem intereſt peccatum iraſcentis, & crudelitatem odio habentis. Nam & filiis noſtris iraſcimur; odiſſe filios quis invenitur?... Uſque adeo non omnis, qui iraſcitur, odit; ut aliquando magis odiſſe convocatur, ſi non iraſcitur... Multum aliud eſt, quan-

Odium proximi.

Matth. 7.

quando quiſque iraſcens in aliquo verbo modum excedit, quod poſtea deleat pœnitendo; & aliud eſt ſervare inſidias incluſas in corde. Multum poſtremo intereſt inter hæc verba ſcripturæ: *Turbatus eſt præ ira oculus meus.* De illo autem, quid dictum eſt? *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Multum intereſt inter turbatum oculum, & extinctum. Feſtuca turbat, trabes extinguit „„. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Sermone 82. alias 16. *De Verbis Domini.*

Pſal. 6. 1. Jo. 3. 15.

Odium fraternum graviſſimum animæ vulnus.

Odium fraternum eſſe graviſſimum animæ vulnus, multaque peccata hoc uno quaſi vinculo quodam teneri, Conc. Trid. Catechiſmus obſervat. Cum enim is, cujus animum pravus hic affectus occupat, inimici ſui ſanguinem ſitiat illius ulciſcendi libidine exæſtuet, & dies, noctesque cædem, aut grave aliquod incommodum illi inferendum meditetur, nefariiſque cogitationibus continuo agitetur; inde fit, ut vel nunquam, vel difficile injurias remittat. Hinc *S. Joannes*, Epiſt. 1, cap 2. ait: *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit, quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Sæpius itaque impingit & labitur. Quo enim pacto fieri poteſt, ut dicta, aut facta illius probet quem oderit? ut illius felicitatem æquis aſpiciat oculis? Hinc temeraria, & iniqua judicia exiſtunt, iræ, invidiæ, obtrectationes, convicia, vituperia, deriſiones, & alia ejuſmodi, quibus illi quoque implicari ſolent, qui aut cognatione, aut amicitia juncti ſunt. Odia namque, & perennes inimicitiæ in familias ut plurimum propagantur, & ab amicis ſuſcipiuntur. Hinc ampla ex uno peccato criminum leges. Quamobrem qui fratres oderunt, jure filii diaboli nuncupantur, qui *Homicida erat ab initio.* Unde Chriſtus Phariſæis in vitam ſuam conjuratis ait: *Vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere.* Contra vero, qui in-

Joan. 8.

ju-

jurias condonant: *Filii* ſunt *Patris cæleſtis, qui ſolem* Matth. 5.
ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Sola quippe dilectio diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli, ut *S. Auguſt.* ait; Chriſti ſunt imitatores: *Qui cum maledicerentur, non* 1. Pet. 2.
maledicebat, cum paterentur, non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſte. Qui cruci affixus pro crucifixoribus ſuis rogavit, dicens: *Pater, dimitte* Luc. 23.
illis, quia neſciunt, quid faciunt; nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus: „ Tanquam „ lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, „ etiam cathedra fuerit magiſtri docentis „ (*inquit S. Auguſt.*) Qui denique condonat injurias, certa fiducia ſperare poſſunt peccatorum ſuorum omnium veniam a Deo miſericordiarum patre ſe impetraturos, ſecundum ipſius promiſſa; qui vero non remittunt injurias, vindici Deo ſe pœnas æternas daturos certo ſciant. Matth. 18. *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me; nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

De ira porro, odio, invidia, calumnia, contumelia, obtrectatione, quæ hoc præcepto etiam prohibentur, cum libro ſuperiori plene egerimus, nihil hoc loco dicendum ſupereſt.

VI. Præceptum iſtud, *Non occides*, non tantum omnem vindictæ cupiditatem prohibet, ſed multas, ac eximias virtutes, ipſoſque fructus Spiritus ſancti includit, ac requirit, velut finem, propter quem nobis datum eſt. In primis humanitatem, ac manſuetudinem a nobis poſtulat, virtutem Chriſto chariſſimam, iræque, ac rixis oppoſitam, cujus præſertim ſe doctorem profitetur. *Diſcite* (inquit) *a me,* Matth. 11.
quia mitis ſum, & humilis corde. Quintum præceptum humanitatem, ac manſuetudinem a nobis exigit.

Secundo, concordiæ ſtudium poſtulat, ut in omni negotio proponamus cum proximo redire in Concordiæ ſtudium.

gratiam, quod Chriſtus Dominus indicat, Matth. 5. 24. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Cum igitur preces, & ſpiritualia ſacrificia in interiore Dei templo, quod ſumus nos, offerenda ſunt, & multo magis, cum ad Sacrificium incruentum pretii noſtri, ad Altare viſibile, in quo Chriſti Corpus, & Sanguis Deo a Sacerdotibus offertur, & conſecratur, & a fidelibus ſumitur, accedendum eſt, & Euchariſtia percipienda: „ „ Pergendum eſt ad reconciliationem, cum in mentem venerit, quod nos forte fratrem in aliquo læſimus; pergendum autem non pedibus corporis, ſed motibus animi, ut te humili affectu proſternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conſpectu ejus, cui munus oblaturus es. Ita enim etiam ſi præſens ſit, poteris eum non ſimulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam poſtulando, ſi hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro metu corporis, ſed celerrimo dilectionis affectu; atque inde veniens, id eſt, intentionem revocans ad id, quod agere cœperas, offeres munus tuum „ „. Verba ſunt *S. Auguſt.* lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 10.

Tertio, Chriſtus Dominus monet hoc præcepto contineri etiam id, quod & Apoſtolus docet, ut pacem cum omnibus hominibus (quantum in nobis eſt) habeamus, cum ait, Matth. 5. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adverſarius judici, & Judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Huc ſpectat, quod Chriſtus beatos pacificos pronuntiat; qui ſtudent non ſolum inter alios diſſidentes ſancire concordiam, verum etiam ultro invitare ad pacem illos, a quibus ſunt offenſi: *Beati* (inquit) *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Matth. 5.

Quar-

Quarto, patientiam a nobis exigit Christus, qua non tantum malos toleramus, sed etiam patimur eos abuti nostra tolerantia, parati etiam magis gravius damnum ab eis accipere, quam injuriam referre. Quod Christus significavit ibidem dicens: *Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* In patientia nostra nos possessuros animas nostras Salvator docet Lucæ 21. 19. Hæc charitatis individua comes, secundum Apostolum 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens est.* Hanc facile assequetur, qui considerabit hominem sibi infensum, seu a quo injuriam se accepisse putat, & quem ulciscí cupit, detrimenti, aut injuriæ præciquam causam non fuisse, sed Dei ministrum, & quasi satellitem. Malis scilicet hominibus utitur Deus ad castigandum nos, & erudiendum, ut filios, non ut inimicos. Quamobrem Job vir rectus, ac pius, a Sabæis, Chaldæis, dæmone graviter cæsus, calamitates omnes suas ad Dominum retulit, his verbis ulus: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Hac ratione Joseph ea, quæ passus fuerat a fratribus, non impiis ipsorum consiliis, sed Dei voluntati tribuit. Gen. 45. *Ego sum*, ait, *Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.., Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Sic David injurias sibi a Semei illatas, tanquam Deo permittente, æquo animo tulit, 2. Reg. cap. 16. *Dimittite eum* (inquit) *ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David; & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et ait Rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de latere meo, quærit animam meam; quanto magis nunc hic filius Jemini? Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini; si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna. Ambulabat ita-*

Christiana patientia.

Matth. 5. 39. 40. 41.

Joh 1.

itaque David, & ſocii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adverſus eum, terramque ſpargens. Humilis Davidis verba, *Semei* inſultus tam leniter patientis, ſic interpretatur *Theodoretus* qu. 31. in libro 2. *Regum* quaſi diceret: „„ Eſt iſte lorum Dei, & virga: non video lorum, ſed video eum, qui me flagro cædit. Meis iniquitatibus adſcribo calamitates. Non tango virgam, ne eum irritem, qui percuſſit „„. Hac ratione ſanctus quidam Galliarum Præſul *Attila* Regi occurrens, illum his verbis ſalutavit: *Ave flagellum iræ Dei.*

Bonitas. Quinto, præceptum iſtud bonitatem a nobis poſtulat, qua nemini noceamus, ſed ad benefaciendum omnibus parati ſimus. Unde Chriſtus ait; *Matth. 5. 42. qui petit a te, da ei; & volenti mutuare a te, ne avertaris;* quo ſignificat, neceſſitatem patienti, & reddere ſortem cupienti, ac volenti, mutuum ſine ſpe lucri dare nos debere; egentibus vero, etiam ſine ſpe ſortis, de noſtro tribuere.

Inimicorum dilectio. Sexto, ultra bonitatem, eximium etiam illum charitatis gradum a nobis poſtulat, quo & inimicos etiam nobis graviter incommodantes toto mentis affectu complectamur, & beneficiis etiam afficiamus; quemadmodum ſolent parentes parvulos, vel phreneticos filios, a quibus multa patiuntur, nihilominus diligere, atque omnia tentare, ut ipſorum ſaluti conMatth. 5. 44. ſulant. Quamobrem Chriſtus ait; *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos.*

Longanimitas. Poſtremo, Chriſtus præter hæc omnia ſummum charitatis gradum a nobis exigit, qui in longanimitate poſitus eſt, qua malos non ſolum toleramus, majoraque ab eis tolerare parati ſumus, potius quam violemus charitatem; ſed etiam eorum emendationem invicto quodam animi robore exſpectamus, atque adeo ſalutem optamus. Quod Chriſtus ſignificavit his Matth. 5. 44. verbis; *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Hæc quinti

præ-

præcepti vis, ſecundum explicationem Chriſti Domini, ab exteriori cortice legis, & craſſa Phariſæorum interpretatione immenſum diſtantem.

ARTICULUS II.

Qua Cades hoc præcepto prohibeatur.

PROPOSITIO I.

Cades facinoroſorum hominum, qua ſit Magiſtratuum ſententia, hoc præcepto non prohibetur.

His enim data eſt necis poteſtas, qua ex legum præſcripto, judicioque in facinoroſos homines animadvertunt, & innocentes defendunt. *Non enim ſine cauſa gladium portat* Magiſtratus; *Dei enim minister eſt, vindex in iram ei, qui malum agit* (inquit Apoſtolus cap. 13. Epiſt. ad Rom.) Dum igitur munere ſuo juſte funguntur, non modo rei non ſunt homicidii; ſed huic divinæ legi, qua homicidium vetatur, maxime obediunt, cujus finis eſt, ut hominum vitæ, ſalutique conſulatur. Id autem præſtant Magiſtratus, cum ſceleratorum hominum audaciam, improbitatem, & injurias ſuppliciis reprimunt. „ „ Nec *enim* (*inquit S. Auguſt.* Epiſt. 153. alias 54. *ad Macedonium*) fruſtra inſtituta ſunt poteſtas Regis, jus gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeveritas etiam boni patris. Habent iſta omnia modos ſuos, cauſas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali, quietius inter malos vivunt boni; non quia boni pronuntiandi ſunt, qui talia metuendo non peccant; non enim bonus eſt quiſpiam timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ; verumtamen non inutiliter etiam metu legum humanarum coercetur audacia, ut & tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis dum formidato ſupplicio frænatur facultas, invocato Deo ſanetur voluntas „ „. Unde David Pſalmo centeſimo ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ; ut diſperderem de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Hinc Moyſes, quo nemo clementior fuit, idolola-

De Homicidio.

debet jubenti, ſicut adminiculum gladius utenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, *Non occides*, qui Deo auctore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis ſecundum ejus leges, hoc eſt, juſtiſſimæ rationis imperium, ſceleratos morte punierunt. Et Abraham non ſolum non eſt culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus eſt nomine pietatis, quod voluit filium, nequaquam ſcelerate, ſed obedienter occidere. Et merito quæritur, utrum pro juſſu Dei ſit habendum, quod Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum ſe immolaturum Deo id voviſſet, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurriſſet. Nec Samſon aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quia Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine tenebitur „„.

PROPOSITIO III.

Hoſtium cædes, quæ in bello juſto fiunt, non cupiditate, aut crudelitate, ſed ſolo publicæ utilitatis ſtudio, quinto Decalogi præcepto non prohibentur.

Bellum enim per ſe, & natura ſua malum non eſſe ex eo conſtat, quod *Abraham* bellum geſſerit, & revertenti a cæde quatuor Regum gratulabundus occurrerit *Melchiſedech*, panemque, & vinum obtulerit, ac benedixerit ei. *Gen.* 14. Quod Deus paſſim in veteri Teſtamento bellum geri juſſerit adverſus Madianitas, Amalecitas, aliaſque gentes; auxilium juſte bellantibus promiſerit, ac dederit; Deum Exercituum ſe dixerit; quod ſancti Judices, Reges, ac Duces bella geſſerint contra hoſtes populi Iſraelitici. Quod *S. Joannes Baptiſta* militibus rogantibus quid ipſis facto opus eſſet ad ſalutem æternam conſequendam, reſponderit: *Neminem concutiatis, neque calumniam fa-* Luc. 3. 14.

Bellum.

tueatur. 5. Violatio pacti, ac fœderis. 6. Negatio juſti tributi. 7. Subditorum ſeditio, vel rebellio. 8. Defenſio fœderatorum, qui injuſte opprimuntur, vel cauſam juſtam tuentur. 9. Innoxii tranſitus negatio; de qua *S. Auguſtinus*, qu. 44. in Numeros: „ „ Notandum (*inquit*) quemadmodum juſta bella gerebantur. Innoxius enim tranſitus negabatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat „ „. Non eſt autem cauſa legitima inferendi belli ampliſicatio imperii, aut gloriæ cupiditas. Unde *S. Auguſt.* libro 4. *De Civitate Dei*, cap. 6. ait. „ „ Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, & ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt „ „? Gravis autem ſit injuria neceſſe eſt, quæ bello vindicatur, aut certe talis, quæ niſi comprimatur, ſenſim augenda ſit, & in gravem omnino evaſura. Cavendum inſuper ne graviora mala in chriſtianam rempublicam ex bello redundent; tunc enim ſuſpendendum eſſet. Ad arma tandem veniendum non eſt, ſi Princeps, qui damnum, vel injuriam intulit, congruam ſatisfactionem offerat. Cauſam autem belli juſtam exiſtimare nequaquam ſatis eſt, ſed Princeps cum conſilio ſuo diligenter examinare tenetur, an juſta ſit; ſi dubia ſit cauſæ æquitas, bellum inferre non licet; quia in dubiis tutior pars eligenda eſt, in dubiis præſertim tanti momenti, ubi multorum millium hominum vita in diſcrimen adducitur. Si de cauſa poſſeſſionis agitur, juſque petitoris ſit dubium, poſſeſſor cedere non tenetur, nec illi bellum inferri juſte poteſt, ut poſſeſſione ſua deturbetur; quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, quia in cauſa dubia nunquam ſpoliaretur a judice. In hac autem hypotheſi eligere debent arbitros, qui jus utriuſque examinent; qui in arbitros non ſuſpectos compromittere noluerit, bello peti poteſt, cum alteri Principi faciat injuriam. Milites vero juſtitiam belli examinare non tenentur, nec id ad ipſos pertinet, ſed parere debent Principi,

&

& Ducibus ab eo conſtitutis, etiam ſi dubia illis ſit belli juſtitia; ut S. Auguſt. docet lib. 22. *Contra Fauſtum* cap. 75. „ „ Cum vir juſtus (*inquit*) ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte poſſit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans; cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi „ „. Id autem intellige de militibus ſubditis Principi, qui bellum indicit. Qui enim ſubditi non ſunt, nomen dare militiæ non poſſunt, quamdiu de juſtitia belli dubitant, cum nulla ipſis incumbat ſerviendi neceſſitas.

Qui vero parati ſunt ad pugnam, & ad cædem hoſtium, ſive bellum juſtum ſit, ſive injuſtum, hac animi præparatione tot homicidiorum, & peccatorum mortalium ſunt rei, quot hoſtes perimunt. 3. Recta intentio.

Tertio, ad belli juſtitiam requiritur, ut intentio bellum gerentium recta ſit: bellum enim gerere non alia intentione debent, quam ut bonum promoveatur, aut malum vitetur. Unde *S. Auguſtinus*, Epiſt. 189. alias 205. ad *Bonifacium*, ait: „ „ Pacem habere debet voluntas bellum neceſſitas, ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendos perducas... Itaque hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur „ „.

Et lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 74. „ „ Quid (*inquit*) culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum. Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia hæc ſunt, quæ in bellis

jure culpantur; quæ plerumque, ut etiam jure puniatur, adverſus violentiam reſiſtentium, ſive Deo, ſive aliquo legitimo imperio jubente gerenda ipſa bella ſuſcipiuntur a bonis, cum in ea rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire juſte ordo ipſe conſtringit. Alioquin Joannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? Reſponderit eis, arma abjicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite. Sed quia ſciebat eos, cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores; reſpondit eis, neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Sed quia Manichæis Joannem aperte blaſphemare conſueverunt, ipſum Dominum Jeſum Chriſtum audiant hoc ſtipendium jubentem reddi Cæſari, quod Joannes dicit debere ſufficere militi. *Reddite* (inquit) *Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt.* Et ad hoc enim tributa præſtantur, ut propter bella neceſſario militi ſtipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis: *Et ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & ſervo meo: Fac hoc, & facit;* fidem laudavit, non illius militiæ deſertionem imperavit „.

Luc. 3.

Matth. 22. 21.

Matth. 8. 9.

Quamvis porro inſontes in bello occidi per ſe, & deſtinata voluntate non poſſint abſque homicidii crimine, ſecundum illud Exodi 23. *Inſontem, & juſtum non occides*; rei tamen homicidii non ſunt Duces, & milites, qui præter intentionem innocentes occidunt, cum ſcilicet ad obtinendam victoriam neceſſe eſt turrim vel ſubjecto pulvere, vel tormentis dejici, aut urbem eo loco concuti, ubi pueri, mulieres, ſenes, Clerici, aut monachi forte inveniuntur.

Denique fides hoſtibus data ſervanda eſt, quam ſi fallat Princeps bellum gerens, tot reus eſt homicidiorum, quot homines illo in bello pereunt. „ Fi-

„ des

„ des enim quando promittitur, etiam hosti servanda „ est, contra quem bellum geritur „ (*inquit S. Augustinus* Epist. 189. alias 205.)

PROPOSITIO IV.

Homicidii rei non sunt, qui non sponte, neque meditato, sed fortuito hominem occidunt.

Omne enim peccatum est voluntarium; hæc autem homicidia voluntaria non sunt; quamobrem non sunt peccata. De hoc homicidii genere *Deut.* 19. scriptum est: *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui hostis, & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur; sed abjisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit; hic ad unam supradictarum urbium* (Refugii) *confugiet, & vivet; ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum, si longior via fuerit, & percutiat animam ejus, qui non est reus mortis; quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur.*

Id confirmat *S. Augustinus* Epist. 47. alias 154. ad *Publicolam* data. „ „ Nec reus est (*inquit*) mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque enim reus est christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat; aut ideo non debent christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis? Aut vero quoniam Apostolus Paulus satis egit, ut in Tribuni notitiam perferretur, insidias sibi a quibusdam perditis præparari, & ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit, ut ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin

nec ferramenta domeſtica, & agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe, vel alterum interimat; nec arbor, aut reſtis, ne quis ſe inde ſuſpendat; nec feneſtra facienda eſt, ne per hanc ſe quiſque præcipitet „„ Si tamen cædis auctor debitam diligentiam non adhibuerit ad vitandum homicidium, aut operam daret rei illicitæ, cum illud perpetravit, homicidii reus eſt; quia non omnino præter ejus voluntatem cenſetur contigiſſe malum, quod cavere poterat.

Ita docet Concilii Tridentini Catechiſmus poſt *S. Thomam* 2. 2. qu. 64. art. 8. cujus hæc ſunt verba: „„ Qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter; uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam ſolicitudinem Et ideo, ſecundum jura, ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opera mors hominis ſequatur „„.

Et in reſponſione ad ſecundam objectionem: „„ Ille (*inquit*) qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ; & ideo ſi ſequatur mors, vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præcipue cum ex tali percuſſione in prompt ſit, quod mors ſequatur „„.

Hæc *S. Thom.* & Catechiſmi Concilii doctrina nititur Canone *Hi qui arbores*, ex Concilio Vormatienſi, Canone *Sæpe contingit*, ex Concilio Tribu rienſi, & Canone *Si duo fratres*, in collectione *Gratiani*, diſt. 50. item ex cap. *Dilectus*, & cap. *E literis*, quæ ſunt *Innoc. III.* reſponſa, & cap. *Joannes*, quod eſt *Honorii III.* Ext. *De Homicidio.* Hæ enim probant eos, qui dantes operam rei licitæ, & debita diligentia adhibita, hominem fortutito occ dunt,

dunt, ab homicidii crimine immunes eſſe. Nititur etiam cap. *Presbyterum*, & cap. *Suſcepimus*, quæ ſunt *Alexandri III.* reſponſa, cap. *Ad audientiam*, quod eſt *Clementis III.* & cap. *Quantum dicit*, & cap. *Sicut ex litterarum*, quod eſt *Innocent. III.* ſub eodem Decretalium titulo. Ex his enim colligitur, homicidii eſſe reum, qui in re injuſta, & illicita, vel abſolute, vel relative ad ſtatum ſuum, occupatus, hominem occiderit; verbi gratia Clericus venationi vacans cum armis aut aliquid aliud agens Eccleſiæ Decretis, aut Canonibus prohibitum; ut ſi non omnibus circumſpectis negligenter, & incaute aliquem interfecerit.

PROPOSITIO V.

Non eſt reus homicidii, qui ſalutis ſuæ, ſeu vitæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit.

Ratio hujus propoſitionis eſt, quod *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt;* modo tamen id fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam;* ut loquitur *Innocentius III.* cap. *Significaſti*, Ext. *De Homicidio.* In eo autem poſitum eſt moderamen inculpatæ tutelæ, ut non plus faciat aliquis ſui defenſionem, quam ſit opus ad malum evadendum, quod illi intentatur. Unde, qui fugiendo, vel debilitando duntaxat invaſorem, ſeu ita vulnerando, ut mors ejus vulnere non ſequatur, evadere poteſt necem ab illo intentatam, & nihilominus ipſum occidit; vel qui armis ſe ſe defendit adverſus inermem aggreſſorem, eumque interficit, moderamen excedit inculpatæ tutelæ. *Et ideo* (inquit *S. Thomas*, 2. 2. qu. 64. art. 7.) „„ Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum; ſi vero moderate violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundum jura, vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt ne-

In quo poſitum ſit moderamen inculpatæ tutelæ.

ceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ „„.

Reus eſt homicidii, qui occidere intendit hominem, ne ab eo occidatur.

Denique ſi quis aliud intendat, quam ſui defenſionem, ut ſi ſtatuat aggreſſorem occidere, quia videt illum ſibi mortem moliri, ac intentare; vel illum jam recedentem inſequatur, vulneretque, aut occidat; vel a ſe vulneratum, nec jam urgentem interimat, juſtæ defenſionis metas prætergreditur, homicidiique, ſeu mutilationis, aut lethalis violentiæ reus eſt. Ita docet *S. Auguſtinus*, Epiſt. 47. alias 154. ad *Publicolam* data: „„ De occidendis (*inquit*) hominibus ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium; niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ „„. Refertur Canone *De occidendis*, cauſa 23. qu. 5.

Idem confirmat *S. Thomas*, loco ſuperius indicato: „„ Sed quia (*inquit*) occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate, propter bonum commune; illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat; niſi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum; ut patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam & iſti peccent, ſi privata libidine moveantur „„.

Moderatæ defenſionis juſtitia.

Propoſitioni porro noſtræ non adverſatur Apoſtoli ſententia ad *Romanos* cap. 12. ſcribentis: *Non vos defendentes chariſſimi*; ibi enim ſolum *Prohibetur defenſio, quæ eſt cum livore vindictæ* (inquit S. Thomas.) Atque ita intelligendus eſt *S. Ambroſius* lib. 3. *De officiis Miniſtrorum*, cap. 4. „„ Non videtur (*inquit*) quod vir chriſtianus, & juſtus, & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat; utpote qui etiam, ſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſit; ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet.

net. De quo in Evangelii libris aperta, & evidens ſententia eſt: *Reconde gladium tuum; omnis enim, qui gladio percuſſerit, gladio feretur* „„. Perfectionis vero, & evangelici conſilii eſt, non præcepti, mortem potius pati, exemplo Chriſti, & Martyrum; quam occidere invaſorem. Unde *S. Ambroſius* idem ſubdit: „„ Quis latro deteſtabilior, quam perſecutor, qui venerat, ut Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare „„. Et lib. 10. in Evangelium ſecundum Lucam, explicans Verſum illum cap. 22. *Qui nunc habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat ſibi gladium*, ait: „„ O Domine, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem vetas promi? Niſi forte ut ſit parata defenſio, non ultio neceſſaria; & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe. Lex tamen referire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, *Satis eſt*, dicis, quaſi licuerit uſque ad Evangelium; ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Dominus, qui cum ſe poſſet ulciſci, maluit immolari „„. Matth. 26.

Eodem ſenſu *S. Cyprianus* Epiſt. 56. ad Tibaritanos, de Chriſtianis loquens, ait: *Quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt.* Et Epiſt. 57. ad *Cornelium*, ait: „„ Milites Chriſti vigilare, ſobrios, & armatos ad prælium ſtare; vinci non poſſe, mori poſſe; & hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes; cum occidere innocentibus nec nocentem liceat; ſed prompte & animas, & ſanguinem tradere; ut cum tanta in ſeculo malitia, & lævitia graſſetur, a malis, & ſævis velocius recedatur „„.

PROPOSITIO VI.

Homicidii reus non eſt, qui ſervato moderamine inculpatæ tutelæ interficit aggreſſorem illum mutilare volen-

lentem; aut magni momenti bona temporalia, quæ aliter defendi, vel recuperari non poſſunt, & ex quibus vita, ſtatuſve conſervatio, & ſuſtentatio pendet, illata vi, rapientem.

Prima pars Propoſitionis inde patet, quod jus habemus non ſolum vitam, ſed & membrorum integritatem, atque incolumitatem tuendi, & vim vi repellere lex ipſa naturalis permittat. Unde *Alexander III.* cap. *Si vero alicujus*, Ext. *De Sententia excommunicationis*, ait: „„ Si vero Clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat, vel lædat; non debet propter hoc ad Sedem apoſtolicam tranſmitti, ſi incontinenti vim vi repellat; cum vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittant „„.

Pars altera Propoſitionis nititur lege divina, Exodi 22. 2. *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis.* Quæ quidem lex, etſi judicialis ſit, ſupponit tamen furem nocturnum aliter repelli non poſſe; nec rem ab eo ablatam poſſe aliter ſervari, quia fur dignoſci in tenebris non poteſt; & alioquin non furandum ſolum, ſed etiam ad occidendum venire præſumitur. De fure vero diurno lex ſubdit: *Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur;* quia videlicet fur diurnus in urbe, aut locis populoſis, ac frequentatis furta committens, abſque cæde plerumque repelli poteſt, ſeu vicinis in auxilium vocatis, ſive ipſum inſequendo, aut alia ratione. Id *S. Auguſtinus* confirmat qu. 84. in Exodum: „„ Intelligitur ergo (*inquit*) tunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur; ſi autem diurnus, pertinere. Hoc eſt enim, quod ait: *Si orietur ſol ſuper eum.* Poterat quippe diſcerni, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis ſecularibus, quibus tamen iſta eſt antiquior, invenitur. Impune occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, ſi ſe telo defenderit; jam enim

Furem nocturnum occidens, non eſt reus ſanguinis.

Furem diurnum occidens reus eſt homicidii.

enim plus eſt quam fur „„. Sed tamen ſervanda eſt moderatio inculpatæ tutelæ, ut mors furis, aut raptoris non intendatur, quod fieret ultionis libidine, ſed rerum, quæ magni ſunt momenti, neceſſaria, juſtaque defenſio, & furis compulſio in fugam, vel certe debilitatio, aut mutilatio non ex odio & cupiditatis æſtu, aut deſiderio vindictæ, ſed ut reddatur impotens ad rapinam, & furtum. Unde *S. Hieronymus* in cap. 1. *Sophoniæ* Prophetæ ait: „„ Si quis fortitudinem latronis, & pyratæ, & furis diripiat, infirmoſque eos reddat, prodeſt illis ſua infirmitas. Debilitata enim membra, quibus prius non bene utebantur, a malo opere ceſſabunt „„.

Quomodo ſervetur moderatio inculpatæ tutelæ.

Idem confirmat cap. *Interfeciſti*, Ext. *De Homicidio*, quod ex Pœnitentiali romano ſumptum eſt. Nullam enim pœnitentiam ex neceſſitate ſubeundam imponit illi, qui *Sine odii meditatione, ſe, ſuaque liberando*, furem, qui comprehendi non poterat, interfecit, quod argumento eſt illum ab homicidii crimine eſſe immunem.

Si quis vero furem occidere intendat, ut bona ſua ſervet, aut recuperet, imo ut ſeipſum a morte liberet, homicidii reus eſt, ut reſpondet *S. Thomas*, 2. 2. qu. 64. ar. 7. ad primum, *S. Auguſt.* teſtimonio fretus lib. 1. *De libero Arbitrio*, cap. 1. ſeu potius *Evodii* diſputantis, an lex civilis juſta ſit, quæ latronem viatori vim inferentem, vel ſtupratorem violentum irruentem occidere permittit: „„ Poteſt (*inquit*) illi legi quæ tuendorum civium cauſa vim hoſtilem eadem vi repelli jubet, ſine libidine obtemperari, & de omnibus miniſtris, qui jure, atque ordine poteſtatibus quibuſque ſubjecti ſunt, id dici poteſt. Sed illi homines lege inculpata quomodo inculpati queant eſſe, non video; non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate. Liberum eis itaque eſt, neminem necare pro iis rebus quas inviti poſſunt amittere, & ob hoc amare non debent. De vita enim fortaſſe cuipiam ſit dubium, utrum anima nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur; ſed ſi auferri

Qui furem occidere intendit, ut res recuperet, vel ut ſeipſum a morte liberet, homicidii reus eſt.

ferri poteſt contemnenda eſt; ſi non poteſt, nih metuendum. De pudicitia vero quis dubitaverit, qui ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem vi tus eſt? Unde a violento ſtupratore eripi nec ip poteſt. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui o ciditur, id totum in poteſtate noſtra non eſt; quai quemadmodum noſtrum appellandum ſit, non ir telligo. Quapropter legem quidem non reprehendo quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos d fendam, qui interficiunt, non invenio. *Tum Aug ſtinus.* Multo minus ergo invenire poſſum, cur hc minibus defenſionem quæras, quos reos nulla le tenet. *Reſpondet Evodius*: Nulla fortaſſe, ſed earur legum, quæ apparent, & ab hominibus leguntur nam neſcio utrum non aliqua vehementiore, ac ſe cretiſſima lege teneantur, ſi nihil rerum eſt, quo non adminiſtret divina providentia. Quomodo enir apud eam ſunt iſti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt Videtur ergo mihi, & legem iſtam, quæ populo re gendo ſcribitur, recte iſta permittere, & divinan providentiam vindicare. Ea enim vindicanda ſibi hæ lex populi aſſumit, quæ ſatis ſint conciliandæ pac hominibus imperitis, & quanta poſſunt per hominen regi. Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, quibus ſola mihi videtur poſſe liberare ſapientia. *A hæc S. Auguſt.* Laudo (*inquit*) & probo iſtam, quam vis inchoatam, minuſque perfectam, tamen fiden tem, & ſublimia quædam petentem diſtinctionen tuam. Videtur enim tibi lex iſta, quæ regendis ci vitatibus fertur, multa concedere, atque impunit relinquere, quæ per divinam tamen providentian vindicantur, & recte „ „. Quamvis igitur ſecundun leges humanas homicidii pœnis non ſubjaceat, qu furem bona ſua rapientem, aut ſicarium in ſe irruen tem, vel ſtupratorem pudicitiæ ſuæ vim inferre vo lentem occidere intendit, aut qui juſtæ defenſioni metas excedit; coram Deo tamen homicidii reu eſt.

Leges civiles multa concedunt, atque impunita relinquunt, quæ coram Deo peccata ſunt, & ab illo puniuntur.

Eam-

Eamdem Regulam confirmat *S. Antoninus*, 3. P. tit. 4. cap. 2. „ Licita eſt (*inquit*) defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ſolum pro perſona, ſed etiam pro rebus „. Vult autem aliquis propulſare injuriam ſibi illatam pro rebus, quas poſſidet, juſte, aut injuſte. „ „ Si juſte, poteſt hoc incontinenti, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non ſolum pro rebus ſuis, ſed etiam pro rebus ſibi depoſitis, & commodatis, & etiam pro rebus amicorum, & propinquorum ſuorum, eos ſcilicet adjuvando „ „ (diſt. 83. Canone *Conſentire*, & cauſa 11. qu. 3. Canone, *Qui conſentit.*) Si autem ex intervallo vult vim vi repellere, poſtquam divertit ad actus contrarios, *tunc non poteſt.* Defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ licita eſt, & pro perſona, & pro rebus.

Addit *S. Antoninus*, licitum eſſe etiam pro rebus vim vi repellere contra omnes, contra quos licitum eſt pro perſonis: „ „ Si tamen illæ perſonæ, quæ vim vi repellere volunt, poſſunt habere bona, ut excludantur ſervi, & monachi, & ſimiles, tamen moderamen tutelæ diverſificari debet, attenta varia perſonarum qualitate. Nam aliter, & mitius contra patrem, quam contra penitus extraneum, & ſic de ſingulis, quæ conſideranda venirent inſpectis circumſtantiis, cum ſint hæc jure limitata „ „. Exceptiones.

Obſervat denique, quod vim vi repellendo pro rebus, ſi quis occidat, vel mutilet, irregularitatem incurrit; ſed ſi Clericum percutiat, ſervando mode ramen inculpatæ tutelæ, excommunicationem non incurrit; quia excommunicatio non incurritur ſine dolo, vel diabolica ſuaſione, ut colligitur ex cap. *Si quis ſuadente*; ſed in irregularitatem incidit quis etiam ſine dolo, ut patet in judice reum condemnante. Irregularem eſſe illum, qui pro rebus ſuis conſervandis alterum occidit, docet etiam *Innocentius IV.* in cap. *Si vero*, De ſententia excommunicationis. Irregularitas incurritur vim vi repellendo pro rebus; non excomunicatio, ſi Clericum percutiat; ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.

Doctrinæ, quam ſuperius expoſui de juſtitia moderatæ defenſionis, cujus limites illum prætergredi, qui occidere intendit hominem, ne ab eo occidatur, ex *S. Auguſtino* probavi in Epiſtola ad Publicolam, & lib.

lib. 1. *De libero Arbitrio*, cap. 1. contrariæ ſunt nefariæ illæ, ac execrandæ Propoſitiones, quas Clerus gallicanus anno 1700. in Comitiis generalibus damnavit.

Execrandæ ac merito damnatæ Propoſitiones recentium quorumdam Caſuiſtarum.

„ „ Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifeſtavit, ſed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) ſi aliter non potes effugere; ut ſi maritus pugionem habeat ſub cervicali ad occidendam noctu conjugem; ſi quis venenum tibi propinandum paraverit; ſi Rex unus adverſus aliam claſſem ordinarit „ „.

„ „ Si arma quidem nedum paravit, ſed habet tantum decretum firmum, & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifeſtatione confidenter amicis facta innoteſcat, potes prævenire, quia per illud decretum, etſi pure internum, ſufficienter conſtetur eſſe aggreſſor „ „.

Has autem Propoſitiones illuſtriſſimus, ac religioſiſſimus Clerus hac Cenſura merito confixit: „ „ Doctrina his duabus Propoſitionibus contenta juri naturali, divino poſitivo; & gentium contraria eſt, nefandis cædibus, & Fanatiſmo viam ſternens, ſocietatis humanæ perturbativa, Regibus quoque præſentiſſimum periculum creat „ „.

ARTICULUS III.

De Homicidio ſpirituali, ſive Scandalo.

Scandalum homicidii genus eſt.

Scandalum homicidii genus eſt certum eſt, cum proximis mortem animæ inferat, eoſque vita ſpirituali, & æterna privet. Unde S. Paulus 1. ad Cor. 8. poſtquam dixit non eſſe per ſe illicitum veſci cibis, qui idolis ſunt immolati, ait: *Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in idolio recumbentem; nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt; ſic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum in-*

infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

Hinc *Origenes* Homil. 3. in Pſal. 36. illum Verſum: *Ut dejiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde*, explicans, ait: „„ Trucidantur autem hoc modo; ſi quis ſimplici mente, ac deſiderio veniat ad Eccleſiam, ut proficiat, ut melior ſe fiat, iſte ſi videat nos, qui multo jam tempore in fide ſtetimus, vel non recte agentes, vel cum offendiculo loquentes, efficimur illi nos lapſus ad peccatum. Cum autem peccaverit trucidatus eſt, & ſanguis animæ ejus profluit, omnis ab eo virtus vitalis abſcedit. Et ſi audis dici in Geneſi, quia Sanguinem animarum veſtrarum exquiram ab omni fratre, & ab omni beſtia, non putes, quia de hoc ſanguine magnopere præcipiat corporali, quantum de interioris hominis ſanguine, id eſt, de vita animæ, & ſanguine ſpirituali Scandalizati enim animæ ſanguis effunditur, cum ceciderit in peccatum; & propterea dixit, quia requiritur ſanguis ejus a fratre. Et quare etiam a beſtia? Si fidelis eſt, qui te ſcandalizaverit, frater eſt, a quo requirendus eſt ſanguis tuus. Cum vero contraria poteſtas fera, & nequam perurget hominem, & infidelis eſt, per quem inſidiatur, ſi potuerit fundere ſanguinem animæ tuæ, & dejicere te in peccatum, beſtia eſt, per quam exquirit Dominus ſanguinem tuum. Sed & Ezechiel Pro- Ezech. 3.
pheta, cum dicit ſe ſpeculatorem poſitum domui Iſrael, qui, ſi annuntiaverit rompheam venientem, reus non fiat ſanguinis; ſi non nuntiaverit, reus ſit ſanguinis: & in lege cum dicitur: Si hæc, & hæc fecerit, innocens erit a ſanguine; ſine dubio etiam hic animæ ſanguinem deſignat, qui effunditur per peccatum. Propterea ergo timeamus omnes, ne forte ſanguis alicujus, qui ſcandalizatur, requiratur a nobis „„.

Et *S. Gregorius magnus*, Paſtoralis Curæ P. 3. Admonitione 5. „„ Scire (*inquit*) Prælati debent, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni

ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non ſoli moriuntur, ſed aliarum animarum, quas pravis exemplis deſtruxerunt, rei ſunt „„.

Quid ſit ſcandalum.

II. *Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ.* Quamvis enim ſecundum græci nominis ſignificationem, nihil aliud ſit quam offendiculum in via poſitum, ad quod impingens cadit, aut læditur, ſecundum illud Pſal. 139. *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*; translatione tamen a re corporali ad ſpiritualem facta, paſſim a ſacris Scriptoribus uſurpatur pro ſpirituali offendiculo. Definitur *Dictum, vel factum*, quia cogitatio, vel concupiſcentia mali, cum in corde lateat, non proponitur alteri, ut obex diſponens ad ruinam, adeoque non eſt ſcandalum. Actu quidem interno committi poteſt peccatum ſcandali, ſi quis ita ſit animo comparatus, ut velit alicui peccandi occaſionem præbere; nunquam tamen revera ſcandalum alteri præbebit, niſi verbo, aut exemplo alterum trahat ad peccatum.

Dicitur *Minus rectum*, non quod ſuperetur ab alio in rectitudine; ſed quod habeat aliquem rectitudinis defectum, vel quia ſecundum ſe malum eſt; vel quia ſpeciem habet mali; ſicut cum aliquis recumbit in idolio, id eſt, in loco, ubi comeduntur carnes idolis immolatæ. Quamvis enim id per ſe peccatum non ſit, ſi prava intentione non fiat; quia tamen ſpeciem quamdam habet mali, vel ſimilitudinem venerationis idoli, poteſt alteri præbere occaſionem ruinæ. Et ideo Apoſtolus 1. ad Theſ. 5. ait: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Dicitur itaque *minus rectum*, ut ſcandali notio complectatur tam illa, quæ per ſe peccata ſunt, quam quæ mali ſpeciem aliquam habent.

Dicitur *Dans occaſionem*, non cauſam *ruinæ*: quia nihil poteſt eſſe homini ſufficiens cauſa peccati, quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria voluntas; & ideo dicta, vel facta alterius hominis poſſunt eſſe ſolum cau-

causa imperfecta aliquo modo inducens ad ruinam.

Hanc scandali definitionem tradit, & explicat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 43. art. 1. Non multum differt, imo eadem est quoad sensum cum illa *Tertulliani* lib. *De Virginibus velandis*, cap. 3. *Scandalum* (inquit) *non bonæ rei, sed malæ exemplum est ædificans ad delictum.*

III. Scandalum aliud *Activum*, aliud *Passivum* est. Activi scandali notionem jam explicui. Passivum est spiritualis ruina proximi, ex alterius verbis, aut factis velut ex occasione nata.

Activum aliud *Per se*, aliud *Per accidens* est. *Per se*, cum aliquis verbo, vel facto pravo intendit alterum ad peccatum pertrahere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, tale tamen factum est, quod per se inducat ad peccandum; puta, cum aliquis publicè peccatum committere non veretur, vel aliquid facere, quod habet similitudinem peccati. Scandalum *per accidens* est, quando & *præter intentionem operantis*, & *præter conditionem operis*, aliquis malè affectus ad peccandum inducitur ex alterius opere, puta, cum aliquis invidet bonis. Illud autem minus proprie scandalum vocatur.

Passivum, aliud est *Datum*, aliud *Acceptum*. Datum est, quod ex alterius verbis, vel factis vere oritur, & scandalum infirmorum vulgo vocatur; de quo Christus, *Matth.* 18. ait: *Quicunque scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Scandalum acceptum est ruina, non ex alterius verbis, aut factis, sed ex illius, qui in peccatum impingit, malitia orta, & Pharisaicum appellatur, de quo rogatus Christus a discipulis, Matth. 15. *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* Respondit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum.* Hanc scandali divisionem ex *S. Basilio* in Regulis bre-

vioribus, Interrogatione 64. accepere Theologi.

Viri perfecti nec ſcandalum aliis præbent, nec patiuntur.

IV. Viri perfecti nec ſcandalum aliis præbent, nec ſcandalum patiuntur, quamdiu a juſtitia non excidunt. Scandalum præbent nemini, quia omnia verba ſua, factaque ad regulam rectæ rationis, & divinam legem exigunt, & hanc præcipue cautionem adhibent in his, in quibus non ſolum ipſi offenderent, ſed etiam aliis offenſionem pararent. Et ſi quidem in eorum manifeſtis dictis, vel factis aliquid moderationis hujus deſit, hoc provenit ex infirmitate humana, ſecundum quam a perfectione deficiunt; ſed quia non ita deficiunt, ut multum ab ordine rationis recedant, ſed modicum, & leviter, & ex hoc peccandi occaſio ab alio ſumi jure merito non poteſt. Ita docet *S. Thomas*, loco mox indicato, art. 6. ubi & in reſponſione ad tertium ait: „ „ Peccata venialia perfectorum præcipue conſiſtunt in ſubitis motibus, qui cum ſint occulti, ſcandalizare non poſſunt. Si qua vero etiam in exterioribus dictis, vel factis venialia peccata committant, tam levia ſunt, ut de ſe ſcandalizandi virtutem non habeant „ „.

Nec etiam ſcandalum patiuntur viri perfecti. Scandalum enim paſſivum (inquit *S. Thomas*, art. 5.) commotio quædam eſt animi, qua divellitur a bono. Nullus autem commovetur, qui rei immobili firmiter inhæret. Cum itaque viri perfecti ſoli Deo inhæreant, cujus immutabilis bonitas eſt; pravis aliorum verbis, vel factis non moventur, nec a ſua rectitudine recedunt, ſecundum illud Pſalm. 124. *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion; non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem.* Et ideo: *In his, qui perfecte Deo adhærent per amorem, ſcandalum non invenitur*, ſecundum illud Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam; & non eſt illis ſcandalum.* Unde cum Chriſtus Dominus Petro dixit: *Scandalum mihi es:* ſcandali vocem uſurpavit, prout latiori quadam ſignificatione quodvis impedimenti genus deſignat. Nitebatur ſcilicet Petrus propoſitum Salvatoris noſtri impedire circa paſſionem ſubeundam. Cæ-

Matth. 16.

terum

terum viros perfectos ſcandalum non pati, confirmat *S. Hieron.* in cap. 18. S. Matthæi: „ Qui ſcandali„zatur (*inquit*) parvulus eſt. Majores enim ſcan„dala non recipiunt „. Non minus tamen mala aliorum verba, vel facta, quæ infirmis ſcandalum præbent, averſantur, & improbant.

ARTICULUS IV.

Regulæ Moralis chriſtianæ circa quintum præceptum.

REGULA I.

Omnis, qui ſine ulla legitimæ poteſtatis auctoritate hominem occidit, homicida eſt.

Ipſis *S. Auguſtini* verbis Epiſt. 204. alias 61. concepta hæc Regula eſt. Et Epiſt. 44. alias 163. ad *Eleuſium*, ait: „„ De novo Teſtamento oſtendi non poſſe, quod juſtus quiſquam interfecerit aliquem ſed tamen illud probari poſſe ipſo exemplo Domini, ſceleratos ab innocentibus fuiſſe toleratos „„. *Et Epiſt.* 47. alias 154. *ad Publicolam*: „„ De occidendis (*inquit*) hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium; niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ „„. Non congruit autem perſonæ Clericorum, vel Monachorum, de quibus cap. *Sententiam*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* ſcriptum eſt: „ Sententiam ſanguinis nullus „ Clericus dictet, aut proferat; ſed nec ſanguinis vin„dictam exerceat; vel ubi exerceatur, interſit „. Alioquin ſit irregularis ſeu incapax, qui ſacrum Miniſterium obeat. Et lib. 1. *De Civit. Dei*, cap. 21. idem *S. Auguſtinus* ait: „„ His exceptis, quos aut lex juſta generaliter, aut fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem occiderit, homicidii crimine innectitur. *Et cap.* 26. Miles cum obediens poteſtati, ſub qua legitime conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ſuæ civitatis lege reus eſt homicidii. Imo niſi

fecerit, reus eſt imperii contempti; quod ſi ſua ſponte, atque auctoritate feciſſet, in crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet „ „

Propoſitio damnata.

Merito igitur ab *Alexandro VII.* Pontifice maximo die 24. Septembris anni 1665. damnata eſt hæc Propoſitio ordine 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.*

Hanc & Clerus gallicanus anno 1700. hac Cenſura confixit; *Hæc Propoſitio eſt erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat.*

Leges quidem civiles maritum, qui uxorem in flagranti adulterii crimine deprehenſam occidit, ut homicidam non puniunt: „ „ Sed Eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, ut judicet eum ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ eccleſiaſtico judicio infligendæ, ex hoc, quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſeculare. Et ideo in nullo caſu licet viro interficere uxorem propria auctoritate (*inquit S. Thom.* in 4. *Sententiarum*, diſt. 37. qu. 2. art. 1.)

REGULA II.

Homicidii rei ſunt, qui tyrannum quemlibet privata auctoritate occidunt; parricidæ ſunt, ſi vaſſalli ſint illius, ſive ſubditi.

Cujuslibet enim hominis, etiam publici malefactoris cædes privatis hominibus divina lege prohibetur, tum generali præcepto de dilectione proximi, tum ſingulari præcepto: *Non occides*; tum verbis illis Chriſti, Matth. 26. 5. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Subditi vero divino jure tenentur obedire Principibus, ac Dominis ſuis, quamvis ſævis, improbis, & tyrannis, ut docet S. Petrus Epiſt. 1. cap. 1. *Deum timete* (inquit) *Regem honorificate. Servi, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

Hæreſis a Concilio Conſtantienſi damnata.

Hanc Regulam confirmat Concilium Conſtantienſe, Seſſione 15. ubi Propoſitionem illam: *Quilibet tyrannus* &c. ab Epiſcopo Pariſienſi, & inquiſitore,

ac

ac ſacræ Facultatis Theologicæ Doctoribus in Conſilium fidei vocatis prædamnatam, velut hæreticam merito confixit. „„ Præcipua ſolicitudine volens hæc ſacroſancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæreſum in diverſis mundi partibus invaleſcentium providere, ſicut tenetur, & ad hoc collecta eſt; nuper accepit, quod nonnullæ Aſſertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſque reipublicæ ſtatum, & ordinem ſubvertere molientes, dogmatizatæ ſunt, inter quas hæc aſſertio delata eſt: *Quilibet* Tyrannus poteſt, & debet licite, & meritorie occidi per quemcunque vaſſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato judicis cujuſcunque „„.

„„ Adverſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere, & ipſum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat inſuper, decernit, & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosiſſimam aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi „„. De obligatione ſervandi fidem Principibus ſupremis, ac Regibus debitam ab eorum ſubditis, ac juramenti ipſis præſtiti vinculo, necnon de ſcelere ſubditorum in ipſos conjurantium Cenſuris eccleſiaſticis coercendo, & vindicando, lege Concilii Toletani 4. anno 634. celebrati Canonem ſeptuageſimum quintum; Toletani 5. anno 636. Canones 4. & 7. Toletani 6. anno 638. Canones 14. 17. 18. Toletani 7. anno 652. Canonem primum; Toletani 10. Canonem 2. Toletani 12. anno 681. Canonem primum; Toletani 16. anno 693. Canonem nonum; Pariſienſis ſexti, anno 829. P. 2. cap. 8. Concilii apud

Seelus ſubditorum in Principes conjurantium.

Lauriacum in Pago Andegavenſi anno 843, cap. 2. & 3. Concilii Engilenheimenſis anno 948. Canonem primum; Oxonienſis anno 1222. Canonem 2. Legantur præterea venerabilis *Gerſonis* Cancellarii Pariſienſis Tractatus, & Sermo *De erroribus circa Fidem, & Præceptum*, Non occides.

REGULA III.

Damnationem æternam incurrunt, quicunque ſibi ipſis violentas manus inferunt.

Si enim rei ſunt homicidii, qui proximum occidunt; multo magis rei ſunt, qui occidunt ſeipſos, cum nemo ſit homini propinquior ſeipſo, ſeque ipſum diligere magis debeat, quam alterum. Hinc *Lactantius*, lib. 3. cap. 18. ſcribit; „ „ Sicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, ejuſdem juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti; & ſi vis aliqua inferatur, æqua mente id ferendum eſt, cum extincta innocentis anima inulta eſſe non poſſit, habeamuſque vindicem magnum, cui ſoli vindicta integra ſemper eſt „ „.

Et *S. Auguſtinus*, lib. *De Patientia*, cap. 13. Donatiſtarum impatientiam arguens, ſibi manus inferentium, quando a Catholicis quærebantur: „ „ Job intueantur (*inquit*) qui ſibi ingerunt mortem, quando quæruntur ad vitam; & ſibi auferendo præſentem, abnegant & futuram. Qui ſi ad Chriſtum negandum, vel aliquid contra juſtitiam faciendum, ſicut veri Martyres, cogerentur, omnia potius patienter ferre, quam ſibi impatienter mortem inferre debuerant „ „.

Et cap. 3. „ „ Si parricida eo ſceleratior eſt, quam quilibet homicida, quia non tantum hominem, verum etiam propinquum necat; inque ipſis parricidis, quanto propinquiorem quiſque peremerit, tanto judicatur immanior; ſine dubio pejor eſt, qui ſe occidit; quia nemo eſt homini ſeipſo propinquior „ „.

Idem

Idem Tract. 51. in Joannis Evangelium hæc verba Chriſti: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*, explicans: „„ Vide (*inquit*) ne tibi ſubrepat, ut teipſum velis interimere, ſic intelligendo, quod debes odiſſe in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perverſi, & in ſeipſis crudeliores, & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis præfocant, præcipitio collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit, imo etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit: *Redi retro ſatanas, ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. 4. Petro autem dixit, ſignificans qua morte glorificaturus erat Deum: *Cum eſſes junior, cingebas te, & ibas, quo volebas; cum autem ſenueris, alter te cinget, & feret, quo tu non vis,* Joan. 21. 18. Ubi ſatis expreſſit, non a ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti „„. Lege & Epiſtolam 204. alias 61. ad *Dulcitium* Tribunum.

Idem lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 20. „„ Neque enim (*inquit*) fruſtra in ſanctis canonicis libris nuſquam nobis divinitus præceptum, permiſſumve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali cauſa, nobiſmetipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, ubi lex ait: *Non occides*; præſertim, Exod. 20. quia non addidit, proximum tuum; ſicut falſum teſtimonium cum vetat; *Falſum* (inquit) *teſtimonium non dices adverſus proximum tuum.* Nec ideo tamen ſi adverſus ſeipſum quiſquam falſum teſtimonium dixerit, ab hoc crimine ſe putaverit alienum. Quoniam regulam diligendi proximum a ſemetipſo dilector accepit; quandoquidem ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum tanquam teipſum.* Porro ſi falſi teſtimonii non minus reus eſt, qui de ſeipſo falſum fatetur, quam ſi adverſus proximum hoc faceret; cum in eo præcepto, quo falſum teſtimonium prohibetur, adverſus proximum prohibeatur, poſſitque non recte intelligentibus videri non eſſe prohibitum, ut adverſus ſeipſum quiſque falſus teſtis adſiſtat; quanto magis in-

telligendum eſt, non licere homini ſeipſum occidere, cum in eo, quod ſcriptum eſt: *Non occides*, nullo deinde addito, nec ipſe utique, cui præcipitur, intelligatur exceptus „„?

Et cap. 24. „„ Quis ergo tam malus error obrepit, ut homo ſe occidat, vel quia in eum peccavit, vel ne in eum peccet inimicus, cum vel peccatorem, vel peccaturum ipſum occidere non audeat inimicum „„?

Cap. 25 probat, non licere ſeipſum occidere, ne libidini hoſtili ſubditum corpus illecebroſiſſima voluptate animum alliciat ad conſentiendum peccato. „„ Si deteſtabile facinus (*inquit*) & damnabile ſcelus eſt, etiam ſeipſum hominem occidere, ſicut veritas manifeſte proclamat, quis ita deſipiat, ut dicat, jam nunc peccemus, ne poſtea forte peccemus, jam nunc perpetremus homicidium, ne forte poſtea incidamus in adulterium? Nonne ſi tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, ſed potius peccata eligantur, ſatius eſt incertum de futuro adulterium, quam certum de præſenti homicidium? Nonne ſatius eſt flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur, quam tale facinus, ubi locus ſalubris pœnitentiæ non relinquitur? Hæc dixi propter eos, vel eas, quæ non alieni, ſed proprii peccati devitandi cauſa, ne ſub alterius libidine etiam excitatæ ſuæ forte conſentiant, vim ſibi, qua moriantur, inferendam putant. Cæterum abſit a mente chriſtiana, quæ Deo ſuo fidit, in eoque ſpe poſita, ejus adjutorio nititur; abſit (*inquit*) ut mens talis cujuslibet carnis voluptatibus ad conſenſum turpitudinis cedat. Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua movetur; quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis „„?

Cap. denique 26. diluit objectionem ex Sanctarum quarumdam exemplis petitam, quæ ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, tempore perſecutionis, in raptu-

rapturum, atque necaturum ſe fluminen projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, quarum Martyria in catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur. Quo Martyrii genere obierunt *Pelagia*, ejuſque ſorores, & mater laudatæ a *S. Ambroſio*, lib. 3. *De Virginibus*, & Epiſt. ad Simplicianum. „„ De his (*inquit S. Auguſt.*) nihil temere audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit auctoritas, neſcio; & fieri poteſt, ut ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes? Sicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere. Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimine vocet? Quis obſequium pietatis accuſet? Sed non ideo ſine ſcelere facit, quiſquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit... Qui ergo audit, non licere ſe occidere, faciat, ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere. Tantummodo videat, utrum divina juſſio nullo nutet incerto. Nos per aurem conſcientiam convenimus, occultorum nobis judicium non uſurpamus. *Nemo ſcit, quid agitur in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.* Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſe incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitudine ſanari; neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur; quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit „„. 1. Cor. 2

Hanc Regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 64. art. 5. „„ Seipſum occidere (*inquit*) eſt omnino illicitum triplici ratione. Primo quidem, quia quælibet res naturaliter ſeipſam amat, & ad hoc pertinet, quod conſervat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit, quan-

quantum poteſt. Eâ ideo quod aliquis ſeipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet ſeipſum diligere. Et ideo ſui ipſius occiſio ſemper eſt peccatum mortale, utpote contra naturalem legem, & contra charitatem exiſtens. Secundo, quia quilibet homo eſt pars communitatis; unde in hoc, quod ſeipſum interficit, injuriam communitati facit. Tertio, quia vita eſt quoddam donum divinitus homini attributum, & ejus poteſtati ſubiectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideo qui ſeipſum vita privat; in Deum peccat; ſicut, qui alienum ſervum interficit, peccat in dominum, cujus eſt ſervus; ſicut peccat ille, qui uſurpat ſibi judicium de re ſibi non commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet judicium mortis, & vitæ, ſecundum illud Deuter. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam* „„.

Nec ſuicidis ſuffragatur exemplum *Raziæ*, 2. Machab. 14. cujus facinus *narratum eſt, non laudatum, & judicandum potius quam imitandum*, quaſi ante oculos conſtitutum; non ſane noſtro judicio judicandum, quod nos quoque, ut homines habere poſſemus, ſed judicio doctrinæ ſobriæ, quæ in ipſis Scripturis ſacris expreſſa eſt. Longe quippe fuit a verbis illis; *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe*, Eccleſ. 2. 4. „Non „ ergo fuit iſte vir eligendæ mortis ſapiens, ſed ferendæ humilitatis impatiens „. Scriptum eſt, quod voluerit *Nobiliter, & viriliter*, mori, ſed nunquid ideo ſapienter? *Nobiliter* ſcilicet, ne libertatem ſui generis captivus amitteret; *Viriliter* autem, quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus eſſet, ut ſeipſe perimeret, quod gladio cum implere non poſſet, de muro ſe præcipitem dedit, & ſic adhuc vivus abruptam cucurrit ad petram, atque ibi jam exſanguis, inteſtina ſua produxit; quæ utraque manu diſſipata ſpargebat in populum, ac deinde poſtea defeſſus occubuit. „Magna hæc ſunt, nec tamen bona. Non enim bo„num eſt omne, quod magnum eſt; quoniam ſunt
Exod. 23. 7. „magna etiam mala „„. Deus dixit; *Innocentem, & ju-*

juſtum non occides. Si ergo iſte innocens, & juſtus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens, & juſtus fuit, quare interfector innocentis, & juſti, id eſt ipſius *Raziæ*, inſuper putatur eſſe laudandus? inquit *S. Auguſtinus* Epiſt. 204. alias 61. ad *Dulcitium* Tribunum.

Nec etiam eiſdem ſuffragatur *Samſonis* exemplum, qui non aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod *latenter Spiritus ſanctus hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat;* ut reſpondet *S. Auguſt.* lib. 1. *De Civitate Dei*, cap. 21. Idemque de ſanctis quibuſdam feminis dicendum eſt, quæ vel ſibi ipſis mortem procurarunt, vel ſeipſas mutilarunt, ne ab hoſtibus chriſtiani nominis violarentur. Id enim Spiritus ſancti impulſu pariter ipſas feciſſe pie creditur; & hæc exempla ſuſpicienda, non imitanda ſunt. *Ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla* (ut loquitur *S. Auguſt.* lib. *Contra Mendacium*, cap. 9.)

Nec denique illis ſuffragatur Canon *Non eſt noſtrum*, cauſa 23. quæſt. 5. qui ex *S. Hieronymo* in cap. 1. Jonæ Prophetæ ſumptus eſt, cujus hæc ſunt verba: „ In perſecutionibus non licet propria perire manu, „ abſque eo ubi caſtitas periclitatur „. Hæc enim verba, *abſque eo*, in ſenſu incluſivo intelligenda ſunt, id eſt, etiam dum caſtitas periclitatur; quemadmodum illud Canticorum 4. *Abſque eo quod intrinſecus latet;* vel Cantic. 6. *Abſque occultis tuis;* ut occultorum quoque pulchritudo cum externo decore deſignetur.

REGULA IV.

Homicidii rei non ſunt, qui vitam ſuam pro Dei honore, vel reipublicæ utilitate, ubi id neceſſitas poſtulat, certo periculo exponunt.

Cum enim Deum ſuper omnia diligere teneamur, & reipublicæ partes, ac membra ſimus; debeat autem quodlibet membrum pro totius conſervatione

ſe

ſe periculo exponere, nemo ſeipſum devovere, certoque vitæ diſcrimini exponere non tenetur pro Dei honore, & reipublicæ utilitate. Quamobrem nautis, vel militibus navalibus licet injecto igne in pulverem tormentarium navim comburere, & naufragii periculo ſe exponere, ſi extra navim comburendam poſiti ſint, & ſpes aliqua ſuperſit evadendi. Tunc enim ſibi ipſis mortem afferre non decernunt, ſed ſeipſos morti ab hoſtibus inferendæ eripere, atque impedire, ne capta navi hoſtium vires augeantur. At in navi manentibus ignem admovere non licet, vel in mare ad certum exitium ſe demergere; alioquin ſuicidii rei eſſent. Nec etiam ſeipſos occidere cenſendi ſunt milites, qui ad evertenda hoſtium propugnacula ignem in pulverem tormentarium injiciunt; qui hoſtiles muros, aut turres primi conſcendunt, etiam non juſſi; quia mortem ſibi procurare non intendunt, ſed periculo ſe exponere pro utilitate reipublicæ minime dubitant. Sic *Eleazar* elephantem, cujus in dorſo ſuperextructa turri lignea Rex *Antiochus* incluſus putabatur, aggreſſus, ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, ab eoque oppreſſus eſt, non ſui necem, ſed populi ſui liberationem ſibi proponens; de quo 1. *Machab.* 6. ſcriptum eſt: *Dedit ſe, ut liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum.* Hunc mirifice prædicat *S. Ambroſius* lib. 1. *De Officiis miniſtrorum*, cap. 40. „ Quanta (*inquit*) virtus animi! Primo, ut mortem non timeret; deinde ut circumfuſus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abjecto clypeo utraque manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret; poſt infra ipſam ſuccederet, quo pleniori feriret ictu; cujus ruina incluſus magis quam oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus; tanto enim virtutis ſpectaculo defixi hoſtes, inermem, occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidavetunt, ut impares ſe omnes unius virtutis arbitrarentur; denique

que Rex Antiochus... unius territus fortitudine, pacem rogaret. Itaque Eleazarus heredem virtutis ſuæ pacem reliquit „„.

REGULA V.

Suicidii reus eſt, qui damnatus ut fame pereat, cibum occulte ſibi appoſitum non comedit, vel damnatus ut veneno extinguatur, venenum ſibi propinatum ſumit.

Quamvis enim reus ſententiam in ſe juſte latam pati teneatur; quia *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt;* proindeque judicibus, aut juſtitiæ miniſtris vim inferre non poſſit, ipſoſque vulnerare, mutilare, occidere, ut mortem evadat; ſententiam tamen in ſe latam exequi non poteſt, vel ea facere, ex quibus mors per ſe, immediate, ac neceſſario ſequitur. Ita docet *S. Thom.* 2. 2. qu. 69. art. 4. in reſponſione ad ſecundam objectionem: „„ Nullus (*inquit*) ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur; quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt eum pati. Sicut etiam ſi aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat, quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere „„. Rom. 13.

Idem confirmat art. 6. qu. 32. ubi ait: „„ Si aliquis in articulo neceſſitatis conſtitutus, haberet ſolum unde poſſet ſuſtentari, & filii ſui, vel alii ad eum pertinentes; de hoc enim neceſſario eleemoſynam dare, eſt ſibi, & ſuis vitam ſubtrahere. Sed hoc dico, niſi forte talis caſus immineret, ubi ſubtrahendo ſibi, daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel reſpublica ſuſtentaretur; quia pro talis perſonæ liberatione ſeipſum, & ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret; cum bonum commune ſit proprio præferendum „„.

REGULA VI.

Suicidii rei ſunt, qui per crapulam, ebrietatem, vel obſcœnam libidinem, aut alias animi perturbationes ſeipſos occidunt.

Ita perſpicua Regula eſt, ut probatione non egeat. Hanc nihilominus ſacræ Scripturæ confirmat auctoritas: *Eccleſiaſtici* cap. 31. 30. 33. *Multos exterminavit vinum... Quæ vita eſt ei, qui minuitur vino? quid defraudat vitam? Mors.* Et cap. 37. 33. 34. *In multis eſcis erit infirmitas... Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Proverb. 27. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Eccleſ. 30. 25. *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* 2. ad Corinth. cap. 7. 10. *Seculi triſtitia mortem operatur.* Eccleſ. 30. 26. *Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.* Et Proverb. 14. 30. *Vita carnium, ſanitas cordis: Putredo oſſium, invidia.*

REGULA VII.

A peccato non ſunt immunes, qui ſtudiorum, laborum, jejuniorum, vigiliarum, aliarumque corporis mortificationum immoderatione ſe conficiunt.

Peccant enim contra charitatem, qua ſeipſos, corpuſque ſuum diligere propter Deum, & ſecundum Deum debent; mandati divini memores: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Apoſtolicæ item ſententiæ, ad Epheſ. 5. 29. *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovit eam.* Et ad Romanos 14. 20. *Noli deſtruere opus Dei.* Quamvis enim vir chriſtianus corpus ſuum caſtigare debeat, & in ſervitutem redigere; ne caro petulans adverſus ſpiritum ita concupiſcat, ut ipſum pertrahat ad ſerviendum legi peccati; quamvis debeat mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferre; quamvis blandiri ſibi ipſi non debeat, nimiſque timere, ne *Jejunium, quod animabus, corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt*, ne *Medicinalis parſimonia* (ut Eccleſiæ verbis utar)

litar) ſuæ noceat valetudini: Prudentia tamen chriſtiana, ſine qua non eſt vera *Pietas ad omnia utilis & promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*, ſtudia, labores, jejunia, vigilias; cæteraſque corporis mortificationes moderari debet, ut caſtigetur corpus, dometur caro, non deſtruatur; ut ad ſerviendum Deo promptior ſit homo, & alacrior; non ut impotens ad officia ſui ſtatus obeunda reddatur; ut animus a viciis purgatus, & pravarum cupiditatum vinculis expeditus, & liber ad Deum erigatur; non ut fatiſcentis, & oppreſſi corporis pondere prægravetur, ac deprimatur; ut parcatur corpori; non peccato in corpore inhabitanti, ſive concupiſcentiæ, cujus domandæ, coercendæ, & ſubjiciendæ legi mentis neceſſitas regula mortificationum, & auſteritatum eſſe debet, uſque adeo, ut *S. Auguſt.* lib. 6. *Adverſus Julianum*, cap. 15. de homine chriſtiano corpus ſuum caſtigante ſcribat: „ Nonne membra ejus membra ſunt utique templi Dei? Cur ergo non ſuavi odore, ſed pædore templi ejus; aut invitat præſentiam, aut impetrat miſericordiam, aut placat iram ejus? Nihilne mali caſtigat, domat, vincit, opprimit in templo Dei, etiam livore, & pædore ipſius templi Dei? Nonne attendis, nonne perſpicis, quia tam vehementer corpus ſuum perſequens, ſi nihil ibi perſequitur, quod diſplicet Deo, fruſtra perſequendo templum ejus facit injuriam magno Deo „? Scimus tamen, quod non eo ſolum nomine mortificare corpus ſuum Chriſtiani debeant, ſed etiam ut ſocii paſſionum Chriſti fiant, certi, quod ſi compatiuntur, & conglorificabuntur; ſed modus in his ſervandus eſt a prudentia ſpiritus præſcriptus; & Patris ſpiritualis, ſeu conſcientiæ moderatoris, vel Superioris lumen, & arbitrium potius, quam privatus ſpiritus, propriaque voluntas ſequenda. Unde *S. Benedictus* cap. 49. Regulæ ſuæ, ubi fratres ſuos hortatur, ut quadrageſimali tempore aliquid ad ſolitas auſteritates adjiciant, & „ unuſquiſque ſuper menſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate, cum

1. ad Timi 4.

Modus in corporis mortificatione, & auſteritatibus ſervandus.

gaudio ſancti Spiritus offerat Deo; id eſt, ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurrilitate; *ſubdit*: Hoc ipſum tamen, quod unuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum ejus fiat oratione, & voluntate; quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi „ „.

Hinc *S. Bernardus*, Serm. 3. De Circumciſione: „ „ Illis (*inquit*) qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur reſtare periculum, & omnino
2. Cor. 11. timendum eis a dæmonio meridiano. *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit; ne, dum ſequitur affectionem, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem; ac deinde neceſſe habeat non ſine magno ſpiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat, qui currit, illuminari neceſſe eſt lumine diſcretionis, quæ mater virtutum eſt, & conſummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc eſt octava dies, in qua circumciditur puer; quia diſcretio vere circumcidit, ut non plus, nec minus fiat. Nam & qui nimis eſt, fructum boni operis abſcindit, non circumcidit; ſicut, qui tepidus eſt, minus facit... At vero, quia omnino rara illa avis eſt in terris, hujus diſcretionis locum in vobis, Fratres, ſuppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum ſit, faciatis „ „.

Hanc Regulam ante *S. Bernard.* tradiderat *S. Gregorius magnus*, lib. 30. *Moralium* cap. 14. „ „ Sic neceſſe eſt (*inquit*) ut artem quiſque continentiæ teneat, quatenus non carnem, ſed vitia carnis occidat. Nam adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem, quem exterius geſtamus; & ipſi inſunt motus laſciviæ, ipſi effectus ſuppetunt operationis bonæ. Sæpe vero dum in illo hoſtem inſequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus; & ſæpe dum quaſi concivi parcimus, ad prælium hoſtem nutrimus. Eiſdem namque alimentis vitia ſuperbiunt, quibus nutritæ

tritæ virtutes vivunt. Et cum virtus aliter, plerumque vires vitiis augentur: cum vero immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est, ut interior homo noster æquus quidam arbiter prælideat inter se, & eum; quem exterius gestat; quatenus ei homo suus exterior, semper ad debitum ministerium servire sufficiat, & nunquam superbe libera cervice contradicat. Nec moveat, si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper interposita calce dominationis premat. Sicque fit, ut dum repressa vitia reniti quidem nobis patimur, & tamen hæc nobiscum congredi ex æquo prohibemus, nec vitia contra virtutem prævaleant, nec rursum virtus cum vitiorum omnimoda extinctione succumbat „„.

Eamdem Regulam confirmat *Guilelmus* Abbas *S. Theodorici* in Tract. de vita solitaria ad Fratres de monte Dei, cum operibus *S. Bernardi* edito, cap. 11. „„ Sunt (*inquit*) & alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, jejunia, & alia hujusmodi, quæ spiritualia non impediunt, sed juvant, si cum ratione discretionis fiant, quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficiente spiritu, vel languente corpore spiritualia impediantur, qui sic est, corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem. Sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Non quod secundum Apostoli sensum non videatur humanum etiam hoc, & non deceat, & justum non sit caput aliquando dolere in servitio Dei, quod olim sæpe usque ad dolorem laboravit in vanitate seculi; esurire ventrem usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque ad vomitum. Sed modus in omnibus habendus est. Affligendum est corpus aliquando, sed non conterendum. Nam *Corporalis exercitatio ad modicum quidem valet, & pietas ad omnia utilis est.* Propter quod & ad modicum, hoc est, non in concupiscentiis, sed tamen cura carnis habenda est „„. 1. Tim. 4.

S. Bern. ſeipſum accuſaſſe, quod corpus ſuum jejuniis, & vigiliis immodicis confeciſſet, teſtis eſt *Guilelmus* Abbas in ejus vita, lib. 1. cap. 8. „ „ Etſi (*inquit*) nimietate forſan exceſſit, quid eum excuſare nitimur, in quo non confunditur accuſare ſeipſum, quod ſervituti Dei, & fratrum abſtulerit corpus ſuum, dum indiſcreto fervore imbecille, ac pene inutile reddidit „ „?

Hanc Regulam præclaro confirmat ratiocinio *S. Thom.* Quodlibeto 5. q. 9. art. 2. „ „ Aliter (*inquit*) eſt judicandum de fine, aliter de his, quæ ſunt ad finem. Illud enim, quod quæritur tanquam finis, abſque menſura quærendum eſt; in his autem, quæ ſunt ad finem, eſt adhibenda menſura ſecundum proportionem ad finem; ſicut medicus ſanitatem, quæ eſt finis ejus, facit quantumcunque poteſt majorem, ſed adhibet medicinam, ſecundum quod convenit ad ſanitatem faciendam. Eſt ergo conſiderandum, quod in ſpirituali vita dilectio Dei eſt ſicut finis; jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tanquam finis, quia, ſicut dicitur ad Romanos 14. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus*; ſed adhibentur tanquam neceſſaria ad finem, id eſt, ad domandas concupiſcentias carnis, ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Cor. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, &c.* Et ideo hujuſmodi ſunt adhibenda cum quadam menſura rationis, ut ſcilicet concupiſcentia devitetur, & natura non extinguatur, ſecundum illud ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*; & poſtea ſubdit: *rationabile obſequium veſtrum.* Si vero aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujuſmodi, quod non ſufficiat debita opera exequi (puta, prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & ſic de aliis) abſque dubio peccat, ſicut etiam peccaret vir, qui nimia abſtinentia ſe impotentem redderet ad debitum uxori reddendum „ „. Id confirmat ex can. *Non mediocriter*, diſt. 5. *De Conſecratione*, ſub nomine *S. Hieronymi* citato, cujus hæc

ſunt

ſunt verba: „ „ De rapina holocauſtum offert, qui vel ciborum nimia egeſtate, vel ſomni penuria immoderate corpus affligit. *Et iterum*: Rationalis hominis dignitatem amittit, qui jejunium charitatis, vigilias ſenſus integritati præfert „ „.

Sed tamen carnis mortificatio, caſtigatio corporis prudens, & temperata a Chriſtiano intermitti non debet, qui ſe peccatorem ſemper agnoſcat, & profiteatur neceſſe eſt, nulli rei niſi pœnitentiæ natum; quia quamvis juſtus ſit, ſemper tamen ex aliqua parte eſt peccator, ideoque ſemper gemere, & corpus caſtigare debet, ac emendare, ſed in miſericordia. Qua de re præclare *S. Auguſt.* Enarratione in Pſalm. 40. „ „ Humilia cor tuum, contere cor tuum, crucia cor tuum, & tu te ipſum emendabis in miſericordia. Non enim odiſti te, cum ſævis in te. Eris in parte emendante juſtus, quamvis ſis adhuc in emendanda peccator. Ex qua parte enim tibi diſplices, injuſtus es; ex qua tibi diſplicet in te, quod injuſtum eſt, juſtus es. Vis videre quam juſtus es? hoc in te tibi diſplicet, quod & Deo; jam conjunxiſti te voluntati Dei, & in te ipſo, non quod ille fecit, ſed quod ille odit, odiſti: ex eo, quod odiſti in te, quod feciſti, quod odit & ille qui hoc non fecit, cœpiſti in te eſſe ſeverus, erit ille miſericors; parcet, quia tu non pepercisti... Quomodo, inquies, ex quadam parte juſtus, ex quadam parte peccator? Audi illud ab Apoſtolo: *Condelector* (inquit) *lege Dei ſecundum interiorem hominem.* Ecce juſtus. Unde ergo peccator? *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati.* Adhuc bellum adverſus me gero, nondum ſum totus inſtauratus ad imaginem Fabricatoris mei, cœpi reſculpi, & ex ea parte, qua reformor, diſplicet mihi, quod deforme eſt. Ergo quamdiu ita ſum, quid ſpero? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Gratia Dei, quæ cœpit jam reſculpere, gratia Dei, quæ infundit ſuavitatem, ut jam per interiorem

Carnis mortificatio prudens, & temperata intermitti a Chriſtiano non debet.

Rom. 7.

rem hominem condelecteris legi Dei; inde cætera ſanabuntur, unde & iſta ſanata ſunt. Geme, adhuc vul-
1. Cor. 9. neratus, caſtiga te, diſplice tibi. *Non ſic pugno* (inquit) *quaſi aerem cædens, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipſe reprobus inveniar.* Nunquid, qui caſtigat corpus, odit corpus? Si quis caſtigat ſervum, odit ſervum? Si quis verberat filium, odit filium? Et ut aliquid conjunctius eloquamur, caro tua tanquam conjux tua eſt. Hoc
Eph. 5. ipſe Apoſtolus dicit: *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccle-*
Galat. 5. *ſiam.* Tamen quid alio loco: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Concupiſcit adverſus te, tanquam conjux tua; ama & caſtiga, donec fiat in una reformatione una concordia. Quando iſtud erit? Quoniam modo clamas: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nunquid ſeparabitur a te hoc corpus, & tunc ſecurus
Rom. 8. eris? Et quid eſt: *In noſmetipſis igemiſcimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri?* Reparatur ergo a mortalitate ad immortalitatem, & jam non reſiſtit, quia non eſt mortalitas, quæ reſiſtat. Propterea caſtiga corpus tuum, modo doma, quod poſtea recipias, modo deficiat, ut tunc ſufficiat... Ergo cum dicitur: *Emendabit me, & arguet me*: ſive ſit frater, ſive ſit proximus, ſive ſit vicinus, ſive tu ipſe, in miſericordia debes argui, & emendari „ „.

REGULA VIII.

Qui vitam ſuam defendens, alterum occidit, pœnitentiæ ſubjiciendus eſt, & ſi Clericus ſit, ab Altaris miniſterio eſt arcendus, donec ipſi diſpenſatio Sedis apoſtolicæ auctoritate conceſſa fuerit.

Vix enim contingit, ut debitam moderationem ſervet, ut aggreſſorem iræ impetu abreptus, occidere non intendat, adeoque ut homicidii reus non ſit in foro conſcientiæ. Quod a pœnitentiariis Sacerdotibus diligenter examinandum, & pro gravita-

vitate culpæ, ex circumſtantiis omnibus judicanda, pœnitentia hujuſmodi cædis auctori imponenda eſt; qui ſi Clericus ſit, ſervandum erga ipſum eſt Concil. Trid. Decretum ſeſſ. 14. *De Reformat.* cap. 7. „„ Si vero (*inquit*) homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcunque, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu vicinjori Epiſcopo, qui nonniſi cauſa, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit „„.

Hanc Regulam confirmat *Hildebertus* Cœnomanenſis Epiſcopus, deinde Turonenſis Archipræſul, Epiſtola 60. ad Epiſcopum Carnotenſem. „„ Sicut (*inquit*) parvitatem meam veſtra docuit pagina, cum latro quidam portitorem præſentium Sacerdotem invaderet, & pannis ejus lance perforatis eum vellet occidere; Sacerdos latronem lapide percuſſit, & ictus ipſius percuſſione, & occaſione latro mortuus eſſe putatur. Pro quo ſcilicet delicto jam per ſeptennium ab officio dominicæ menſæ providentia veſtra eumdem ſuſpendit Sacerdotem. Sane ſuper hoc dignati eſtis meum quærere conſilium, niſi fallor, & id ad veſtram referri inquiſitionem; ſi Sacerdoti ad ſacrum liceat redire Officium, quod ei medicinaliter abſtuliſtis. Conſideranti igitur mihi quanta in Sacerdote poſtuletur innocentia, & maxime quod immunis eſſe debeat a ſanguine; non videtur Sacerdotem reum ſanguinis oportere deinceps miniſtrare; quamvis tuendæ ſalutis neceſſitate homicidium incurrerit... De reformatione igitur Sacerdotis mihi rem intuenti nihil aliud, quam quod ſupradictum eſt, videtur. Quod etiam ſi liceat, non tamen expedit, quoniam & exemplo offendit, & ulciſcendi ſobrietatem adducit. Si autem ſimile aliquid in commiſſa mihi parochia contigiſſet, reum ad apoſtolicam miſiſſem audientiam, quatenus ex conſilio illius, & ego inſtruerer.

ret, & peccator de reformatione ſententiam ſuſciperet certiorem „ „.

Idem confirmat collectio Canonum ab *Iſaac* Epiſcopo Lingonenſi adornata, & ex duorum Conciliorum a *S. Bonifacio* Moguntino Archiepiſcopo, & Sedis apoſtolicæ Legato celebratorum Decretis a *Zacharia* Pontifice maximo confirmatis conflata. Sic enim habet titul. 2. can. 13. „ „ Si quis quiete gradiens per viam, aut ſi etiam in domo ſua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa, ſubito ab alio ſit ſuperventus, aut litis commotione volens ſe defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, ſeptem annis ſecundum canonicam inſtitutionem pœniteat, tres vero a communione privetur, quatuor vero in communione orationum, & oblatione ſuſceptus, in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus ſit Corpus Chriſti accipere, aut uſque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo ſeparari. Abſtinentia ciborum in providentia Sacerdotis erit, ſecundum poſſibilitatem Sacerdotis, & devotionem, & affectum „ „.

REGULA IX.

Pro levis momenti rebus defendendis, qui furem occiderit, homicidii reus eſt.

Quamvis enim hæc Chriſti Domini verba, Matth. 5. *Et qui* vult *tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, conſilium duntaxat proponant, ſi de opere ipſo intelligantur, præceptum tamen continent, ſi animi præparatio ſpectetur, id eſt, ſi quis a nobis tollat tunicam, non ſemper tenemur illi dimittere pallium, ſed ita animo affecti eſſe debemus, ut potius pallium, & alia id genus dimittamus, quam injuriam ulciſcamur, & charitatem violemus, qua proximum diligere ſicut nos ipſos debemus. „ „ In his omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientiſſimum, & miſericordiſſimum, & ad plura perferenda paratiſſimum ani-

animum Chriſtiani eſſe oportere „„ (*inquit S. Auguſt.* lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 20.) At qui pro levis momenti rebus defendendis, ſive conſervandis hominem occidit, hoc patientiæ chriſtianæ præceptum in præparatione animi non obſervat, ut tunicam tollenti dimittat & pallium, nec proximum ſicut ſeipſum diligit, cum levis momenti res ad vitæ, vel ſtatus ſui conſervationem non omnino, & abſolute neceſſarias magis diligat, quam proximi vitam.

Id confirmat *Alexander III.* cap. *Suſcepimus*, Extra, *De Homicidio*, cujus hæc ſunt verba: „„ Cum lator præſentium in cuſtodia cujuſdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipſos in perſonis affligere, & denudare veſtimentis propriis præſumpſerunt; in quos illi reſumptis viribus inſurgentes, ligaverunt illos, & detinere uſque ad notitiam Capituli voluerunt. Cum autem iſte rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris ſui cuſtodia dimiſiſſet, & fures ſe ſolvere niterentur, frater illos (ne ipſe ab eis interimeretur) occidit. Verum quoniam expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humiliter ab altaris miniſterio; & uterque peccatum ſuum ad arbitrium tuum ſtudeat expiare „„.

Merito itaque inter alias pravi dogmatis opiniones ab *Innoc. XI.* Pontifice maximo die 2. Martii anni 1679. hæc etiam Propoſitio 31. damnata eſt: *Regulariter poſſum occidere furem pro conſervatione unius aurei.* Illam damnavit & Clerus gallicanus anno 1700. *Ut legi Dei, & ordini charitatis divinitus inſtituto contrariam, perniciosam, & erroneam.* Propoſitio damnata.

REGULA X.

Homicidii reus eſt, quiſquis jus, quod habet in res quaſcunque temporales, eorum, qui conſecutionem, vel poſſeſſionem illam impediunt, cæde defendit.

Moderamen quippe inculpatæ tutelæ excedit crudelis ille defenſionis modus; aliæque viæ, ac juris remedia præſto ſunt homini ad jus ſuum vindicandum. Præterea, hoc Domini præceptum: *Et qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & veſtimentum* (Matth. 5.) *Ad præparationem cordis* pertinere intelligitur, ut explicat *S. Auguſt.* loco ſupra indicato; quam certe præparationem non habet, qui jura ſua ad res quaſcunque temporales, eorum cæde, qui ipſas oppugnant, ſeu illarum conſecutionem, aut poſſeſſionem impediunt, vindicat, aut vindicare ſtatuit. *Nam* „ „ De tunica, & veſtimento, quod dictum eſt, non in eis ſolis, ſed in omnibus faciendum eſt (*inquit S. Auguſt. ibidem*) quæ aliquo jure temporaliter noſtra eſſe dicimus. Si enim de neceſſariis hoc imperatum eſt, quanto magis ſuperflua contemnere convenit? Verumtamen ea, quæ noſtra dixi, eo genere includenda ſunt, quo Dominus ipe præſcribit, dicens: *Si quis vult judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere.* Omnia ergo illa intelligantur, de quibus judicio nobiſcum contendi poteſt, ita ut a noſtro jure in jus illius tranſeant, qui contendit, vel pro quo contendit; ſicuti eſt veſtis, domus, fundus, jumentum, & generaliter omnis pecunia „ „.

Propoſitiones damnatæ.

Merito igitur ab *Innocentio XI.* Pontifice maximo damnatæ ſunt & illæ Propoſitiones:

32. „ Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus „.

33. „ Licitum eſt, tam heredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra earum poſſeſſionem injuſte impedientem „.

Clerus etiam gallicanus anno 1700. has Propoſitiones *Legi Dei, & ordini charitatis divinitus inſtituto contrarias, pernicioſas, & erroneas* judicavit.

R E-

REGULA XI.

Homicidii reus eſt, qui pro honoris defenſione hominem occidit, quod nunquam licet.

Præceptum enim divinum, *Non occides*, hanc exceptionem non patitur, ut homicidii crimine rei non ſint, qui pro honoris defenſione aliquem occidunt. „ „ His exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur „ „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 1. *De Civit. Dei*, cap. 21.) Cum itaque nec lex juſta generaliter, ne ipſe fons juſtitiæ Deus occidi jubeant, vel permittant hominem pro defenſione honoris, homicidii reus erit, quiſquis pro honoris defenſione hominem occiderit.

Præterea, Chriſti præceptum de altera maxilla percutienti præbenda, cæteræque chriſtianæ patientiæ leges, ſaltem in animi præparatione retinendæ ſunt, ut jam diximus, & pluries repetere non piget. Quis vero cum hac patientia conſiſtere poſſe dixerit contumelioſi, vel calumniatoris, vel alapam nobis impingentis cædem? De animi præparatione, quæ injuriis ferendis neceſſario retinenda eſt, audiendus *S. Auguſt.* Epiſt. 138. alias 5. ad Marcellinum. „ „ Quanta vero (*inquit*) præcepta concordiæ non humanis diſputationibus exquiſita, ſed divina auctoritate conſcripta in Chriſti Eccleſiis lectitentur, quis vel ab illa religione alienus ita ſurdus eſt, ut ignoret? Ad hoc enim & illa pertinent, quæ malunt exagitare, quam diſcere, alteram percutienti præbendam eſſe maxillam, volenti auferre tunicam, dandum etiam pallium, cum angariante duplicandam viam. Hoc quippe fit, ut vincatur bono malus, imo in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur a malo, non exteriore, & alieno, ſed intimo, ac ſuo, quo gravius, & perniciosius, quam cujuſvis hoſtis extrinſecus immanitate vaſtatur. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit temporalia commoda, ut do-

ceat,

ceat, quam pro fide, atque juſtitia contemnenda ſint, quæ ille nimis amando fit malus, ac ſic injurioſus ab eo ipſo, cui fecit injuriam, diſcat, qualia ſint, propter quæ fecit injuriam, atque in concordiam, qua nihil eſt utilius civitati, pœnitens acquiratur, victus non ſævientis viribus, ſed benevolentia patientis. *Quomodo vero impleatur hoc præceptum, etiamſi ſemper dextera maxilla non offeratur, his verbis exponit:* Nunc vero cavendum eſt, ne vindicandi cupiditate amittatur (ut nihil aliud dicam) ipſa patientia, quæ eſt pluris habenda, quam omne, quod poteſt etiam invito inimicus auferre. Paratus itaque debet eſſe homo juſtus, & pius, patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potius creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum. Denique iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia, in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus, hinc liquido oſtenditur, quod ipſe Dominus Jeſus exemplum ſingulare patientiæ, cum
Joan. 18. percuteretur in faciem, reſpondit: *Si male dixi, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis?* Nequaquam igitur præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potius prohibuit; ne qui fecerat injuriam, augeret; & tamen paratus venerat non ſolum in faciem percuti, verum etiam pro his quoque, a quibus hæc patiebatur, Crucifixus occidi. *Et paulo poſt:* ſunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda, ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa, etiam cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potius utilitati conſulendum eſt, quam voluntati „ „. Simul docet *S. Auguſt.* & quid intus in animo agendum ſit, & quid extra; monet intus complendam benevolentiam, extra autem id faciendum, quod eis prodeſſe

poſ-

poſſit, quibus bene velle debemus. Nunquam porro utile eſt alicui interfici, præſertim in lethali peccato; nunquam igitur occidere licet contumelioſos, aut calumniatores pro defenſione honoris noſtri. Rejicienda ergo cum execratione illorum doctrina eſt, qui aſſerere non dubitarunt: Licitum eſſe occidere calumnioſum actorem, teſtes, & judices, ad honorem tuendum; non eſſe reum homicidii virum religioſum, vel Clericum, qui occiderit calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de Ordine ſuo ſpargentem, aut ſpargere minantem; nec eum, qui fragilitati cedens feminam vilem cognovit, quæ honori ducens ſe proſtituiſſe tanto viro, rem enarrat, & eundem infamat; nec eum qui occiderit invaſorem, etiam fugientem, poſt alapam ſibi impactam, aut calumniam illatam; hæc (inquam) opinionum monſtra cum execratione rejicienda ſunt, utpote quæ non modo quintum Decalogi præceptum, ſed omnia generatim chriſtianæ patientiæ mandata concutiant, & violare doceant. Hæc enim mandata ſaltem in præparatione animi complenda ſunt; præparatio autem iſta poſtulat, ut intus benevolentia retineatur, foris id fiat, quod utile ſit, non nobis, ſed inimico, cui prodeſſe velle debemus.

Eadem hac de re fuit *S. Hieronymi*, quæ *S. Auguſt.* ſententia, idemque omnino animus. Calumniis impetitus eſt a *Ruffino*, de quo ſcribit libro 3. adverſus ipſum edito: „„ De ſene ſenex tanta confingis, quanta non diceres de latrone homicida, de ſcorto meretrix, ſcurra de mimo; qui parturis mihi montes criminum, & gladios, quo defigas in jugulum meum, tanto ante tempore exacuis „„. Tantum autem abeſt, ut auctor honorem ſuum cæde calumniatoris defendere ſibi licitum exiſtimaverit, ut etiam mutuis calumniis vim ejus repellere nefas judicaverit. „„ Abſit (*inquit*) ut imitator tui ſim, & quod in te reprehendo, ipſe faciam. Ille loquatur ſpurcitias, qui poteſt ſpurca committere. *Malus homo de malo cordis ſui theſauro profert ea, quæ mala* Matth. 12.

ſunt

Junt: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Habeto interim lucrum, quod amicus quondam tuus, nunc accuſatus, turpia tibi non vult objicere. Et hoc dico, non quod accuſationis tuæ gladios pertimeſcam, ſed quod magis acculari velim, quam accuſare, & pati injuriam, quam facere; ſciens præceptum ab Apoſtolo: *Non noſmetipſos ulciſcentes, chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta, & ego retribuam* „„.

Rom. 12.

At (inquiunt) honor vita charior eſt: ergo licet pro honoris, ut pro vitæ defenſione alterum occidere.

Non minus certe futile, & fallax, quam crudele ratiocinium! Nam ſi honor conſideretur, quatenus eſt bonum ejus, qui dicitur honorari, nec ad aliorum refertur utilitatem, falſum eſt, quod honor ſit potior vita. Nullum enim contra exilius bonum, quam illud, quod in alienis judiciis, non in ipſo, cujus bonum dicitur, poſitum eſt. Hoc bonum propter ſe deſiderare, mera eſt ambitio; gaudere de ejus adeptione, mera vanitas; recteque omnino Stoicus ille apud Ciceronem, qui gloriæ cauſa negabat digitum a ſapiente commotum iri. Vitæ autem naturalis quidam eſt amor, & dum intra limites a Deo præſcriptos maneat, etiam legitimus: *Mortem* enim (ut *S. Auguſtinus* ait) *horret non opinio, ſed natura.* Accidit, quod vitæ tuendæ, ſervandæque nulla quandoque ratio ſupereſt altera præter cædem invaſoris, & vita ſemel amiſſa recuperari non poteſt; honor vero aliter defendi poteſt, ac reſarciri; imo cæde calumniatoris non abſtergitur inuſta infamiæ labes. Hinc enim non probatur falſo, aut injuſte dicta eſſe, quæ in occiſoris famam vulgata ſunt, ſed ſolum, quod occiſor ea iniquo animo tulerit; ſæpe autem iniquo animo feruntur etiam illa, quæ vere, ac juſte dicta ſunt. Si vero ſpectetur honor, quatenus ad aliorum utilitatem pertinet, vita quidem potior eſt, illumque defendere licet, ſed non licet crimine, adeoque nec homicidio, nec adulterio, nec perjurio,

nec

nec calumnia, nec ulla alia ratione, quam divinæ, humanæque leges prohibeant. Honoris tuendi cauſa vitam alteri eripere nunquam licet; amittenda vero quandoque vita eſt potius, quam aliquid committatur, unde aliqua honori noſtro labes aſpergi poſſit. Sic Sacerdos, & vir religioſus potius vitam ſuam in diſcrimen adduci patietur, quam ut merito in alicujus criminis ſuſpicionem veniat; morietur etiam potius vir militaris, quam ut in bello ignave ſe gerat, ſtationem deſerat, fugam arripiat, aut quid aliud committat, propter quod gradu moveri, & exauctorari mereatur. Hæc eſt famæ, & boni nominis cura, quam ſacra Scriptura commendat, ad quam hortantur Patres, quam præcipiunt Concilia, Toletanum 4. anno 733. cap. 22. & 23. Aquiſgranenſe anno 816. libro 1. cap. 112. Pariſienſe 6. anno 829. cap. 20. quorum Conciliorum mentem egregie complexus *Ivo Carnotenſis* Epiſtola 260. ad *Gaufridum* Anachoretam data, ſic loquitur: „ Cum omnis caſtæ religionis profeſſor viſceribus charitatis abundare debeat, ut tam ſaluti proximorum, quam ſuæ providere ſtudeat, neceſſe eſt, ut hæc duo principaliter appetat, puram conſcientiam, & bonam famam, conſcientiam propter ſe, famam propter proximum. Qui enim negligit famam ſuam, crudelis eſt; occidit enim proximum, quantum in ſe eſt. Qui ergo vult famam ſuam conſervare, non tantum debet, quæ bona ſunt facere, ſed etiam quæ probabiliter fingi poſſunt mala evitare. Hæc Paulus in ſe conſiderans confidenter dicebat: *Pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum.* Nos itaque quamvis ſanctitati Pauli longe impares ſimus, tamen quantum Dei gratia donante poſſumus, cum bona conſcientia famam noſtram conſervare ſtudeamus; ne cæco, & infirmo fratri offendiculum, aut ſcandalum ponamus, & pereat, ſecundum Apoſtolum, infirmus in conſcientia noſtra frater. Quod evenire aliquando ſolet, cum vicini curioſi corroſores vitæ noſtræ, deſidioſi autem correctores vitæ ſuæ, ſimplicia 1. Cor. 4.

cia facta noſtra inſpiciunt, quæ in utramque partem verti poſſunt adhibitis conjecturis, quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. Unde infirmitati fraternæ conſulentes, ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento utatur ad velandam ſuam perverſitatem, vel ad infuſcandam mentis noſtræ ſerenam ſimplicitatem „„. Sic honoris, & famæ cura gerenda eſt, non crimina patrando, ſed vel umbram, ſuſpicionemque criminum fugiendo.

Propoſitiones damnatæ.

Ex his colligitur, merito ab *Alexandro VII.* Pontifice maximo die 24. Septembris anni 1665. damnatam inter alias pleraſque illam Propoſitionem ordine 18. „„„ Licite interficere falſum acculatorem, falſos teſtes, & etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via innocens damnum non poteſt evitare „„.

Item ſtatim ordine 17. „„„ Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi religioſo, vel ejus religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta crimina impingere, niſi occidatur „„.

Merito denique ab *Innocent. XI.* Menſe martio anni 1679. inter alias pariter pravi dogmatis Propoſitiones hanc ordine trigeſimam proſcriptam fuiſſe, ac damnatam: „„ Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat „„.

Clerus etiam gallicanus in Comitiis generalibus anni 1700. tres illas Propoſitiones ſpecialibus Cenſuris confixit. Duas quidem priores his verbis: „„ Hæ duæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, erroneæ, Decalogo aperte repugnant, cædibus patrocinantur, & magiſtratibus, ipſique humani ſocietati certam perniciem intentant „„. Ter-

Tertiam vero his verbis damnavit: „ Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, erronea, mundano honori „ ſervit, ultionem, & homicidia excuſat „.

REGULA XII.

Homicidii rei ſunt, qui duello pugnant, quod per ſe illicitum, & mortale peccatum eſt.

Non ſumitur hic duellum pro pugna duorum, qui repente, & ſine pacto pugnant, neque pro rixa duorum, qui ex conventione pugnant ſine armis, quamvis & hujuſmodi pugnæ gravia peccata ſint; ſed pro pugna duorum, qui certo loco, & tempore ex pacto conveniunt, aut ſibi occurrunt certaturi cum vitæ periculo. Duellum.

Id autem pugnæ genus illicitum per ſe eſt, ſive ulciſcendæ injuriæ cauſa, quam privata auctoritate ulciſci non licet; ſive privatæ, aut publicæ defenſionis; quia duello certare non eſt vim vi repellere, quod unum licet in ſui defenſionem, ſed in alterius ſanguinem armari, & juſtam reipublicæ cauſam unius periculo committi, medioque prorſus incerto, quod a ratione alienum eſt; ſive ut innoteſcat veritas, aut juſtitia, quaſi Deus innocenti victoriam ſit conceſſurus; duellum namque medium inutile, & fallax eſt ad eum finem conſequendum, cum is frequenter cadat, qui juſtam cauſam tuetur; perniciosum etiam medium eſt, cum vita certo periculo exponatur abſque neceſſitate, & publica utilitate, & conatus ad mortem alteri inferendam adhibeatur, quæ violatio eſt manifeſta præcepti: *Non occides.* Aperta denique Dei tentatio eſt, a quo expectatur abſque neceſſitate, ut veritatem, vel juſtitiam medio extraordinario manifeſtet; ut reſpondit *Nicolaus I.* in cauſa *Lotharii*, & *Thetergæ* Reginæ falſis criminibus impetitæ, cauſa 2. qu. 5. can. *Monomachiam.* Sed neque ad defenſionem honoris, & ne ignavus habeatur, licitum eſt viro equeſtri duello pugnare, cum honorem alterius cæde redimere non liceat, ut ſuperius proba-

tum eſt, cum etiam gloria ſecularis, & vana cupiditas, cui Dei timor, vel amor poſtponitur, grande peccatum ſit, ut docet *S. Auguſt.* lib. 5. De Civitate Dei, cap. 14. „ Tam enim (*inquit*) eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor, ut Dominus diceret: (Jo. 5. 44.) *Quomodo poteſtis credere, gloriam ab invicem exſpectantes, & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis* „? Quamvis autem apud inſipientes, & ſtulte feroces duelli detrectatione ignavus habeatur vir equeſtris, non tamen apud ſapientes, & probos, qui rejecta duelli conditione verum illum honorem ſartum tectum manere perſpectum habent, qui ſervandis Dei, Eccleſiæ, Regumque legibus hæc furioſa certamina prohibentibus continetur.

Illa certe divina lex prohibet, cum deteſtabilius illud ſit homicidii genus, quo non ſolum proximo necem inferre nititur, ſed ex ejus cæde gloriam captat vir equeſtris; nec proximum ſolum, & ſeipſum exponit certo periculo moriendi in ſtatu lethalis peccati, ſed & ipſo lethalis peccati actu mortem utrique inferendi, quæ certe mors omnium peſſima eſt.

Duella, ſive ſingularia certamina prohibent Eccleſiæ leges, ſcilicet Concilium Toletanum anno 1473. can. 20. Cœleſtinus III. cap. *Cura*, Extra, *De Purgatione vulgari*, Julius II. Leo X. Pius IV. Conſtitutione 21. quæ incipit, *Ea, quæ*, edita menſe Novembris anno 1560. Conc. Tridentin. ſeſſ. 25. *De Reformatione*, cap. 19. cujus hæc ſunt verba: „ Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex chriſtiano orbe penitus exterminetur... Qui pugna commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ, juxta ſacros Canones, puniri debeant; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli,

tam

tam in jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obſtante quocunque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili „„. Quia vero Decretum iſtud ſacroſancti Concilii Tridentini de privatis duellis loqui videbatur, quæ cum ſolemnitatibus indicuntur, & ſunt; *Gregorius XIII.* Pontifex maximus illud ampliavit Conſtitutione Romæ promulgata die 24. Decembris, anni 1582. quæ incipit; *Ad tollendum*, pœnaſque illo Decreto latas in eos etiam decrevit: „„ Qui ex condicto ſtatuto tempore, & in loco convento Monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini, ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæve provocatoriæ literæ, aut denuntiationis cartulæ præceſſerint. Locorum etiam Dominos; ſi certamen ex condicto hujuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quovis modo ſe præbentes, eiſdem cenſuris, & pœnis ſubjacere *declarat*, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ſeipſos non ſteterit quominus illa committatur „„.

Idem Conc. Trid. Decretum, Deceſſorumque ſuorum Conſtitut. *Deteſtandum divina, naturalique lege, ac ſacris Canonibus damnatum duellorum abuſum* ſevere prohibentes, confirmat *Clemens VIII.* Conſt. quæ incipit, *Illius vices*, edita 4. Sept. anni 1592. Ac inſuper decernit, & declarat, eaſdem Conſtitutiones, ac Decretum locum habere ubique gentium, & terrarum, inter quaſcunque perſonas, etiam armatas, & in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam ubi ſanctæ Rom. Eccleſiæ, aut catholicæ fidei, hoſtium furor impune graſſatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis. „„ Ejuſdemque quoque juris

cenſendum eſſe, ſi publico, & forſan juſto bello indicto, miles aliquis alterum in adverſariorum exercitu militantem, ſive alias in hoſtium caſtris præſidiis, aut terris degentem, privatas ſimultates, atque inimicitias publicæ cauſæ intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu, ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum provocet. Nec non iiſdem poenis, Decreto, & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel ſi convenerit, ut non ſinguli, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non ſolum locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, locum tenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum militibus exercitus adverſariorum Monomachiam in quocunque caſu permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen veniam, & impunitatem concedentes „„.

Duella denique prohibent Principum leges, edicta præſertim Regum chriſtianiſſimorum *Ludovici XIII. & Ludovici magni.*

Merito igitur ab *Alexandro VII.* Pontifice max. inter alias Propoſit. menſe Sept. anni 1675. proſcriptas, hæc ordine ſecunda damnata eſt: „ Vir „ equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud ac„ ceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat „.

Hanc, & ſequentem ab Amedæo Guimenio propugnatam, ſcilicet: *Poteſt etiam duellum offerre, ſi non aliter bonori conſulere poſſit*: Clerus gallicanus anno 1700. hac Cenſura conficit: „ Doctrina his Propoſi„ tionibus contenta falſa eſt, ſcandaloſa, contraria „ juri divino, & humano, tam eccleſiaſtico, quam „ civili, imo & naturali „.

REGULA XIII.

Quamvis gravius crimen ſit animati fœtus extinctio, quam excuſſio fœtus inanimis, homicidii tamen rei ſunt, lethaliſque peccati graviſſimi, qui abortum procurant, ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis.

Abortus.

Hæc Regula Traditione nititur, Patrum, & Conciliorum teſtimoniis firmata, ſcilicet *Tertulliani*, cap. 9. Apologetici. „„ Nobis (*inquit*) homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci; nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet, homo eſt, & qui eſt futurus. Etiam fructus omnis jam in ſemine eſt „„.

Minucii Felicis, in *Octavio*, ubi Ethnicos ſic compellat; „„ Vos video procreatos filios nunc feris, & avibus exponere, nunc adſtranguiatos miſero mortis genere elidere. Sunt, quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant. Et hæc utique de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt... Nobis homicidium nec videre fas, nec audire „„.

Athenagoræ in Legationem pro Chriſtianis, ubi ſcribit: „ Eas, quæ abortivis poculis utuntur, homici„ dium perpetrare, & abortionis rationem Deo red„ dituras „.

Lactantii lib. 6. *Divinarum Inſtitutionum*, cap. 20. „„ In hoc Dei præcepto (*inquit*) nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſemper ſit nefas quem Deus ſanctum animal eſſe voluit. Ergo ne illud quidem concedi aliquis exiſtimet, ut recenter natos liceat oblidere, quæ vel maxima eſt impietas. Ad vitam enim Deus inſpirat animam, non ad mortem. Verum homines, ne quod ſit facinus, quo manus ſuas non polluant, rudibus adhuc, & ſimplicibus animis abnegant lucem non a ſe datam. Expe- ſet vero aliquis, ut alieno ſanguini parcant, qui non

ut ſibi mancipia naſcantur, quæ illi ſerviant, ita illa quantoſcunque conceperit, aut ipſa nutriat, aut nutriendo aliis tradat, ne forte illos aut concipere noluit, aut, quod gravius, occidere velit, qui boni Chriſtiani fieri poterant generati „ „.

Concilii Ilerdenſis, anno Chriſti 524. celebrati, Canone 11. „ „ Hi vero (*inquit*) qui male conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare ſtuduerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliſerint, in utroque ſexu adulteris, poſt ſeptem annorum curricula, communio tribuatur; ita tamen ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus, & humilitati inſiſtant. Si vero Clerici fuerint, officium eis miniſtrandi recuperare non liceat... Ipſis veneficis in exitu tantum, ſi facinora ſua omni tempore vitæ ſuæ defleverint, Communio tribuatur „ „.

Collectionis Canonum *Martini Bracarenſis* Epiſcopi Canone 77. „ „ Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit, & quæ ſtuduerit abortum facere, & quod conceptum eſt necare, aut certe, ut non concipiat, elaborat, ſive ex adulterio, ſive ex legitimo conjugio, has tales mulieres in morte recipere Communionem, priores Canones decreverunt; nos tamen pro miſericordia ſive tales mulieres, ſive conſcios ſcelerum ipſorum, decem annis agere pœnitentiam judicavimus „ „.

Concilii Trullani Canone 91. „ „ Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt; homicidæ pœnis ſubjicimus „ „.

Concilii Wormatienſis Canone 35. „ „ Mulieres (*inquit*) quæ ante temporis plenitudinem, conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ proculdubio judicandæ ſunt; illæ vero, quæ dormiendo filios ſuffocare videntur, leniter de his judicare oportet, quia nolentes & non conſentiendo ad hunc devolutæ ſunt caſum „ „.

Idem confirmatur ex cap *Si aliquis*, Extra, *De Homicidio*, quod Concilio Wormatienſi pariter tribui-

huitur, & habetur in pœnitentiali Romano, tit. *De Homicidio*, capit. 32. „ „ Si aliquis cauſa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur „ „. Diſtinguit ibi Gloſſa triplicem pœnam, legalem, ſpiritualem, & canonicam, quæ eſt irregularitas. In pœnam legalem homicidii incurrit, quicunque ſterilitatis, vel abortionis pocula dederit, ſive fœtus animatus fuerit, ſive non fuerit, ff. *De Pœnis*, L. *Si quis aliquid.* §. *Qui abortionis*, & ff. *Ad legem Corneliam De Sicariis* L. *Si mulierem.* Et ibid. §. *Ad legem Pompejam De Parricidiis.* Id *Cicero* Oratione *Pro Cluentio* confirmat: „ „ Memoriam teneo (*inquit*) Mileſiam quamdam mulierem, cum eſſem in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicaminibus abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam „ „. Triplex pœna procurantium abortum.

Et *Cindaſvindus* Rex Wiſigothorum, mulierem, quæ potionem ad abortum acceperit, morte damnari, aut oculos ipſi erui, ſanxit. Eædem leges pœnam capitalem decernunt in eos, qui mulieri prægnanti *poculum* dederint *ad necandum infantem, vel ad faciendum abortum.* Pœnæ ſpirituali homicidii pariter obnoxii ſunt, quicunque procurant abortum, ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis, lethalis ſcilicet peccati rei ſunt, æternamque damnationem incurrunt. Sed pœnam canonicam, nempe irregularitatem non incurrunt, nili fœtus ſit animatus, ut reſpondet *Innocentius III.* cap. *Sicut*, Extra, *De Homicidio.* Lib. 6. Leg. Wiſig. tit. 3. l. 2.

Sixtus V. Pontifex maximus Conſtitutionem edidit, anno 1588. adverſus abortum procurantes, aut ſterilitatis potiones dantes, vel ſumentes, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem præbentes, quæ incipit, *Eſfrænatam*, quas pœnas tam divino, quam humano jure, Canonico, & civili, adverſus homicidii voluntarii reos propoſitas, & inflictas illos incurrere declaravit, ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis, ſive Sixti V. Conſt. contra procurantes abortum.

formatus, ſive informis. In Clericos vero hujus ſceleris reos pœnas irregularitatis, privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad ea decrevit, eaſdem, quas Canones, & Concilium Tridentinum decreverunt in eos, qui homicidium voluntarium perpetraſſent, quamvis crimen illud occultum fuerit. In omnes denique immanis hujus criminis reos, cujuſcunque ſtatus, ordinis, conditionis, gradus, & eorum ſocios, vel conſcios, cujuſcunque ſexus, qui nimirum ad hoc facinus committendum opem, conſilium, favorem, potionem, vel alia cujuſcunque generis medicamenta ſcienter dederat, ac etiam ſcribendo literas privatas, vel apochas, vel alias verbis, ac ſignis juverint, aut conſuluerint, excommunicationem tulit ipſo facto incurrendam, cujus abſolutionem ſummo Pontifici voluit eſſe reſervatam, præterquam in articulo mortis.

Sixti V. Conſtitutionem qua ratione moderatus eſt Greg. 14.

Sixtinam Conſtitutionem moderatus eſt *Greg. XIV*, anno 1591. Pontificio Diplomate, quod incipit, *Sede apoſtolica*. A peccato, & excommunicatione contra perſonas in *Sixti V.* Conſtitutione expreſſas abſolvere poſſe declaravit quoslibet Sacerdotes, tam ſeculares, quam regulares, ad confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatos. Pœnas vero procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis; aut quocunque modo auxilium eis dantium, in Sixtina Conſtitutione contentas redegit ad terminos juris communis, ac ſacrorum Canonum & Concilii Tridentini diſpoſitionem. Quamobrem nullius eſt roboris Sixtina Conſtitutio, quatenus decernit privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad ea, necnon irregularitatem in eos, qui fœtus inanimis abortionem provocaverint, & eorum complices; & quatenus decernit excommunicationem latæ ſententiæ in eos etiam, qui procurant abortum fœtus inanimis, aut mulieribus præbent venena ſterilitatis, vel quo minus fœtus concipiatur, impedimentum præſtant, ſeu conſilium, vel au-

xi-

milium ad hoc præbent. *Gregorius* tamen *Decimus quartus* utrumque id eſt, tam animati, quam inanimis fœtus abortum, *graviſſimum ſcelus* vocat, nec elevat ea, quæ de iſtius facinoris immanitate ſcripſit *Sixtus V.* his verbis: „„ Quis non deteſtetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, ſed quod gravius eſt, etiam animarum certa jactura ſequitur? Quis non graviſſimis ſuppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine inſignitam, pro qua redimenda Chriſtus Dominus noſter pretioſum ſanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad conſortium Angelorum deſtinatam, a beata Dei viſione excluſit, reparationem cœleſtium ſedium, quantum in ipſo fuit, impedivit, Deo ſervitium ſuæ creaturæ ademit? Qui liberos prius vita privavit, quam illi a natura propriam lucem accipere, aut ſe materni cuſtodia corporis ab efferata ſævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinoſam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eo uſque proceſſit, ut etiam venena procuret, ad conceptos fœtus intra viſcera extinguendos, & fundendos, etiam ſuam prolem prius interire, quam vivere, aut ſi jam videbat, occidi antequam naſci nefario ſcelere moliendo „„?

Fœtus quidem inanimis, & informis abortio, Phyſice loquendo non eſt homicidium, cum fœtus hujuſmodi non ſit complete homo. Morali tamen æſtimatione homicidium cenſetur, ejuſque perpetratio quinti etiam illius præcepti, *Non occides*, violatio eſt. Sicut enim is, qui non quidem aliena tollit, ſed tamen alterum impedit, ne diteſcat, aut lucrum faciat, quamvis proprie non furetur, peccat tamen contra ſeptimum præceptum Decalogi; ita qui futurum hominem impedit, etſi proprie non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato, quod ad homicidium reducatur.

Mirum porro eſt, quod nonnulli in rebus moralibus Novatores, medici neſcio cujus *Marci Pragenſis*, errori, qui aſſerere auſus eſt, non geri in utero fœ-

tum

tum animatum anima rationali, ſed tunc tantum ea donari, cum in lucem emittitur, tantum tribuerint, ut procurantes abortum nunquam eſſe homicidii reos ſcribere non dubitaverint, aut certe id, ut probabile obtruſerint. Nihil enim eſt hujus medici opinatione abſurdius, ut præter cæterorum omnium medicorum conſenſum, & phyſicas rationes omnino invictas, *S. Auguſt.* verba probant, *Enchiridii* cap. 86. „„ Negare (*inquit*) vixiſſe puerperia, quæ propterea membratim exſecantur, & ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, ſi mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur „„. Ac niſi communem opinionem ſequi mallemus, cujus veritatem ſupponunt jus utrumque, & Conſtitutiones pontificiæ, longe probabilior videretur ſententia *Sennerti* medici doctiſſimi, qui fœtum quemvis, quamvis informem animatum eſſe probat. Animamque rationalem infundi ſtatim atque ſemina, & ſanguis in unam materiam coagmentata ſunt, ipſamque ſuum ſibi formare corpus, ac organa delineare, ſicut limax conchaam ſuam, domumque fabricatur, in qua deliteſcit, opportuno tempore ſe proditurus. Quam opinionem minime abſurdam *S. Auguſtinum* cenſuiſſe, verba ejus indicant, ejuſdem libri c. 85. ubi de carnis reſurrectione tractans, ait: „„ Primo occurrit de abortivis fœtibus quæſtio, qui jam pridem nati ſunt in uteris matrum, ſed nondum ita, ut jam poſſent renaſci. Si enim reſurrecturos eos dixerimus, de iis, qui jam formati ſunt, tolerari poteſt utcunque quod dicitur; informes vero abortus quis non proclivius perire arbitretur, ſicut ſemina, quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etſi affirmare non audeat, id acturam reſurrectionem, ut quidquid formæ defuit, impleatur? atque illa non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerant tempore; ut neque in eo, quod aptum, & congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur, neque in eo, quod adverſum atque contrarium dies attulerant, natura tur-

Sennerti ſingularis opinio, fœtum etiam informem animatum eſſe aſſerentis.

turpetur, ſed integretur, quod nondum erat integrum, ſicuti inſtaurabitur, quod fuerat vitiatum? Ac per hoc ſcrupuloſiſſime quidem inter Doctiſſimos quæri, ac diſputari poteſt, quod utrum ab homine inveniri poſſit ignoro; quando incipiat homo in utero vivere, utrum ſit quædam vita, & occulta, quæ nondum motibus viventis appareat „ „? Quod quidem ſi ita eſſet, nulla eſſet abortus procuratio, etſi fœtus informis eſſet, quæ verum, & proprie dictum homicidium non eſſet.

Ex his perſpicuum eſt, inter alias pravi dogmatis Prop. ab *Innoc. XI.* Pont. max. menſe martio anni 1679. proſcriptas, merito quoque iſtas damnatas fuiſſe: Propoſitiones damnatæ.

34. „ Licet procurare abortum ante animationem „ fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut „ infametur „.

35. „„ Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi „„.

Cleri etiam gallicani judicio in Comitiis generalibus anni 1700. *Hæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, erroneæ, infandis homicidiis, & parricidiis procurandis aptæ.*

Cenſetur autem fœtus animatus circa diem quadrageſimum, ſi ſit maſculus, circa octogeſimum, ſi ſit femina; in dubio mas ne ſit, an femina, præſumitur animatus poſt diem a conceptu quadrageſimum, juxta praxim ſacræ pœnitentiariæ Romanæ.

REGULA XIV.

Non licet medico præbere mulieri prægnanti in certo etiam periculo mortis conſtitutæ potionem ad procurandum abortum, ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis.

Procuratio enim abortus, etiam ante animationem fœtus, eſt mortale peccatum, juri naturali contra-

trarium. Prolis nempe conceptionem, quæ ex carnali copula ſecuta fuiſſet, impedire, eſt contra naturam, finemque naturalem generationis, ac proinde nullius boni finis intentione honeſtum, ac licitum fieri poteſt. Et certe cum ad vitandum mortis periculum, quod mulier ſibi ex partu imminere aperta eſt, aut quod ex detectione criminis certo imminet, ſi mulier concipiat; & fœtus in lucem prodeat, non licet impedire conceptionem; id etiam non licet ad evitandum mortis periculum aliunde impendens; quia *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci.* Tandem ſi matri ſubveniri non poteſt, ſine periculo perdendi fœtum, quem animatum eſſe, vel certum eſt, vel certe dubium, ſinat medicus perire matrem potius, quam vitam infantis tam corporalem, quam ſpiritualem periculo committat, ſecundum illam ſententiam, quæ in corpore juris canonici, cauſa 24. qu. 5. can. *Denique; ex S. Ambr.* refertur: „ Si non „ poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterum „.

REGULA XV.

Homicidii rei ſunt, quicunque dant proximam occaſionem abortui, etiam præter intentionem, ſi vel rei illicitæ dent operam, vel debitam cautionem non adhibeant.

Hujus Regulæ prima pars diſertis verbis legitur apud *S. Thom.* 2. 2. qu. 64. art. 8. in reſponſione ad ſecundam objectionem: „ „ Ille (*inquit*) qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ, & ideo ſi ſequatur mors, vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præcipue cum ex tali percuſſione in promptu ſit, quod mors ſequatur „ „.

Pars altera apud *S. Antonin.* in Summa confeſſorum, interrogatione de quinto Decalogi præcepto: „ „ Si mulier gravida (*inquit*) præter intentionem abortitur; ſi commiſiſſet ibi notabilem negligentiam, puta

puta quia nimis ſaltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inordinatas laſcivias, non eſſet abſque peccato mortali. Idem in viro, vel alio percutiente eam, unde hoc ſequitur „„. Idem dicendum de Chirurgis, & aliis venæ aperiendæ peritis, qui puellas viro maturas, aut juniores mulieres, de quibus aliqua ſuſpicio eſſe poſſit, quod prægnantes ſint, ſanguine minuunt inconſulto medico, aperta præſertim pedis vena.

REGULA XVI.

Homicidii reus eſſet Judex, qui juris ordine non ſervato morte damnaret hominem capitalis alioquin criminis reum.

Publica enim poteſtas judici non eſt commiſſa, niſi ut ſecundum leges, ac juris ordinem facinoroſos, ac ſceleratos homines, ac reipublicæ noxios damnet; neque hanc Principibus, & Magiſtratibus poteſtatem dedit Deus, cujus judicium exercent, ut aliter damnent nocentes, ſed ut *Juſte, quod juſtum eſt*, exequantur. Unde *S. Ambroſ.* Concione 20. in Pſalm. 118. ait: „ Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges, & jura pronuntiat „. Ut autem juris ordo ſervetur in cauſis capitalibus, accuſatum eſſe reum neceſſe eſt, quod ex inſtinctu quodam naturæ apud gentes ipſas fidei lumine deſtitutas obſervatum legimus. (Actuum 25.) *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Accuſatore tamen non eſt opus, ubi crimen publicum, & omnino notorium eſt, vel publica infamia præceſſit, vel *clamoſa inſinuatio*, aut juridica denuntiatio facta a viris honeſtis, & nulla malevolentiæ ſuſpicione laborantibus. Nam *Publica infamia habet locum accuſatoris*, ut notat *S. Thom.* 2. 2. qu. 77. art. 3. in reſponſione ad ſecundum; & *Evidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris* (ut dicitur cap. *Evidentia*, Extra, *De Accuſa-*

cuſationibus.) Violatur etiam ordo juris, cum non datur accuſato defenſionis locus; quod tamen minime neceſſe eſt, quando factum eſt evidens, aut reus in flagranti crimine deprehenſus eſt. Violatur denique, cum damnatur reus duorum ſaltem teſtium legitimis & concordibus teſtimoniis non convictus: Numerorum enim 35. ſcriptum eſt: *Homicida ſub teſtibus punietur; ad unius teſtimonium nullus condemnabitur:* Et Deuter. 17. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur, nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium:* Ubi tamen publica infamia præceſſit, & ſecundum juris ordinem interrogatus reus crimen confitetur; vel in flagranti crimine deprehenditur, ſeu ipſa evidentia facti convincitur; aliis teſtibus non eſt opus.

Ad juris etiam ordinem pertinet, ut ab accuſatione, & teſtimonio ferendo repellantur perſonæ, quas leges admitti vetant, ſcilicet infames, calumniæ jam damnati, inimici, & qui cum inimicis habitant, & alii, qui recenſentur in L. *Qui accuſare*, §. *& ſeqq.* D. tit. *De Accuſationibus*, & cauſa 6. quæſt. 1. & Extra, *De Accuſationibus*, item, Extra, *De Teſtibus, & atteſtationibus.*

Cavere autem judex debet, ne accuſator calumnietur, prævaricetur, aut tergiverſetur. Calumniæ reus eſt, ſi ex malitia falſum crimen imponat; prævaricationis, ſi fraudulenter abſcondat ea, de quibus accuſationem propoſuit, propriaſque probationes diſſimulet, ac falſas excuſationes admittat, cum reo colludens, tergiverſationis reus eſt, cum cæptam accuſationem deſerit abſque ratione. Non enim tergiverſatur, qui accuſatoris animum, officiumque deponit, quia falſum eſſe crimen agnoſcit, cujus aliquem leviter ac temere, vel ex juſto errore accuſaverat; ut docet *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. 68. art. 3. imo graviter in his rerum circumſtantiis peccaret, niſi accuſatoris perſonam exueret.

REGULA XVII.

Homicidii, & cujuslibet damni proximo illati rei ſunt Principes, Toparchæ juriſdictiones habentes, & magiſtratus, qui homicidas, latrones, & graſſatores comprehendi, in vincula conjici, & ſecundum leges plecti non curant; & omne damnum a perditis illis hominibus illatum reſarcire tenetur.

Illos enim ſpectat divinum illud præceptum Deut. 19. *Auferes malum de medio tui; non parcet oculus tuus, ut miſereatis. Non miſereberis, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Illiſque merito dici poteſt, quod Propheta dixit Regi Achab; 3. *Regum*, cap. 20. *Hæc dicit Dominus: Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.*

Id confirmatur Canone, *Qui poteſt*. cauſa 23. qu. 3. „ „ Qui poteſt obviare, & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt, quam favere eorum impietati. Nec enim erit ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare „ „.

Et Canone, *Oſtendit*, qui ex *S. Auguſtino* ſumptus eſt: *Qui deſinit obviare, cum poteſt, conſentit.*

REGULA XVIII.

Gravis peccati reus eſt, qui homicidas non accuſat, aut teſtimonium adverſus illos ferre recuſat, cum tenetur, & poteſt. Idemque de aliis criminibus in perniciem reipublicæ vergentibus eſto judicium.

Hæc Regula nititur verbo Dei, Levit. 5. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.*

Idem confirmatur can. *Non eſt*, cauſa 2. qu. 7. ex *S. Auguſtino* lib. 19. De Civitate Dei, cap. 16. „ „ Non eſt (*inquit*) innocentiæ, parcendo ſinere, ut in gra-

vius malum incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non ſolum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipſe, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo „„.

Idem confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 68. art. 1. „„ Si crimen (*inquit*) fuerit tale, quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare, quod pertinet ad officium accuſatoris, puta, cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem. Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandum accuſationem; quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere „„.

Teſtimonium vero ferre in cauſa criminis nemo tenetur, niſi in jus vocatus, & compulſus a judice ſecundum ordinem juris, ubi ſcilicet de publicis criminibus quæſtio habetur, aut de quibus infamia præceſſit; & quando ex ejus ſilentio, qui teſtimonium ferre poteſt, reipublicæ, Principi, aut alicui tertio grave damnum crearetur. Ita docet *S. Thom.* 2. 2. q. 70. art. 1. Idque confirmat *Innocentius III.* cap. *Qualiter, & quando*, & cap. *Inquiſitionis*, Extra, *De Accuſationibus*.

Quædam autem perſonæ ab accuſatione, & ferendi teſtimonii obligatione in cauſis criminis exceptæ ſunt, ſcilicet Clerici, qui tamen proditiones, crimina læſæ Majeſtatis, &c. denuntiare poſſunt, ac tenentur præmiſſa conteſtatione, quod effuſionem ſanguinis, ſeu mortem, aut mutilationem rei, vel pœnam (ut ajunt) deformantem non intendant. Imo, ſecundum juriſprudentiam Gallorum, ad ferendum teſtimonium in cauſis etiam capitalibus a magiſtratu compelluntur, ubi probationes aliæ deficiunt, & boni publici intereſt; eaque in re conſuetudo præſcripta juri communi derogavit. Accuſare etiam non tenen-

tenentur filii parentes, nec illi filios, aut frater fratrem, aut conjux conjugem, vel ſervus dominum, aut contra illos teſtimonium ferre, niſi de crimine læſæ majeſtatis agatur, quod aliter impediri non poteſt, aut ſi quod aliud ſit legibus exceptum. Nam *Contra publicos hoſtes, & majeſtatis reos omnis homo miles eſt* (inquit *Tertullianus*.) Alioqui recte *S. Ambroſius* libro 2. *De Cain, & Abel*, cap. 9. *Cainum* compellans: „ Cur nescis, ubi eſt frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos fratres te latere non debuit. An quia parentes tui accuſatores eſſe non poſſunt? Nolo enim, ut ea neceſſitudo, quæ eſt auctor ſalutis, fiat auctor periculi. In te ſolo leges ſuas natura amiſerit. Ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accuſare non debent? Sed eo major eſt condemnatio tua. Nam ſi chara neceſſitudinis nomina accuſare non debent, multo magis non debent occidere „.

REGULA XIX.

Homicidii rei ſunt, qui damnationem, & occiſionem innocentium non impediunt, cum poſſint, vel injuſte damnatos a morte non liberant.

Qui enim injuriam a proximo non repellit, cum ſine ſuo periculo poteſt, ejuſdem reus eſt criminis ac ille, qui facit. Unde ſcriptum eſt Prov. 24. 11. 12. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris: Vires non ſuppetunt! Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera ſua.*

Idem confirmatur ex cap. *Non inferenda*, cauſa 23. q. 3. „ Qui (*inquit*) non repellit a ſocio injuriam, ſi „ poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit „. Sententia eſt *S. Ambroſii*, libro 1. *De Officiis miniſtrorum*, cap. 36.

Idem confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 70. art. 1. „ Si teſtimonium (*inquit*) requiratur ad liberandum ho-

minem, vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacunque, vel a falſa infamia (*id eſt, quæ per calumniam ipſi aſperſa eſt*) vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi ejus teſtimonium non requiritur; tenetur facere, quod in ſe eſt, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe. Dicitur enim Pſalm. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Et ad Rom. 1. *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Ubi Gloſſa habet: *Conſentire eſt tacere, cum poſſis redarguere* „„. Huic etiam ſpeciei accommodari poteſt *S. Iſidori Hiſpalenſis* ſententia lib. 3. *De ſummo bono*, cap. 59. „„ Unum pœnæ crimen habent, & qui falſitatem promit, & qui ſupprimit veritatem, quia ille obeſſe vult, & iſte prodeſſe non vult „„.

Hinc etiam *S. Auguſt.* Enarratione in Pſalm. 81. explicans hunc verſum: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*, hæc dicta eſſe notat: „„ Ut ſciretur in eo populo, in quo natus, & occiſus eſt Chriſtus, nec illos fuiſſe immunes a tanto ſcelere, qui cum eſſent tantæ multitudinis, ut eos, ſicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, & propterea in Chriſtum manum mittere non auderent, poſtea conniverunt, eumque interimi a malignis, & invidis Judæorum Principibus permiſerunt; qui ſi voluiſſent, timerentur ſemper, ut nunquam in illum ſceleratorum prævalerent manus. De his quippe, & alibi dicitur: *Canes muti non valentes latrare* „„.

Iſai. 56.

REGULA XX.

Homicidii rei ſunt Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, ſi æger, cujus curam ſuſceperunt, eorum negligentia, vel imperitia moriatur.

Hanc Regulam *S. Antonin.* explicat p. 3. tit. 7. cap. 2. „„ Ubi (*inquit*) ex negligentia notabili in curis ſuis nocent infirmis, ſemper peccant mortaliter, facientes contra illud præceptum: *Non occides.* (*de Pœnit.*

Pœnit. diſt. 1. cap. *Homicidium*) Nec excuſantur ex hoc, quod illud non intendunt, *quia voluntarie dant operam rei, unde hoc ſequitur.* Imo etiamſi ſequatur ſanitas, non excuſantur a peccato, quia exponunt ſe periculo peccati mortalis ei ſcilicet operi, unde poteſt ſequi notabile nocumentum proximo „„. Quamobrem periti ſint medici neceſſe eſt, atque inſuper debitam diligentiam adhibeant in lectione librorum, ſtudioque in infirmi viſitatione, & obſervatione morbi, in qualitate remediorum diſquirenda, & pro morbi ratione temperanda, & decernenda; ſi enim aliquid eorum medicus prætermittat, ejuſque culpa mors ſequatur; „„ Peccat mortaliter, & eſt irregularis. Si etiam ſequatur magna aggravatio infirmitatis ex hoc, etſi non mortis, non excuſatur a mortali. Si dubitat de medicina, quia non conſtat ei ſecundum artem medicinæ, utrum debeat ei nocere, vel prodeſſe, male facit dando, quia ut dicit Innocentius, in dubio potius debet dimittere infirmum in manu Creatoris, quam exponere medicinæ, de qua neſcit, *Ext. de Homicidio*, cap. *Petitio.* Tertio, debet medicus quam citius poteſt curare infirmum; unde ſi ex induſtria omittit debitam medicinam, & cito curativam, ut dimittendo eum in infirmitate amplius lucretur, graviter peccat, & furatur. Et ſimiliter, ſi in compoſitione medicinæ permittit aromatarium ponere vetuſtas ſpecies, & parum, vel nihil operantes, graviter peccat, & ſi quid detrimenti inde accidat infirmo, imputatur utrique „„.

Contra quintum præceptum etiam „„ Mortaliter peccant *Medici*, ſi dant aliquod conſilium, vel remedium pro ſalute corporis in periculum animæ, ut ſcilicet fiat aliquid contra divina præcepta, puta, quod cognoſcat mulierem extra matrimonium, vel quod inebrietur, & hujuſmodi. Et quamvis hoc prohibeatur per jus canonicum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ (*Extr. De Pœnitentiis, & remiſſionibus, Cum infirmitas.*) tamen abſque illo præcepto eſt illud peccatum mortale & medico, & infir-

firmo, quia contra ordinem charitatis, ſecundum quem proponenda eſt ſalus animæ corporis. Nec excuſaret in hoc ignorantia „„ Addit ex Joanne Andrea: Medicum, qui dicit infirmo: „„ Non conſulo, ſed ſi accederes ad aliquam mulierem, ſanaberis, tranſgredi illam Conſtitutionem. Nam & cum vendo tibi aliquid, adjiciens, ſi vitioſum, aut læſum eſt, nolo teneri, cum ſciam illud eſſe tale, teneor. (*ff. De act. empt. & vend. L.* 1.) Debet ergo cavere ſibi medicus in loquendo, ne ex aſſignatione cauſæ infirmitatis ille incitetur ad aliquod malum agendum „„.

REGULA XXI.

Homicidii rei ſunt, qui proximis in extrema neceſſitate poſitis non ſuccurrunt, cum poſſint.

Id etſi jam alibi docuerim, hic repetere non piget, & cum *S. Ambroſio* (ut quidem refertur cap. *Paſce* diſt. 86.) dicere: „„ Paſce fame morientem. Quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteras, ſi non paviſti, occidiſti „„. Hinc *S. Gregorius magnus*, referente *Joanne Diacono* in ejus vita, lib. 2. cap. 29. „„ Dum quemdam pauperem in anguſtiis Andronarum receſſibus a veſpillionibus inveniri mortuum contigiſſet, æſtimans eum ſtipis inopia periiſſe, ita per aliquot dies a Miſſarum celebratione vacando, triſtatus eſt, tanquam ſi eum propriis manibus, quod dictum nefas eſt, peremiſſet „„.

REGULA XXII.

Lethaliter peccat in quintum Decalogi præceptum, qui ſe, vel alterum mutilat, niſi ad conſervationem totius corporis abſciſſio membri omnino neceſſaria de conſilio medicorum judicetur.

De mutilatione. Cum enim nemo ſit dominus membrorum ſuorum, ſicut nec vitæ ſuæ; nec ipſe ſibi, nec alius, etiam ipſo conſentiente, aut ipſe alteri membrum auferre poteſt. Gravem alioqui corpori ſuo, quod

quod ex charitate diligere debet, vel proximo, quem diligere tenetur ſicut ſeipſum, imo & reipublicæ injuriam inferret. Sententia duntaxat judicis decerni poteſt mutilatio facinoroſis hominibus infligenda ad crimen puniendum; vel medici conſilio, ſi membrum putridum ſit, propter ſalutem totius corporis, eo cujus membrum eſt conſentiente, aut ejus juſſu cui ſalutis illius cura incumbit. *Aliter aliquem membro mutilare, eſt omnino illicitum* (inquit *S. Thom.* 2. 2. q. 65. art. 1.)

REGULA XXIII.

Non licet parentibus filium eunuchum facere, etiam conſentientem, ut ſonoram vocem habeat, ſtipendioque opulento propter vocis excellentiam a Principe donetur. Et qui eunuchum faciunt, necnon parentes, aut alii jubentes, vel ſuadentes, & ipſe, qui ſe caſtrari conſentit propter hunc, aut ſimilem finem, lethalis peccati rei ſunt.

„„ Membrum *enim* non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri non poteſt „„ (*inquit S. Thomas* loco mox indicato in reſponſione ad tertiam objectionem.) Multo minus igitur membrum præſcindere licet propter lucrum temporale.

REGULA XXIV.

Nemini licet ſeipſum eunuchum facere, ut careat tentationibus carnis, vel ne ipſis ſuccumbat. Qui id fecerit, lethalis peccati reus erit, & irregularis.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas*, ibidem *S. Joannis Chryſoſt.* auctoritate fultam. „„ Saluti ſpirituali (*inquit*) ſemper poteſt aliter ſubveniri, quam per membri præciſionem, quia peccatum ſubjacet voluntati, & ideo in nullo caſu licet membrum præcidere, propter quodcunque peccatum vitandum. Unde S. Chryſoſt. exponens illud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum*

dicit (*Hom. 63. in Matthæum:*) Non per membrorum abſciſſionem, ſed malarum cogitationum interemptionem. Maledictioni enim eſt obnoxius, qui membrum abſcindit; etenim qui homicidæ ſunt, talia præſumunt. *Et paulo poſt*: Neque concupiſcentia manſuetior ita fit, ſed moleſtior. Aliunde enim habet fontes ſperma, quod in nobis eſt, & præcipue a propoſito incontinenti, & mente negligente. Nec ita abſciſſio membri comprimit tentationes, ut cogitationis frænum „ „. Idem docet *S. Baſilius*, lib. *De vera Virginitate*, & Epiſt. 87. *ad Simpliciam*: Idem *S. Ambr.* lib. *De Viduis*, cap. 13. „ „ Sunt (*inquit*) qui virtutis loco ponant ferro culpam compeſcere. De quibus etſi noſtram nolumus proferre ſententiam, quamvis ſint ſtatuta majorum; conſiderent tamen, ne quis id ad profeſſionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur; nec pedis utatur obſequio, qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendat officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum. Sed quid prodeſt carnem abſcindere, cum etiam
itth. 5. culpa ſit in ipſo aſpectu. *Nam & qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Caſtos ergo, non infirmos nos eſſe convenit; pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur, ut plerique arbitrantur, debet ſe abſcindere, ſed magis vincere, victores enim recipit Eccleſia, non victos „ „. His concordat *S. Hier.* Epiſt. 65. Valeſianos hæreticos *S. Epiphanius* eo nomine inſectatur, Hæreſi 58. quod violentam hanc exſectionem non in ſeipſos tantum, ſed etiam in peregrinos adhibere conſueviſſent. *S. Auguſt.* Calligonum Valentiniani junioris Imperatoris Eunuchum in pœnam ſuæ ſalacitatis capite mulctatum fuiſſe refert lib. 6. *Contra Julianum*, cap. 14. ut vel hinc diſcamus, exſectionem non eſſe idoneum vitandæ incontinentiæ remedium; „ „ Calligonum (*inquit*) Valentiniani junioris eunuchum, gladio novimus ultore punitum, meretricis confeſſione convictum. Neque enim in libro

ec-

eccleſiaſtico adhiberetur ſimilitudo, atque diceretur: *Videns oculis, & ingemiſcens, quaſi ſpado complectens, virginem, & ſuſpirans*, niſi & ipſi moverentur concupiſcentiæ carnalis affectibus. liçet deſtituti carnis effectibus „„. Improbatum ab Eccleſia fuit *Origenis* facinus, qui ſeipſum vitandæ incontinentiæ cauſa exſecuit, *zelo quidem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam*, ut loquitur *S. Hieron.* Epiſt. 65. Apoſtolorum nomine inſcriptis Canonibus a Clero arcentur, qui ſe abſciderunt. Can. 22. „„ Si quis abſcidit ſemetipſum, non fiat Clericus; quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei opificii inimicus. *Can.* 23. Si quis, cum Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur; quia ſuus eſt homicida „„. His conſonat Nicænus Can. 1. „„ Si quis (*inquit*) a medicis propter languores deſectus eſt, aut a Barbaris abſciſſus, hic in Clero permaneat. Si quis autem ſeipſum ſanus abſcidit, hunc & in Clero conſtitutum abſtinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, audentque ſemetipſos abſcindere, dictum ſit; ſic eos, quos aut Barbari, aut Domini caſtraverunt, ſi inveniuntur alias digniſſimi, tales ad Clerum ſuſcipit regula „„. Eccl. 30. 21.

REGULA XXV.

In quintum Decalogi præceptum lethaliter peccat, qui aliquem ſibi non ſubditum graviter verberat; imo & parentes, præceptores, & domini, qui cum diſciplinæ cauſa verberant filios, diſcipulos, vel ſervos, modum correptionis excedunt.

Quinto enim Decalogi præcepto nocumentum omne prohibetur, quod proximi corpori inferri poteſt. Verberatio porro nocumentum infert corpori, cum dolore ſenſum afficiat. Cum igitur nocumentum inferre nemini liceat, niſi per modum pœnæ propter juſtitiam; nullus vero juſte puniat alterum, niſi ſit ejus juriſdictioni ſubditus: „„ Ideo

verberare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper illum, qui verberatur. Et quia filius ſubditur poteſtati patris, & ſervus poteſtati domini, licite poteſt verberare pater filium, & dominus ſervum cauſa correptionis, & diſciplinæ „„. Unde Prov. 13. ſcriptum eſt: *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum*, Et Eccleſ. 33. *Servo malevolo tortura, & compedes.* Prohibet tamen Apoſtolus ad Epheſios 6. ne patres ad iracundiam provocent filios ſuos, id eſt: *Ne immoderate eos affligant verberibus.* Dominis item jubet, ut ſervis ſuis remittant minas, quod dupliciter intelligi poteſt; *primo*: „„ Ut remiſſe minis utantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ, *Secundo*, Ut aliquis non ſemper impleat, quod comminatus eſt; quod pertinet ad hoc, quod judicium, quo quis comminatus eſt pœnam, quandoque per remiſſionis miſericordiam temperetur „„. Verba ſunt *S. Thomæ*, 2. 2. qu. 65. art. 11.

Quod autem lethaliter peccent parentes, præceptores: domini, qui in verberibus infligendis modum juſtæ correptionis excedunt, aut ex iræ præcipitis, & impotentis motu, vel odio, & vindictæ libidine filios, diſcipulos, ſervos, aut ancillas immoderate verberant, reique ſint homicidii, ſi ex inflictis verberibus illos mori contingat, conſtat ex Concil. Illiberitani can. 5. „„ Si qua (*inquit*) domina furore zeli accenſa, flagellis verberavit ancillam ſuam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum ſit voluntate, an caſu occiderit; ſi voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu, per quinque annorum tempora, acta legitima pœnitentia, ad Communionem placuit admitti „„. Quod Concil. Wormatienſis can. 37. & Moguntini can. 22. confirmatum eſt. Concilium item Epaonenſe can. 34. „ Si quis (*inquit*) ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, „ excommunicatione biennii effuſionem ſanguinis expiabit „. Et Concilium Agathenſe can. 62. „ Si quis „ ſervum proprium ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum ſanguinis emendabit „.

REGULA XXVI.

Incarcerare aliquem, vel qualitercunque detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi.

Ipſis *S. Thomæ* verbis concepta Regula eſt, 2, 2. qu. 65. art. 3. Qui alias aliquem incarcerat, ligat, aut vi detinet, lethalis peccati reus eſt. Gravem quippe injuriam, graveque nocumentum infert proximo, quem motu, & uſu libero membrorum ſuorum privat. „ Detinere *igitur* hominem ad horam ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando cuilibet licet; ſicut cum aliquis detinet aliquem, ne ſe præcipitet, vel ne alium feriat. Sed ſimpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum ſolum pertinet, qui habet diſponere univerſaliter de actibus, & vita alterius; quia per hoc impeditur non ſolum a malis faciendis, ſed etiam a bonis agendis (*inquit S. Thom.*) Parentibus tamen, & dominis licet per aliquod tempus domi recludere, & detinere filios, & filias, ſervos, & ancillas, tum ut corrigantur, tum ut a malo, quod conceperunt, abſtineant, maxime ſi velint inhoneſte vivere, aut ludis, comeſſationibus, libidine bona dilapident; verum illos incarcerare jure non poſſunt; prius enim illud medium eſt ad emendationem, quam curare tenentur parentes, & domini; poſterius vero medium eſt ad punitionem juridicam, vel ad commune reipublicæ bonum, ideoque ſolum pertinet ad poteſtatem publicam.

REGULA XXVII.

Qui aliquem occidit, mutilavit, vulneravit, aut verberavit, ad reſtitutionem tenetur.

Quiſquis enim damnum intulit proximo, illud reſarcire tenetur pro viribus, & ſatisfacere, vel compenſare, ut juſtitiæ ratio poſtulat. Quamvis ergo homini occiſo vita, mutilato membrorum integritas, vulnerato ſanitas ab eo, qui occidit, mutilavit, aut vulneravit, reſtitui non poſſint; „ Debet *tamen*

fieri

fieri compenſatio, qualis poſſibilis eſt, vel in pecunia, vel in aliquo honore conſiderata conditione utriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri „„ (*inquit S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2.* in reſponſione ad primam objectionem.) Idemque colligitur ex *S. Anſelmo* lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 11. „„ Sicut (*inquit*) qui lædit ſalutem alterius, non ſufficit, ſi ſalutem reſtituat, niſi pro illatâ doloris injuria recompenſet aliquid; ita qui honorem alicujus violat, non ſufficit honorem reddere; ſi non ſecundum exhonorationis factam moleſtiam, aliquid quod placeat illi, quem exhonoravit, reſtituat „„.

Pro damnis etiam realibus ex alicujus cæde injuſta, mutilatione, aut vulneratione conſecutis, nempe expenſis factis in medicos, lucro ceſſante, damniſque cæteris emergentibus, reſtitutio neceſſario facienda eſt; ratione quidem homicidii, heredibus defuncti, qui a teſtamento repelli non poſſunt, ſcilicet filiis, parentibus, uxori; quibus alimenta, & ſuſtentationem honeſtam, ſpectata illorum conditione, debet interfector, ſi interfectus id ipſis erat præſtiturus, nec non compenſationem damnorum omnium ex morte illius emergentium, ex prudentum arbitrio. Ratione autem mutilationis, aut gravis læſionis reſtitutio fieri debet illi, qui mutilatus, aut vulneratus eſt, aut alioqui ejus heredibus neceſſariis, ac legitimis, damnorum omnium emergentium, & totius lucri ceſſantis; ſi quis, v. g. brachium abſcidit artifici, debet illi reſtituere quidquid artificio ſuo lucratus eſſet. Quod virorum prudentum judicio æſtimandum eſt, ſpectata ætate, valetudine, viribus, induſtria, incertitudine vitæ, operarum, aut conductionis ejus, qui occiſus, aut mutilatus eſt, ex quibus lucrum augeri contingit, vel minui. Nihil autem reſtitui neceſſario debet ratione ſolius deformitatis, aut cicatricum, nec ratione damni ex deformitate conſecuti reſtitutio neceſſario facienda eſt; ſi, v. g. deformitas in puellæ vultu manens ex verberibus, & vulnere impediat, ne ita commode, &

ho-

honeſte collocetur. Iſta conſtant ex cap. 1. *De Injuriis, & damno dato*, & ex L. ultima, *De his, qui effuderint, vel dejecerint*, in Digeſtis. Rationem cur ſolius deformitatis ratione nihil reſtitui ex neceſſitate debeat, lex tradit: *Quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.*

Nec vero a reſtitutionis onere ſunt liberi, qui pœna corporali a judice damnati ſunt, cum reſtitutio damnorum a pœna diſtinguatur; nec remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi reſtitui poteſt. At judices providere ſolent eorum indemnitati, qui læſi ſunt, vel heredum neceſſariorum, & legitimorum indictione mulctæ, quæ reſarcitur, & compenſatur quidquid ipſorum civiliter intereſt.

Si tamen is, qui occiſus, mutilatus, aut læſus eſt, alium eſt aggreſſus, aut uterque libenter in certamen deſcendit; nulla eſt reſtitutionis obligatio, quia in priori caſu aggreſſor, in altero uterque cenſetur renuntiaſſe juri, quod habuiſſet exigendi ſatisfactionem aliquam, aut reſtitutionem.

ARTICULUS V.

Regulæ circa ſcandalum.

REGULA PRIMA.

Scandalum activum, ſi ſit per accidens, quandoque veniale, quandoque mortale peccatum eſt.

De Scandalo.

Veniale quidem peccatum eſt, „ „ cum aliquis, vel actum venialis peccati, vel actum, qui non eſt ſecundum ſe peccatum, ſed habet aliquam ſpeciem mali, cum aliqua levi indiſcretione committit. *Mortale vero peccatum eſt, cum aliquis* committit actum peccati mortalis, *vel* contemnit ſalutem proximi, ut ſi pro ea conſervanda non prætermittat facere, quod ſibi libuerit „ „. Ita docet *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. 43. art. 4.

cendi non habuerit. Hæc *S. Thomæ* doctrina eſt, 2. 2. qu. 43. art. 1. in reſponſione ad 4. objectionem: „ Dictum (*inquit*) vel factum alterius poteſt eſſe alteri cauſa peccandi per ſe, quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum; puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati. Et nunc ille, qui hujuſmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ „. Atque hic ſenſus eſt verborum ejuſdem angelici Doctoris art. 3. ubi ſcandalum per accidens eſſe ait, adeoque non eſſe ſpeciale peccatum: „ Quando eſt præter intentionem agentis, ut puta cum aliquis facto ſuo, vel verbo inordinato non intendit alteri dare occaſionem ruinæ, ſed ſolum ſuæ ſatisfacere voluntati „. Per ſe autem eſſe activum ſcandalum. „ Quando aliquis ſuo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad „ peccandum „; ſicque ſpeciale peccatum eſſe. Intelligendus eſt (inquam) de intentione ſive expreſſa, quaſi ex fine operantis, ſive interpretativa duntaxat ex natura operis. Idque verba ſequentia confirmant. „ Unde (*inquit*) ſicut furtum eſt ſpeciale peccatum, aut homicidium, propter ſpeciale nocumentum proximi, quod intenditur; ita etiam ſcandalum eſt ſpeciale peccatum, propter hoc, quod intenditur ſpeciale proximi nocumentum „. Quis vero negaverit, furtum, & homicidium eſſe ſpecialia peccata, quamvis expreſſam intentionem non habeant fur, & homicida corporale damnum inferendi proximo, ſed cupiditati duntaxat ſuæ ſatisfaciendi? quamvis igitur abſit expreſſa, & formalis intentio inferendi ſpiritale damnum proximo, ſeu ipſum impellendi in peccatum, nihilominus ſpeciale delictum eſt, modo adſit intentio virtualis, & interpretativa, ex natura, & circumſtantiis operis æſtimanda.

Hanc Regulam confirmat *S. Antonin.* p. 2. tit. 7. cap. 4. ubi ait, *quod* „ Si mulier perpendens, vel

æſti-

æſtimans ex ſignis aliquem trahi ad concupiſcentiam ſui extra matrimonium, offerat ſe indifferenter aſpectui illius, non intendens illum inducere ad concupiſcentiam ſuam, ſed nec etiam de hoc curans, ſed volens ſatisfacere voluntati ſuæ, ſeu levitati in diſcurrendo per loca, vel morando ad oſtium domus, vel feneſtras, ex quadam curioſitate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine, mortale eſſet. Secus autem ſi hoc non æſtimaret, vel non bene poſſet illa dimittere, ut quia oportet ire ad Eccleſiam, vel alia loca; & aliquando cum vicinis morari in via, ne reddat ſe aliis oneroſam, & de ea re diſplicentiam habeat. Similiter cum quis habet nimiam familiaritatem cum aliqua perſona ſuſpecta, & ſentit homines ſcandalizari, nefaria de eis judicando, & loquendo, nec vult dimittere, non curans, quod alii ſcandalizentur, quamvis non intendat aliquod nefarium, nec illos ſcandalizare, cum non ſubſit cauſa neceſſaria illius familiaritatis, peccat mortaliter dando occaſionem talis ruinæ. Et de hoc intelligitur illud Matth. 18. *Væ illi, per quem ſcandalum venit. Væ* autem importat damnationem æternam, & ſignanter dicit, *venit*, quaſi dicat, etiamſi hoc non intenderet, ſcilicet ſcandalizare, tamen ejus opus tale eſt, quod inde venit ſcandalum. O quam hoc miſerabile peccatum in mundo abundat, & nullam ſibi videntur homines facere conſcientiam! Ornatus mulierum tam vanus, tripudiatus, & cantus, quid eſt niſi magnum ſcandalum, & laqueus animarum? *Ecce mulier* (inquit Salomon Prov. 7) *in habitu ornata meretricio ad capiendas animas.* Quaſi dicat, operatur ille ornatus ad ſcandalizandum, & capiendum animas peccato luxuriæ. Verba, & geſtus laſciviis plena, quæ dicunt quotidie juvenes invicem ex loquacitate, vel ſolatio, quid ſunt niſi magnum ſcandalum ſibi, & aliis audientibus? *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala* (ait Apoſt. 1. Cor. 15.) Contumeliæ, detractiones, deriſiones, ſuſurrationes, contentiones, & perturbationes, generant utique magnum ſcanda-

lum aliis. Eccleſ. 23. *Superbus, & maledicus ſcandalizabit*, ſcilicet alios. Blaſphemiæ, perjuria, maledictiones, fraudes, non audire divina, & non ſumere Sacramenta, quæ vident filii in parentibus ſuis, quid ſunt niſi magna ſcandala eis, ut ſimilia diſcant operari? Mala vita manifeſta Rectorum, & Prælatorum Eccleſiæ, ambitio, avaritia, ſimonia, pompa veſtium, exquiſitæ epulæ, ſpecies variæ luxuriæ, nonne magnum ſcandalum totius populi chriſtiani? Unde Dominus Malachiæ 2. *Scandalizatis plurimos in lege*, ſcilicet propter exempla mala vitæ veſtræ „.

REGULA IV.

Facere coram aliis id, quod ſpeciem mali præ ſe fert, ſcandali peccatum eſt, quoties nulla ſubeſt id faciendi ratio legitima, præſentibus, quod fieri poteſt, manifeſtata.

Hæc Regula nititur verbis Apoſtoli 1. ad Cor. 8. *Videte, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem; nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Et 1. ad Theſſ. 5. 22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. q. 43. art. 2. „ „ Activum ſcandalum (*inquit*) ſemper eſt peccatum in eo, qui ſcandalizat, quia vel ipſum opus, quod facit, eſt peccatum; vel ſi habet ſpeciem peccati, dimittendum eſt ſemper propter proximi charitatem, qua unuſquiſque tenetur ſaluti proximi providere. Et ſic qui non dimittit, contra charitatem agit „.

Si tamen ſubſit ratio legitima id faciendi, quod mali

li ſpeciem præ ſe fert, ut neceſſitas, vel magna utilitas, & cavetur, quantum fieri poteſt, ut qui operis conſcii ſunt, illud & recta intentione, & ex cauſa legitima fieri, neque revera malum eſſe noverint, nullius eſt ſcandali reus, qui ab eo opere non abſtinet, quia utitur jure ſuo; quod autem aliquis ex eo offendatur, non ex ipſo provenit opere, ſed ex illius malitia. Sic *Naaman* Syro permiſit *Eliſeus*, ut Regi Syriæ Domino ſuo idolum adoranti obſequium præſtaret, corpuſque ad illum ſuſtentandum incurvaret, quod mali quidem ſpeciem præ ſe ferebat; ſed tamen cum *Naaman* unius veri Dei cultum palam profiteretur, perſpectum ſatis, & exploratum erat, illum ad fulciendum Regem pro ratione, & neceſſitate officii ſui, non ad cultum idoli genuflectere. Sic *Judith* ornata *Holofernem* adiit, non eo animo, ut ipſum ad amorem illicitum pelliceret; nam illi etiam: „ „ Dominus contulit ſplendorem; quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat; & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret „ „: ſed ad honeſtam familiaritatem. Et quamvis *Holofernem* laqueo oculorum ſuorum poſſe capi non ignoraret, jure tamen ſuo uſa eſt, ſciens ejus peccatum imputandum ſibi non fore. Sic *David* panes propoſitionis urgente neceſſitate comedit (1. *Reg.* 21.) & Machabæi die Sabbati pugnaverunt (1. *Mach.* 2.) quoniam compertum erat juſtam neceſſitatem id poſtulare.

REGULA V.

Qui juſſu, ſuaſione, conſilio, precibus, auctor eſt alteri, ut id faciat, quod abſque peccato fieri non poteſt, reus eſt ſcandali.

Ipſum enim directe impellit ad peccatum. Nec refert, quod paratum invenias; non enim pravum propoſitum opere exequeretur, niſi occaſione data, quam tu dæmonis functus officio, & tentatoris perſonam agens, ipſi offeres, & præbes. Unde *S. Thom.*

2. 2. qu. 78. art. 4. docet: Nuſquam licere impellere, ſeu invitare alterum ad jurandum per falſos Deos, vel ad dandum mutuum cum uſurarum conditione, quamvis hujuſmodi juramentum, & mutuum recipere liceat, ſi poſtulet neceſſitas.

REGULA VI.

Scandali reæ ſunt mulieres chriſtianæ, quæ vel ea ſe ornant intentione, ut viros ad amorem alliciant inhoneſtum; vel habitu diſſoluto, & immodeſto utuntur, qui virorum concupiſcentiam excitare poſſit.

De habitu diſſoluto, & immodeſto mulierum.

Muliebris enim cultus viros ad laſciviam provocat, ſecundum illud Prov. 7. *Ecce mulier occurrit illo ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Poteſt tamen mulier licite operam dare, ut viro ſuo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur. Unde 1. ad Corinth. 7. dicitur: *Mulier, quæ nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Et ideo (inquit *S. Thom.* 2. 2. qu. 169. art. 2.) „ Si mulier conjugata ad hoc ſe ornet, ut viro ſuo placeat, poteſt hoc facere abſque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, vel ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorum aſpectibus ad concupiſcendum, quia hac eſt dare eis incentivum peccandi. Et, ſi quidem hoc intentione ſe ornent, ut alios provocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant „.

Et in reſponſione ad primum, explicans verba *S. Petri* Epiſt. 1. cap. 3. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*, ait, illum non prohibere mulieribus conjugatis ornari, ut placeant viris, ne detur eis occaſio peccandi cum aliis. Unde Apoſt. 1. ad Tim. 2. ait: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa. Itaque* „ Sobrius, & mode„ ratus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuper„ fluus, & inverecundus, & impudicus „.

Hæc

Hæc *Tertulliani* doctrinæ conſona ſunt lib. 2. *De cultu Feminarum*, cap. 2. „ „ Perfectæ (*inquit*) id eſt chriſtianæ pudicitiæ, appetitionem ſui non tantum appetendam, ſed etiam execrandam vobis ſciatis. Primo quod non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur excitas in te malum iſtud? Quid invitas, cujus te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus a ſuis abigat) inſtando perficiunt, certe vel Spiritum ſcandalo permovent. Debemus quidem ita ſancte, & tota fidei ſubſtantia incedere, ut confiſæ, & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes perſeverare id in nobis, non tamen præſumentes. Nam, qui præſumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur... Quid autem alteri periculo ſumus? Quid alteri concupiſcentiam importamus? Quam ſi Deus non ampliando legem facto ſtupri non diſcernat in pœna, neſcio an impune habeat, quæ alicui fuerit cauſa perditionis? Perit enim ille ſimul, ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi; ut, etſi a culpa vaces, ab invidia non libereris. Ut cum in alicujus agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem dominum non contingit; dum rus tamen ignominia notatur, ipſe quoque in familia aſpergitur „ „.

Et cap. 9. „ „ Hæ pompæ (*inquit*) quam de proximo curent luxuriæ negotium, dignoſcere in facili eſt, quod gratiam decoris cultus ſocietate proſtituant. Adeo ſi deſint, irritam, & ingratam reddunt, velut exarmatam & naufragam. Contra ſi forma defecit, adminiculum nitoris quaſi de ſuo gratiam ſupplet. Ætates denique requietas jam, & in portum modeſtiæ ſubductas ſplendor & dignitas cultus avocant, & ſeveritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitus irritamentum pro frigore ætatis „ „.

Idem confirmat *S. Cypr.* lib. *De Diſciplina, & habitu*

bitu Virginum, ubi ornamentorum, ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum, nonniſi proſtitutis, & impudicis feminis congruere ait; & nullarum fere pretioſiorem cultum eſſe, quam quarum pudor vilis eſt. In Scripturis (ſcilicet *Apoc.* 17.) deſcribi civitatem meretricem comptam pulchrius, & ordinatam, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potius ornamenta perituram. Iſaiam quoque Spiritu ſancto plenum filias Sion propter ornatus immoderationem, laſciviam, & ſuperbiam, increpare, cap. 3. *Dixit Dominus; pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra: Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Atque hinc colligit *S. Cyprianus*, mulieres immoderato, ſuperbo, ac diſſoluto ornatu corruptas eſſe, exaltatas cecidiſſe, comptas turpitudinem, fœditatemque meruiſſe, ſericum, & purpuram indutas vix Chriſtum induere poſſe, auro, margaritis, & monilibus adornatas, ea nimirum intentione, ut viros ad amorem inhoneſtum alliciant, vel ea immoderatione, diſſolutione, ac elegantia, quæ virorum concupiſcentiam excitare poſſit, ornamenta cordis, ac pectoris perdidiſſe. Tum ſubdit: „„ Quis non id execretur, & fugiat, quod alii fuerit exitio? Quis id appetat, & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hauſto poculo moreretur ille, qui biberat, venenum ſcires eſſe, quod ille potavit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret; ſcires eſſe lethale, quod acceptum potuit occidere,

dere, nec ederes inde, nec biberes, unde interiiſſe alios ante conſpiceres. Nunc quanta ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper, & noceat; & putare, quod inde ipſa non pereas, unde alios periiſſe cognoſcas „„?

Et in eodem libro; „„ Cæterum ſi tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Joan. Chryſoſtomus*, Homil. 17. in Evangelium S. Matthæi: „„ Si qua vero (*inquit*) ideo ornatur, & comitur, ut in ſe oculos omnium irritet, etiamſi nullum pulchritudine ſua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus, qui biberet, inventus eſt „„.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Carolus Borromæus*, in inſtructionibus: „„ Reum (*inquit*) peccati mortalis non ſolum facit in veſte ſumptus, facit aliquando & modus, ſi nempe immunditiam inſpiret, vel ex ſe, vel juxta communem hominum opinionem, vel ſi videat, conjiciatve ſaltem probabiliter, ex occaſione illius, quod inter honeſtos conditionis ſuæ viros, ac mulieres nondum ſit uſitata, non defuturos, qui amorem impudicum concipiant, conceptumque (niſi protinus abjiciat) retineant diutius; contemnens, aut certe parvifaciens illorum hominum ſalutem, ſi eodem ornatu uti pergit, haud dubium, quin mortaliter peccet „„.

Peccati mortalis reum in veſte facit ſumptus, vel modus.

REGULA VII.

Superfluus, & immoderatus mulierum ornatus, & cultus nuſquam abſque peccato eſt.

Christianæ enim disciplinæ ab Apostolis traditæ repugnat 1. ad *Timotheum* cap. 2. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Et 1. Petri cap. 3. *Quarum non sit extrinsecus & capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

Quot modis peccetur in vestitu, totoque cultu exteriori.

Et certe quamvis in vestibus, totoque cultu exteriori nullum vitium sit, ex parte tamen eorum, qui his immoderate utuntur, multiplex peccatum committi potest. Primo, si hominum, inter quos vivimus, laudabilem consuetudinem violemus; unde *S. August.* lib. 3. *Confessionum*, cap. 8. ait: „ „ Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullius civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens „ „.

Secundo, cum pravo affectu ornatus, & cultus externus adhibetur, sive servetur consuetudo eorum, quibus convivimus, sive violetur. Unde *S. August.* lib. 3 *De Doctrina christiana*, cap. 12. „ „ Sicut (*inquit*) talares, & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est, sic animadvertendum est in cætero quoque usu rerum abesse oportere libidinem, quæ non solum ipsa eorum, inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines ejus egressa, fœditatem suam quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat „ „.

In his ergo etsi non rerum usus, libido tamen utentis in culpa est. Quod tripliciter contingit: Primo, si quis ex superfluo, & immoderato vestium cultu inanem gloriam quærat, ut vulgo quærunt, qui ornatum, cultumque suo statui, & conditioni minime cor-

convenientem, & pretioſiorem, quam par ſit, affectant, & uſurpant. De quibus *S. Gregorius magnus*, Homilia 40. in Evangelia ait: „ Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum, quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo, & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta pretioſa niſi ad inanem gloriam quærit; videlicet, ut honorabilior cæteris videatur. Nam quia pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur, quod nemo vult tibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri „.

Secundo, peccatum eſt in cultu veſtium immoderato, ſi quis illis abutatur ad delicias.

Tertio, ſi nimiam ſolicitudinem adhibeat in corporis ornatu, cultuque quærendo, retinendo, aptando, ut ſolent mulieres in mundo muliebri; quem tamen ſi exquirant, & abhibeant, „ Ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter jactantiam quamdam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc eſt de viris. *Ita docet S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 1. & 2. Et in cap. 1. Epiſtolæ 1. ad Timotheum, Lect. 1.* Secundum Auguſtinum (*inquit*) duo ſunt conſideranda in ornatu mulierum, ſcilicet ſimplex ornatus, & fucatus. Simplex ornatus, puta in veſte, & in auro, & hujuſmodi; quod poteſt fieri cum peccato tribus modis, ſcilicet ex prava intentione, ut ſi intendant commotionem concupiſcentiæ, oſtentationem, vel inanem gloriam. Prov. 7. *Præparata ad capiendas animas.* Secundo, ſi fiat præter conſuetudinem patriæ, quod ſit diverſimode; quod enim excedit modum conſuetum patriæ, hoc ex levitate animi eſt. Tertio, ſi conditionem ſui ſtatus excedit. Sed ſervata intentione recta, conſuetudine patriæ, & conditione ſtatus, non eſt peccatum „.

Cæterum quam indignum ſit chriſtianis mulieribus, aut viris, qui humilitatem profiteri debent, glo- Chriſtianis indignum eſt gloriam

ex cultu corporis, & ornatu veſtium aucupari.

riam ex decore, cultuque corporis, & ornatu veſtium aucupari, egregie oſtendit *Tertullianus*, lib. 2. *De Cultu Feminarum*, cap. 3. „ „ Viderit (*inquit*) quem juvat de carne gloriari. Nobis autem, primo quidem nullum gloriæ ſtudium eſt; quia gloria exaltationis ingenium eſt. Porro exaltatio non congruit profeſſoribus humilitatis ex præſcriptis Dei. Dehinc ſi omnis gloria vana, & ſtuprata, quanto magis, quæ in carne? Nam etſi gloriandum eſt, in ſpiritu bonis, non in carne placere velle debemus, quia ſpiritualium ſectatores ſumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his gloriam carpamus, de quibus ſalutem ſperamus. Plane gloriabitur Chriſtianus etiam in carne, ſed cum propter Chriſtum lacerata duraverit, ut ſpiritus in ea coronetur, non ut oculos, & ſuſpiria adoleſcentum poſt ſe trahat „ „. Præterea Feminas chriſtianas docet, primi delicti memorem, *Evam lugentem, & pœnitentem* in ſe circumferre, quod plenius id, quod de Eva trahunt, ignominiam ſcilicet primi peccati, & invidiam perditionis humanæ, omnis ſatisfactionis habitu expiare ſtudeant. „ „ Vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſeculo, vivat & reatus neceſſe eſt. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es divinæ legis prima deſertrix, tu es, quæ eum perſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei hominem tam facile eliſiſti. Propter tuum meritum, id eſt, mortem, etiam Filius Dei mori habuit; & adornari tibi in mente eſt ſuperpelliceas tuas tunicas... Omnia iſta damnatæ, & mortuæ mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta „ „ (*inquit idem Tertull.* lib. 1. cap. 1.)

Caſtitatis & humilitatis profeſſio mulieres chriſtianas ad cultus, & ornatus modeſtiam obligat.

Et cap. 4. rurſus docet, caſtitatis, humilitatiſque profeſſionem poſtulare, ut mulieres Chriſtianæ modeſto cultu, & habitu incedant. „ „ Habitus feminæ (*inquit*) duplicem ſpeciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur; iſte in cura capilli, & cu-

tis,

tis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri proſtitutionis; ut jam hinc proſpicias, Dei ancilla, quid ex his diſciplinæ tuæ conveniat, quæ de diverſis inſtitutis cenſearis, ſcilicet humilitatis, & caſtitatis „ „.

Et cap. II. „ „ Propter iſtos (*inquit*) conventus, & mutuum videre, ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat. Vobis autem nulla procedendi cauſa non tetrica. Aut imbecillos aliquis ex fratribus viſitatur, aut ſacrificium offertur, aut Dei ſermo adminiſtratur. Quidvis horum gravitatis, & ſanctitatis negotium eſt, cui opus non ſit habitu extraordinario, & compoſito, & ſoluto „ „. Non tetrica, id eſt, non gravis, non feria, non ſancta.

REGULA VIII.

Scandali reæ ſunt mulieres, quæ collum, pectus, brachiave nudant, & ita compoſitæ in publicum prodeunt.

Diſſoluta enim hujuſmodi nuditate occaſionem ruinæ viris præbent. Unde quamvis ipſæ caſtæ eſſent, inſontes tamen non eſſent. Sed verum, & plenum pudicitiæ bonum in ipſis æquus rerum æſtimator nemo agnoſcet: „ „ Pudicitiæ *enim vero* chriſtianæ non ſatis eſt eſſe, verum & videri. Tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, & eructet a conſcientia in ſuperficiem „ „. Cum feminæ chriſtianæ merito *Sacerdotes pudicitiæ* dicantur, indignum plane eſt, ut impudicarum ritu comptæ, & ornatæ procedant: „ „ Quid *enim*; minus habent infeliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas ſi quæ leges a maritalibus, & matronalibus decoramentis coercebant, jam certe ſeculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque feminis, uſque ad errorem dignoſcendi coæquavit „ „ (*inquit Tertull.* lib. 3. *De Cultu fœminarum.*) Habitus diſſolutus & immodeſtus mulierum.

Nec refert, quod impudicam intentionem non habeant, ſed vanam duntaxat gloriam captent de pul-

chri-

ghritudine, aut commoditati tantum ſuæ conſulere velint. Nihilominus enim ſe ipſas, viroſque in periculum peccati mortalis conjicientes, lethaliter peccant. Ut enim ait *Tertull.* lib. *De Virginibus velandis*, cap. 13. „„ Ubi gloria, illic ſolicitatio, ubi ſolicitatio, illic coactio, ubi coactio, illic neceſſitas, ubi neceſſitas, illic infirmitas. Merito itaque dum caput non tegunt, ut ſolicitentur gloriæ cauſa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina „„.

Nec ipſas excuſat conſuetudo, quæ verius corruptela dicenda eſt, naturæ, ſcripturæ, diſciplinæ contraria, quæ mulieres velatas incedere jubent, non caput, collum, pectus, brachia nuda, & nundinatitia proferre. „„ In his (*inquit Tertull. cap.* 15. *ejuſdem libri*) conſiſtit defenſio noſtræ opinionis ſecundum Scripturam, ſecundum naturam, ſecundum diſciplinam. Scriptura legem condit, natura conteſtatur, diſciplina exigit. Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt, vel qui diverſæ ſententiæ color eſt? Dei eſt Scriptura, Dei eſt natura, Dei eſt diſciplina; quidquid contrarium eſt iſtis, Dei non eſt. Si Scriptura incerta eſt, natura manifeſta eſt, & de ejus teſtimonio Scriptura incerta non poteſt eſſe; ſi de natura dubitatur, diſciplina, quid magis Deo ratum ſit, oſtendit. Nihil eſt illi charius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil pretioſius gloria, & ſtudio hominibus placendi... Oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia virgo, vela caput; ſi mater, propter filios; ſi ſoror, propter fratres; ſi filia, propter patres, omnes in te ætates periclitantur; indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos... Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas, & maritatas velari jubet, utique multo magis ſuas. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidiſtis, ne ſic a diſciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non poteſtis, alio modo deſtruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes.

tas. Mitris enim, & lanis quædam non velant caput, ſed conligant, a fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput eſt, renudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis cerebro tenus operiuntur... Sciant, quia totum caput mulier eſt. Limites, & fines ejus eo uſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt, quas ſubjectas eſſe oportet, propter quas poteſtas ſupra caput haberi debet; velamen jugum illarum eſt. Judicabunt vos Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidia frui luce, quam totam faciem proſtituere. Quas propterea infeliciſſimas ait romana quædam Regina, quod adamare magis, quam adamari poſſint, cum ſint ex alterius infelicitatis, & quidem frequentioris immunitati felices, quia facilius adamari, quam adamare feminæ poſſunt „„.

Hanc Regulam confirmat *Clemens Alexandrinus* lib. 2. *Pædagogi*, cap 2 „„ Nullo modo (*inquit*) permittendum eſt mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in ſe virorum intuitum attrahant „„.

Et S. *Hieron.* Epiſt. 8. ad *Demetriadam* de Virginitate ſervanda: „„ Illa (*inquit*) tibi ſit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter ſocias, quæ ſe neſcit eſſe pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem operit „„. Quamobrem mulieres, quæ pectore, humeris, brachiiſve nudis prodire in publicum non erubeſcunt, Abſolutione ſacramentali; & ſacra Communione donari vetant Synodus Andegavenſis anno 1607. ſtatuta Synodalia Biſuntinæ Eccleſiæ, tit. 14. ſtat. 11. ſtatuta Synodica Diœceſis Cadurcenſis anno 1638. cap. 9. rituale Cituricenſe editum anno 1666. cap. 4. *De Sacramento pœni-*

Mulieribus, quæ pectore, humeris, brachiiſve nudis prodeunt in publicum, abſolutio, & communio negan da.

pœnitentiæ, Conſtitutiones, & inſtructiones Synodiæ *S. Franciſci Saleſii* & illuſtriſſimi *Arentonii d'Alex*, Genevenſium Epiſcoporum p. 4. tit. 10. n. 4. ſtatuta Synodica Diœceſis Aginnenſis, tit. 30. n. 10. Conſtitutiones Synodicæ Eminent. Cardinalis *Grimaldi* Aquenſis Archiepiſcopi &c.

REGULA IX.

Scandali reæ ſunt mulieres, quæ fucis vultum adulterant, aut capillos tingunt, & lethalis plerumque peccati reatum incurrunt.

Fucorum uſus quam grave peccatum.

Fucos a dæmonibus inventos, eorumque uſum edoctas ab illis fuiſſe mulieres, aſſerere non dubitat *Tertullian.* lib. 1. *De cultu Feminarum*, cap. 2. lib. 2. cap. 5. & ſequentibus oſtendit, quam ſit contrarius chriſtianæ morum diſciplinæ fucorum uſus, & quam grave ſit peccatum. Ubi enim præmiſit, *in juſtitia corporis excolendi* non ſupergrediendum ultra quam ſimplex, & ſufficiens munditia poſtulat, ultra quam Deo placet, ſubdit: „ In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Diſplicet nimirum illis plaſtica Dei; in ipſis ſe nimirum arguunt, & reprehendunt Artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adverſario Artifice ſumentes additamenta. Is eſt diabolus. Nam quis corpus mutare monſtraret, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujuſmodi ingenia concinnavit, ut in vobis pateat manus vos quodammodo Deo inferre. Quod naſcitur, opus Dei eſt. Ergo quod infingitur, diaboli negotium eſt. Divino operi ſatanæ ingenia ſuperducere, quam ſceleſtum eſt? Servi noſtri ab inimicis noſtris nihil mutuantur. Milites ab hoſte Imperatoris ſui nihil concupiſcunt. De adverſario enim ejus, in cujus manu ſis, aliquid uſui poſtulare, tranſgreſſio eſt. Chriſtianus a malo illo adjuvabitur in aliquo? Neſcio an hoc nomen ei perſeveret, Erit enim ejus, de cu-

cujus doctrinis inſtrui concupiſcit. Quantum autem a veſtris diſciplinis, & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna nomine chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur? Effigie mentiri, quibus lingua non licet? Appetere, quod datum non ſit, quibus alieni abſtinentia traditur? Adulterium in ſpecie exercere, quibus ſtudium pudicitiæ ſit? Credite, Benedictæ, quomodo præcepta Dei cuſtodietis, lineamenta ejus in vobis non cuſtodientes?... Dominus ait: Quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Itaque revincunt Deum. Ecce (*inquiunt*) pro albo, vel atro flavum facimus, gratia faciliorem. Quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœniteat fenectam uſque vixiſſe! Proh temeritas! Erubeſcit ætas exoptata votis, furtum conficitur; adoleſcentia, in qua delinquimus, ſuſpiratur, occaſio gravitatis interpolatur. Abſit ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta... Quid tanta ordinandi crinis operoſitas ad ſalutem ſubminiſtret? Quod crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnos coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate... Prodite vos medicamentis, & ornamentis exſtructæ Prophetarum, & Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia & os taciturnitate, inferentes in aures ſermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti, caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebitis. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem „„. Matth. 5. 36.

Eamdem Regulam confirmat *S. Cyprianus*, lib. *De Diſciplina & habitu Virginum*, ubi non Virginem tantum aut viduas, „„ ſed & nuptas, & omnes omnino feminas *admonet*, quod opus Dei, & factura ejus, & plaſtica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut

aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente
Gen. 1. medicamine. Dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem noſtram*, & audet quiſquam mutare, & convertere, quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt; neſcientes, quia opus Dei eſt omne, quod naſcitur. diaboli quodcunque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicujus, & ſpeciem, & corporis qualitatem, æmulo colore ſignaſſet, & ſignato jam, conſummatoque ſimulacro manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quaſi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, & juſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam. Ut enim impudica circa homines & inceſta fucis lenocinantibus non fis, corruptis, violatiſque, quæ Dei ſunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio
1. Cor. 5. eſt veritatis. Monentis Apoſtoli vox eſt: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi; nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; itaque feſta celebremus non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Num ſinceritas perſeverat, & veritas, quando quæ ſincera ſunt, polluuntur colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium
Matth. 5. vera mutantur? Dominus tuus dicit: *Non potes facere capillum unum album, aut nigrum;* & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te eſſe potiorem? Audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos jam tibi flammeos auſpicaris, & peccas, proh nefas! capite, id eſt, corporis parte meliore, & cum ſcriptum ſit
Apoc. 1. 14. de Domino: *Caput autem ejus, & capilli erant albi velut lana, aut nix*, & tu execraris canitiem, deteſtaris alborem, qui ſit ad Domini caput ſimilis. Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum reſurrectionis dies advenerit, artifex tuus te non recognoſcat, & ad

ſua

ſua præmia, & promiſſa venientem removeat, & excludat? Increpans vigore Cenſoris, & judicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nec imago hæc noſtra eſt, cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos, atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter, & arſura. „ „

Legendi in eamdem ſententiam *Clemens Alexand.* lib. 3. *Pædagogi* cap. 2. 3. & 11. *S. Greg. Nazianz.* Orat. de Laudibus *Gorgoniæ* ſororis, *S. Ambroſ.* lib. 1. *De Virginibus*. cap. 6. ubi nequidem fucorum uſum licitum eſſe feminis docet, ut maritis placeant. „„ Hinc illa (*inquit*) naſcuntur incentiva vitiorum, ut quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium caſtitatis. Quanta hic amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale judicium, prodere ſuum? Prior enim de ſe pronuntiat, quæ cupit mutare, quod nata eſt. Ita dum alii ſtudet placere, prius ſibi ipſa diſplicet. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam teipſam, quæ videri times? Si pulchra es, quid abſconderis? Si deformis? cur te formoſam eſſe mentiris, nec tuæ conſcientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. Et iraſceris, ſi amet aliam; qui adulterare in te docetur? Mala magiſtra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ paſſa lenonem eſt, ac licet vilis mulier, non alteri tamen, ſed ſibi peccat; tolerabilioraque propemodum in altero crimina ſunt, ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur „ „.

Ante *S. Ambroſ.* eamdem conjugatarum mulierum excuſationem velut inanem rejecerat *S. Cyprian.* loco ſupra laudato. „„ Viderint (*inquit*) quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de conjugum ſolatio blandian-

Inanis mulierum, quæ fucis utuntur, excuſatio.

tur, quos, dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatem criminoſæ conſenſionis adſciſcunt „„.

Et ante hunc *Tertull.* lib. 2. *de Cultu feminarum* cap. 2. & 4. „„ Expingamus nos, ut alteri pereant. Ubi eſt ergo: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum?* Nolite veſtra tantum curare, ſed alterius... Cum igitur & noſtra, & aliorum cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, jam non tantum confictæ, & elaboratæ pulchritudinis ſuggeſtum recuſandum a vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum diſſimulatione, & incuria, ut perinde oculorum incurſibus moleſtum... Sanctæ feminæ ſi naturaliter ſpecioſæ, non adeo fit occaſio. Certe ſi & fuerit, non adjuvare, ſed etiam impedire debet. Quaſi gentilibus dicam gentilis, & communi omnium præcepto alloquens vos, ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis .. Uxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit, cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu forma commendata. Ne qua veſtrum putet, ſi temperaverit a compoſitione ſui, odium & averſionem maritorum proſecuturam. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Formam vero fidelis non poſtulat, quia non iiſdem bonis, quæ gentiles bona putant, capimur; infidelis contra, etiam ſuſpectam habet. Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si fidelis, non exigit; ſi infidelis, ſimplicem non credit. Quid geſtis aut ſuſpecto, aut non deſideranti placere „„?

Hanc Regulam confirmat & *S. Hieron.* Epiſt. 23. ad *Marcellam* de *Bleſillæ* ægrotatione. „„ Illæ (*inquit*) chriſtianos oculos ſcandalizent potius, quæ purpuriſſo, & quibuſdam fucis ora, oculoſque depingunt, quarum facies gypſeæ, & nimio candore deformes idola mentiuntur, quibus ſi forte improvidis lacrymarum ſtilla erupit, ſulco defluit; quas nec numerus annorum poteſt docere, quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Quæ denique ante nepo-

tum

tum gregem trementes virgunculæ componuntur. Erubescat mulier christiana, si naturæ cogit decorem, si carnis curam facit ad concupiscentiam, in qua qui sunt, secundum Apostolum, Deo placere non possunt ;, ,,.

Et *S. Paulinus*, Epithalamio in *Julianum*, & clarissimam ejus uxorem :

Absit, ut idolici videatur filia Templi,
Gentis apostolicæ filia facta domo.
Non fucis male ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aspernata superbo
Crimine, divinum in se sibi damnat opus.
Frustra hæc se mulier jactaverit esse pudicam,
Quæ se tam variis ornat adulteriis.
Vos autem juvenes Christi, fugite omnia, quorum
In damno pretium est, usus in interitu.
Credite divinis verbis, de cultibus istis
Pœnalem cupidis surgere materiam.

Idem confirmat *S. Augustin.* Epist. 245. alias 73. ad *Possidium* data. „ „ Nolo tamen (*inquit*) de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quæ sunt mundi, quomodo placeant, vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Nisi quod capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet, nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt feminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus maxime Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt „ „. Hic locus refertur, *De Consecratione*, dist. 5. Canone, *Fucari*. 1. Cor. 7.

Ad hujus Regulæ plenam explicationem addenda est *S. Thomæ* responsio 2. 2. qu. 169. art. 2. ad secun-

taliter peccant, & indignas ſe efficiunt ſacra Communione. Et hoc maxime propter tria, quæ inde ſequuntur, primo offenſio Dei, ſecundo offenſio proximi, tertio offenſio ſui. *Offenſio Dei*, quia non ſolum ſinceritas ſummi Opificis impugnatur, verum etiam verbum Dei contemnitur, & infirmatur. *Offenſio proximi*, ſcilicet fictio, & mendacium inducens errorem ex certa ſcientia. *Offenſio ſui*, quia injuriatur propria natura... Propterea dicendum eſt, quod ſive ſint ſolutæ, ſive conjugatæ, mortaliter peccant hujuſmodi abutentes abuſionibus. Non tamen nego, quin permiſſum ſit conjugatis ornare ſe honeſto ornatu veſtium propter maritos, dum tamen nihil falſitatis, aut adulterinæ picturæ, aut capillaturæ uſurpent. Sed dices, hoc faciunt, ſcilicet, quia ſe fucant, & capillis talibus abutuntur, ut placeant maritis ſuis. Dicendum, quod voluntas hæc placendi maritis ſuis, ſeu ipſum placitum, non excuſat eas a peccato mortali, quia modus, per quem placent, ſeu placere intendunt, nec Deo placet, nec maritis „„. Aliorum ſubinde refert opinionem, dicentium, quod ſi conjugata non ut laudetur de pulchritudine, vel provocet alios ad ſui concupiſcentiam, aut alia corrupta intentione, ſed tantum ne maritus ejus propter ejus deformitatem ſcandalizatus exhorrens eam, adulterium incurrat, aut tincturis aliquibus uteretur, aut capillis alienis, non mortaliter peccaret. Et hi dicunt, quod *S. Cyprianus*, & alii hanc abuſionem deteſtantes, intelligunt de illis, quæ hujuſmodi faciunt intentione corrupta. *Iſta autem definitio* (inquit) *mihi videtur melior, & tertior.* Hæc *S. Bernardini Senenſis*, *Silveſtri*, *Cajetani* Cardinalis, & aliorum paulo indulgentior opinio, veniale duntaxat peccatum agnoſcentium in uſu fuci & capillorum alienorum, cum ex ſola vanitate, non ex impudico affectu adhibentur, & alioqui nullum imminere videtur gravis ſcandali probabile periculum, probabilis eſt, & tuta, eamque conſcientiarum moderatores ſequi poſſunt, cum ſit & *S. Thomæ*, 2. 2. q. 169. art. 2. tum

in

in corpore articuli, cum in reſponſione ad 2. objectionem. Sed Concionatores, & Confeſſarii omni ſtudio zeloque mulierum vanitatem reprehendere debent, & verbi Dei cauterio curare pravæ conſuetudinis malum. *S. Bernardinus Senenſis* definit ibidem caput ornatum mulieris vanæ. „ „ Si quæratur (*inquit*) quid eſt caput ornatum mulieris vanæ? Reſponderi poteſt, quod tumor ſuperbiæ, Babylonica turris, vexillum diaboli, deriſio Chriſti, luxuriæ ſignum, duplicitas cordis, ſanctificatio criminis, lucifuga animarum, laquei dæmonum, diabolicum monſtrum, ſedes ſatanæ, & remuneratio paſſionum „ „. Quæ omnia ſingillatim explicat. In Summa verbo ornatus.

REGULA XI.

Scandali rei ſunt & viri in corporis cultu, & capillaturæ cura modum excedentes.

„ „ Siquidem (*inquit Tertull. lib. 2. De Cultu feminarum, c. 8.*) & viris propter feminas, & feminis propter viros vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas, propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum diſponere, & decolerare caniciem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtringere, cætera pulveris cujuſdam aſpritudine lævigare, tum ſpeculum omni occaſione conſulere, anxie inſpicere; cum tamen cognito Deo, adempta placendi voluntate per luxuriæ occaſionem, omnia illa ut otioſa, aut hoſtilia recuſantur. Nam ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento ſuo, id eſt, ſine gravitate tractabimus? Quomodo autem gravitatem adminiſtrandæ pudicitiæ adhibemus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeveritas circumferatur? Quamobrem erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta, perinde vobis curanda eſt amputatio,

& decuſſio redundantioris nitoris. Nam quid prodeſt, faciem quidem frugi, & expeditam, & ſimplicitatem condignam divinæ diſciplinæ exhibere, cætera vero corporis lancinoſis pomparum, & deliciarum ineptiis occupare „„?

Hanc Regulam confirmat *S. Hieron.* in cap. 1. *Sophoniæ* Prophetæ. „„ Neque vero (*inquit*) æſtimandum eſt, eos ſolos periiſſe, qui argento erecti ſunt; ſed juxta hanc definitionem peribit & ille, qui in generis nobilitate ſe jactat; qui gloriatur in dignitatibus, peribit; qui inflatur, peribit; qui in fortitudine corporis gloriatur, peribit; peribit, qui in femineo languore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad ſpeculum comitur, quæ proprie paſſio, & inſania feminarum eſt „„.

Id denique confirmant Acta *S. Tiburtii* Martyris apud *Baronium*, ad annum 286. Sanctus enim Martyr *Torquatum* teſtem apoſtatam recuſans ait: „„ Crediſne hunc Chriſtianum, qui in ſui lenocinio moriendo, capitis fimbrias admittit, qui tonſorem diligit, qui ſcapulis molliter geſtit, qui fluxum greſſum improbo nixu diſtendit, qui neglectis viris feminas intuetur? Nunquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſervos ſuos „„.

REGULA XII.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui alterius ſexus veſte abſque neceſſitate utuntur. Non levis etiam ſcandali rei ſunt, qui larvati incedunt.

Primo pars iſtius Regulæ nititur hoc Dei præcepto, Deut. 22. quod non cæremoniale tantum, ſed etiam morale eſt: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea; abominabilis enim apud Deum, qui facit hæc.* Quem locum expendens *S. Ambroſ.* Epiſt. 69. ad *Irenæum* data, ait; „„ Incongruum eſt, quod ipſa etiam abhorret natura. Cur enim, homo, non vis videri eſſe, quod natus es? Cur alienam tibi aſſumis ſpeciem? Cur mentiris feminam, vel tu fe-

femina virum? Suis unumquemque ſexum induit natura indumentis. . . Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum in habitu. Denique in Templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic aſſumere viros muliebrem veſtem, geſtumque ſemineum, ſacrum putatur. *Et infra*: Merito illic non ſervatur caſtimonia, ubi non tenetur ſexus diſtinctio, in quo evidentia naturæ magiſteria ſunt „„.

Idem confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 169. art. 2. in reſponſione ad tertium. „„ Cultus (*inquit*) exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem; & ideo de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo, & præcipue quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur in lege, quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ ſuperſtitionem. Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato, propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel pro defectu alterius veſtimenti, vel propter aliquid hujuſmodi „„. Sic *S. Antoninam* Virginem *Alexander*, ac *Theodoram* item Virginem *Diſtimus*, commutatis veſtibus, e lupanari liberavit, ut in Martyrologio legimus ad diem 22. Aprilis, & ad 3. Maji: Sic *S. Ambroſius* lib. *De Virginibus*, cap. 4. ſimile factum narrat Antiochenæ cujuſdam virginis, quam & ignotus miles ad eam liberandam in lupanar ingreſſus, ſic alloquitur: „„ Ne, quæſo, paveas, ſoror, frater huc veni ſalvare animam, non perdere. Serva me, ut ipſa ſerveris. Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis, Martyr egrediar. Veſtimenta mutemus, conveniunt mihi tua, & mea tibi; ſed utraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem faciet, mea te virginem. Sume habitum, qui abſcondat feminam; trade, qui conſecret Martyrem. Induere chlamydem, quæ occultet membra virginis, ſervetque pudorem. Sume pileum, quod tegat crines, abſcondat ora, &c. Quid plura? Mutato habitu evolat puella de laqueo... Damnatus eſt pro virgine, qui pro virgine comprehenſus eſt. Ita de lupanari non ſolum virgo, ſed

etiam Martyres exierunt. Fertur puella ad locum ſupplicii cucurriſſe, certaſſe ambos de nece... Duo contenderunt, & ambo vicerunt; nec diviſa eſt corona, ſed addita „„. Sic *Eugeniam*, *Euphroſinam*, *Apollinarem* refert Metaphraſtes mutata veſte ſexum diſſimulaſſe, ut apud viros monaſticam vitam profiterentur, cum in illarum patria monaſteria feminarum nulla eſſent. (Apud *Surium* ad diem 25. Decembris, & ad 1. & 5. Januarii.) Sic ipſe rurſus *Theodoram*, Jacobus autem Diaconus Heliopoleos *Pelagiam* ad expiandum lapſum ſuum idem feciſſe, ad diem 11. Septembris, & 8. Octobris narrant. Sic *Joanna* Puella Aurelianenſis, ut inſtinctu divino auxilium *Carolo VII.* Regi chriſtianiſſimo ad hereditarium regnum recuperandum ferret, militarem veſtem induit; quæ ab hoſtium calumniis eam ob cauſam irrogatis plene per Commiſſarios a *Caliſto III.* Pontifice maximo delegatos anno 1456. vindicata eſt. Quæ tamen facta non ſunt in conſequentiam, & in exemplum trahenda.

Extra caſum neceſſitatis urgentis veſte alterius ſexus uti, lethale peccatum.

Extra caſus neceſſitatis urgentis diſſimulare ſexum, & veſte alterius ſexus uti, lethale peccatum eſt. Unde *S. Auguſt.* lib. 2. *Soliloquiorum*, cap. 16. „„ Credo (*inquit*) jure infames, indeteſtabileſque haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcio utrum falſas mulieres, an falſos viros malius vocem. Veros tamen hiſtriones, veroſque infames ſine dubitatione poſſumus vocare, aut ſi latent, nec infame quidquam niſi a turpi fama nominatur, vero nequam non ſine veritate dicimus. *Et paulo poſt*: Magna quæſtio eſt, utrum patriæ liberandæ cauſa muliebri tunica indutus, debeat hoſtem decipere, hoc ipſo quo mulier falſa ſit, fortaſſe verior vir futurus. Et utrum ſapiens, qui aliquo modo certum habeat, neceſſariam fore vitam ſuam rebus humanis, malit emori frigore, quam femineis veſtibus, ſi aliud non ſit, amiciri. Sed de hoc alias videbimus. Profecto enim cernis quantæ inquiſitionis indigeat, quatenus iſta progredi debeant, ne in quaſdam inexcuſabiles turpitudines decidatur „„.

Ante S. Auguſt. ejus conterraneus *Tertull.* lib. *De Pal-*

Pallio, ſententioſe pro more ait: „„ Habitum transferre ita demum culpæ prope eſt, ſi non conſuetudo, ſed natura mutetur. Sat refert inter honorem temporis, & religionem. Det conſuetudo fidem tempori, natura Dei „„.

Concilium Gangrenſe Canone 13. damnat anathemate mulieres, quæ continentiæ, & religionis cauſa virilem habitum uſurparent. „ „ Si qua mulier (*inquit*) propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit „„. In jus canonicum relatus eſt Canon *Si qua mulier*, diſt. 30. Multo magis damnandi viri, qui muliebrem amictum ſumunt. Ut enim *S. Ambroſius* Epiſt. 69. ad *Irenæum* ait: „„ Græco more influxit, ut feminæ virilibus quaſi ſuccinctioribus tunicis utantur. Eſto tamen, ut illæ imitari videantur melioris ſexus naturam, quid viri inferioris ſexus mentiri ſpeciem volunt „„?

Concilium Trullanum Canone 62. *ſtatuit* „„ Ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque comicas, vel ſatricas, vel tragicas perſonas induat... Qui deinceps aliquid eorum, quæ ſcripta ſunt, aggrédientur, ſi ſint quidem Clerici, deponi jubemus, ſi vero Laici ſegregari „„.

Regulæ pars altera, quæ larvarum unum ſpectat, adſtruitur *Tertulliani* verbis, lib. *De Spectaculis*, c. 23. „„ Jam vero (*inquit*) ipſum opus perſonarum, quæro, an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis ſuæ? Non amat falſum auctor veritatis, adulterium eſt apud illum omne, quod fingitur. Cæterum cum in lege præſcribit, maledictum eſſe, qui mulieribus veſtietur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam mulieribus curatur „„? Id eſt, voce, geſtu, inceſſu accuratiſſime effeminatur. Larvarum uſus damnatus.

Item *S. Joannis Chryſoſtomi*, Homilia 38. in Matthæum: „„ Quis eſt (*inquit*) ille theatralium hominum adeo magnus ſonitus? Quis tantus tumultus? Qui diabolici clamores? Quis veſtitus ſatanicus?

Alius cum adoleſcens ſit, comam pone reductam habet, & naturam aſpectu, veſtitu, inceſſu, cæteriſque hujuſmodi effeminando, ad teneriuſculæ imaginem puellæ deducere contendit. Alius e contra cum ſit ſenex, novacula pilos, & pudorem omnem abraſus, cinctus aſſiſtens, ad dicendum, ad faciendum omnia paratus eſt „ „.

Eamdem Regulam confirmat auctor ſermonis in Auguſtiniana Appendice 130. „ „ Dæmonum eſt (*inquit*) ſuave ſacrificium, cum aut dicitur a nobis aliquid, aut fit, quo honeſtas, quæ eſt amica juſtitiæ, improbis actibus violata diſcedat. Quid enim eſt tam demens, quam virilem ſexum in formam mulieris turpi habitu commutare? Quid tam demens, quam deformare faciem, & vultus induere, quos ipſi etiam dæmones expaveſcunt? Quid tam demens, quam incompoſitis motibus, & impudicis carminibus vitiorum laudes inverecunda delectatione cantare? Indui ferino habitu, & capræ, aut cervo ſimilem fieri, ut homo ad imaginem Dei, & ſimilitudinem factus ſacrificium dæmonum fiat? Per hæc ille malorum artifex ſe intromittit, ut capitis paulatim per ludorum ſimilitudinem mentibus dominetur „ „.

Calculum ſuum addit *S. Petrus Chryſol.* Sermone 155. ubi in illos invehitur, qui larvas idolorum joci cauſa aſſumebant. „ „ Quis (*inquit*) ſatis lugeat eos, qui ſimulacra faciunt ſemetipſos? Nonne iſti amiſerunt imaginem Dei, ſimilitudinem perdiderunt Chriſti, exuti ſunt indumentum, qui ſe ſimulacrorum formis ſacrilegis formaverunt? Sed dicet aliquis: Non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia, vota ſunt hæc jocorum; & hoc eſſe novitatis lætitiam, non vetuſtatis errorem; eſſe hoc anni principium, non gentilitatis offenſam. Erras, homo, non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit, de ſacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit riſum? Satis ſe decipit, qui ſic ſentit. Tyrannus eſt, tyranni habitum qui præſumit. Imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare perſonam. Qui joçari voluerit

cum

cum diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto. Nemo cum ſerpente ſecurus ludit; nemo cum diabolo jocatur impune. Si qua ſunt ergo viſcera pietatis in nobis, ſi qua eſt in nobis contemplatio humanitatis, ſi qua nos habet fraternæ ſalutis affectio, abſtrahamus eos, qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt in gehennam. Abſtrahat ergo pater filium, ſervum dominus, parens parentem, civem civis, homo hominem, Chriſtianos omnes, qui ſe beſtiis compararunt, exæquarunt jumentis, aptaverunt pecudibus, dæmonibus conformaverunt. Et ille, qui liberat, invenit præmium; qui negligit, acquirit offenſam „„.

Quamquam vero Clericis præcipue larvas aſſumere Canones prohibent, ſcilicet Synodus Lingonenſis anno milleſimo quadringenteſimo quarto, tit. *De Ludis prohibitis*: Concilium Narbonenſe anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Canone 19. Mediolanenſe primum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, Conſt. pag. 2. tit. 25. Burdigalenſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, tit. 21. Bituricenſe anno ſequenti, tit. 2. Canone 6. Aquenſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, tit. *De Vita, & Honeſtate Clericorum*: Narbonenſe anno milleſimo ſexcenteſimo nono, Canone 41. & Synodi pleræque Diœceſanæ; id tamen omnibus, qui chriſtiano nomine gloriantur, illicitum eſſe conſtat ex ſupra dictis Patrum teſtimoniis; conſtat ex vitiis, quæ ſub larvarum tegmine licentius committuntur; de quibus legi poſſunt *Joannes Ludovicus Vives*, lib. 1. *De inſtitutione Chriſtianæ feminæ*, tit. *De Saltationibus*, & *Polidorus Virgilius* lib. 5. *De Inventione rerum*, cap. 2. ubi apud Anglos capitale fuiſſe teſtatur, ſi quis perſonas indueret, necnon *Petrus Gregorius Toloſanus* celebris juriſconſultus lib. 39. Syntagmatis juris Univerſalis, cap. 11. N. 1. & 2 ubi & multis Toloſanæ Curiæ Senatus conſultis larvarum venditionem, & uſum, etiam Bacchanalium diebus prohibitum fuiſſe refert.

Sed

Sed *S. Caroli Borromæi* de larvarum uſu judicium hic prætermittere nefas. Sic enim de his loquitur in *Memoriali libro* P. 2. cap. 6. „„ Maledicti (*inquit*) & execrandi larvarum uſus; id præter alia impietatis, & depravationis habentes, quod antiquæ noſtræ ruinæ, cujus ſatanas ſerpentis formam induens, ſic larvatus auctor fuit, quaſi memoria feſtiva agatur. Deteſtandi larvarum uſus, quarum privilegio fas eſt cuilibet obſcæna; & impudica verba profari, geſtus & actus omnimode impuros edere; impiæ larvæ, honeſtatis oppugnatrices, gravitatis inimicæ, ruina piæ hujus vigilantiæ, cui foris, & intus chriſtianus tenetur indulgere „„.

REGULA XIII.

Peccant, quicunque in exteriori ornatu morem Patriæ, modumque conditioni, & ſtatui ſuo convenientem excedunt.

Patrum teſtimoniis hæc Regula firmatur, ſcilicet *Tertulliani* lib. 2. *De cultu Feminarum*, cap. 9. „„ Si quas divitiarum (*inquit*) vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, ut ſapientiam non videantur conſecutæ, temperate malum hujuſmodi curate, ne totis habenis licentiam uſurpetis prætextu neceſſitatis... Non enim utemur noſtris? Quis autem prohibet uti? Secundum Apoſtolum tamen, qui nos uti monet mundo iſto, quaſi non abutamur „„. Abutuntur autem facultatibus ſuis, quæ pretioſioribus, & elegantioribus veſtibus utuntur, quam ferat earum conditio, vel ſtatus; aut nimiis ſumptibus in pompam veſtium, mundumque muliebrem factis dant cauſam maritis fraudandi creditores, novum æs alienum contrahendi, cui ſolvendo etiam per tempus pares eſſe nequeant; vel reſecandi eleemoſynas, quas alioqui erogare tenentur. De qua immoderatione *Tertullian.* lib. 1. *De Cultu feminarum.* Cap. 8. „„ De breviſſimis (*inquit*) loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies

cies ſeſtertium inferitur. Saltus, & inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno, & muliebri corpuſculo bajulare „ „.

S. Cypriani, lib. *De Diſciplina, & habitu Virginum* ſcribentis: „ „ Locupletem te dicis, & divitem; ſed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum, atque ornatum tuum juſto fine moderandum; ſua voce præſcribit... Locupletem te dicis, & divitem; & utendum putas iis, quæ poſſidere te Deus voluit. Utere, ſed ad res ſalutares utere; ſed ad bonas artes utere, ſed ad illa, quæ Deus præcipit, quæ Dominus oſtendit: divitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera. Chriſtum ciba, ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora... Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo divitiæ datas credis, ut illis non ſalubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non ſunt idcirco amatoria cantanda, nec turpia; & ferrum eſſe ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia ſunt idcirco facienda; aut quia thura, & merum, & ignem Deus inſtituit, ſacrificandum eſt inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas, & hoſtias immolare debebis. Alioqui tentatio eſt patrimonium grande, niſi ad uſus bonos ſenſus operetur; ut patrimonio ſuo unuſquiſque locupletior, magis redimere debeat, quam augere delicta „ „.

S. Auguſtini Epiſt. 262. alias 199. ad *Ecdiciam*, quæ vidualem habitum inconſulto marito induerat. „ „ De habitu (*inquit*) atque veſtitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum, vel uſurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum. Scriptum eſt quidem: Mulieres eſſe debere in habitu ornato, auriſque circumpoſitio, & intortio crinium, & cætera hujuſmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad ille- 1. Tim. 2.

lecebram formæ adhiberi ſolent, merito reprehenſa ſunt. Sed eſt quidam pro modulo perſonæ habitus matronalis a viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus conjugatis ſalva religionis obſervantia convenire „„.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. q. 169. art. 1. in reſponſione ad primum: „„ Ad naturalem (*inquit*) rationem pertinet, ut exteriorem cultum moderetur. At ſecundum hoc nati ſumus hanc virtutem ſuſcipere, quæ exteriorem cultum moderatur. *Et art.* 2. *in reſponſione ad tertium*: Cultus exterior (*inquit*) debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem „„.

Et *S. Thomæ* coævus *Alexander Halenſis* 2. P. q. c. 1. membro 1. „„ Licet (*inquit*) ſecundum nobilitatem perſonæ, ſecundum conſuetudinem terræ, ſecundum dignitatem officii ornare ſe veſtibus pretioſis; ita tamen quod abſit libido in voluntate, & ſcandalum in exteriori opere „„.

REGULA XIV.

Scandali rei ſunt, qui novas illiciti ornatus, ac veſtimentorum formas excogitant, adinveniunt, & conficiunt; & lethaliter quidem peccant, ſi modus veſtium, ornatuſque pretioſioris, vel elegantioris, inverecundus ſit, aut impudicus: venialiter vero, ſi vanitatem duntaxat, & curioſitatem alat, pretii, aut elegantiæ immoderatione.

Peccata in exteriori cultu, & ornatu.

Hæc enim adinventio novitatum in cultu, & habitu muliebri, aut virili multis, gravibuſque deformitatibus ſcatet: *Dum & conſuetudo violatur, & occaſio damni datur, & inanis gloria, ac ſtultitia non ſine ſcandalo committitur* (inquit Cardinalis *Cajetanus* Commentario in Secundam ſecundæ, ad art. 2. q. 169.) Et ſi modus, formaque ornatus, aut veſtium diſſoluta ſit, & impudica, rei ſunt lethalis peccati, inventores, & auctores, ſive inventrices, & promotrices talis modi, ac formæ, nec non artifices ut-

utriuſque ſexus, qui veſtes illas, ſeu ornamenta conficiunt, ſicut & qui utuntur. In his enim, quæ abſque mortali peccato fieri non poſſunt, vel ut plurimum fiunt, aut incitamenta ſunt, vel occaſiones ad peccatum mortale: *Digni ſunt morte non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus* (inquit Apoſt. ad Rom. c. 1.) Inſignis præterea, & enormis abuſus artium eſt, quas hominum generi Deus optimus maximus dedit ad neceſſitatem, & utilitatem, non ad ambitionem, & vanam curioſitatem alendam, multo minus ad libidinem, & impudicitiam excitandam, & fovendam. Unde *Tertull.* lib. *De Pallio*, ait: „ „ Tantam igitur paratarum materiarum ingenia quoque veſtificinæ proſecuta, primum tegendo homini, qua neceſſitas præceſſit, dehinc & ornando, imo & inflando, qua ambitio ſuceeſſit, varias indumentorum formas promulgavere „ „. Et *S. Joan. Chryſ. Homil. 1. in Matth.* „ „ Neceſſitate (*inquit*) ſuperata ad delicatiſſima, atque ſuperflua artes pervenerunt, & veræ arti vanam admiſcuerunt curioſitatem, quod ædificatoria quoque ars paſſa eſt. Sed quemadmodum ipſam, quouſque domus, non theatra conſtituit, & in domibus neceſſaria, non ſupervacanea componit, artem appello; textoris artificium, quouſque pannos veſtitui neceſſarios texit; nec araneas ita imitatur, ut multa ridicula inſerat, artem nominare ſoleo. Similiter calceamentorum ſutores, donec neceſſarios faciunt calceos; artificis vocabulo dono; cum vero virorum calceos mulieribus adaptant, & e contra; tunc quia utrumque ſexum enervant, ſuperfluam, imo maleficam artem appellamus „ „.

Artes, & commercia; quæ ſcandali præbent occaſionem, exerceri ſine gravi peccato

Hanc Regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. q. 169. art. 2. in reſponſionibus ad quartam objectionem. „ „ Si qua ars eſt (*inquit*) ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non poſſunt abſque peccato, per conſequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occaſionem peccandi; puta, ſi quis fabricaret idola, vel aliqua, ad

non poſſunt. Homil. 50. in Matth.

cultum idololatriæ pertinentia. Si qua vero ars ſit, cujus operibus poſſunt homines bene, & male uti (ſicut gladii, ſagittæ, & alia hujuſmodi) uſus talium artium non eſt peccatum, & hæ ſolæ artes ſunt dicendæ. Unde Chryſoſt. dicit: *Eas ſolas artes oportet vocare, quæ neceſſariorum, & eorum, quæ continent vitam noſtram, ſunt tributivæ, & conſtructivæ*: Si tamen operibus alicujus artis, ut pluries aliqui male utantur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis a civitate extirpandæ, ſecundum documenta Platonis. Quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris; conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis, niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa „„

Lib. 3. De Republ.

Quid ſentiendum de factoribus, & venditoribus taxillorum, & chartarum.

Eamdem confirmat S. *Antonin.* P. 2. tit. 2. cap. 23. §. 13. „„ Videtur dicendum (*inquit*) de factoribus, vel venditoribus alearum, taxillorum, cartarum; quod quia, ut in pluribus homines utuntur his ad peccatum mortale, propter avaritiam, ideo non videtur tales poſſe excuſari a mortali; unde nec abſolvendi, niſi talia dimittant. *Idque probat* ex Canone falſas, *Canone* Fratres, *& Canone* Negotium, *diſt.* 5. De Pœnitentia. *De larvarum factoribus, & venditoribus idem dixeris.* Sed de factoribus, & venditoribus fucorum (*inquit S. Antonin.*) & aliorum ornamentorum, videtur dicendum, quod vendendo his, de quibus ſcit, vel credit, quod utantur ad provocandum ad laſciviam, eſt mortale, quia cooperantur tali in crimine. 2. Q. 1. cap. *Notum.* Quod tamen non debet de facili credere, niſi appareant ſigna manifeſta, ut in meretricibus. Nemo enim eſt judicandus immemor ſalutis æternæ. *De Conſecr. diſt.* 1. cap. *Jubemus.* Ubi autem hoc ignorat, vel non conſiderat, ſed ſolum de vanitate; cum talibus poſſint mulieres uti cum peccato, & ſine peccato, cum mortali, & cum veniali, ſecundum intentionem earum, & quantitatem exceſſus; & quod intentio earum, ut in pluribus, ſit laſci-

Quid de factoribus, & venditoribus fucorum.

ſcivia, vel mortalis ſuperbia, aut inanis gloria, durum eſt dicere, & temerarium judicare. Quando etiam ſit tantus exceſſus, quod faciat mortale, difficile eſt diſcernere; unde non videtur, quod in hujuſmodi peccent mortaliter. Minus enim eſt iſta facere, vel vendere, quam portare; ſed iſta portare, vel uti, ut fucis, quod videtur præcipue inter ornamenta provocantia ad laſciviam, de ſe non eſt mortale, ſecundum B. Thomam 2. 2. qu. 169. Perſuadendi ſunt igitur tales ad dimittendum opera, & venditionem talium vanitatum, non tamen cogendi per negationem abſolutionis. Dubia enim in meliorem partem ſunt interpretanda: *extr. De Regulis juris. cap. Eſtote* „ „.

Quid de his, qui diſſoluti ornatus formas & modos adinveniunt, & introducunt.

Quod vero ſuperflui, curioſique, & multo minus diſſoluti, & impudici ornatus formas, & modos ad invenire, & introducere non liceat; nec minoris peccati rei ſint horum auctores, & artifices, quam qui utuntur; nec excuſari poſſint lucri ceſſantis ratione; probat a ſimili egregius *Tertulliani* locus lib. *De Idolatria*, cap. 11. „ „ In nullo (*inquit*) neceſſarius eſſe debeo alii, cum facit, quod mihi non licet. Ex hoc, quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi eſſe, ne fiat per me. Nam quod mihi de ſtupro interdictum ſit, aliis ad eam rem nihil aut operæ, aut conſcientiæ exhibeo. Nam quod ipſam carnem meam a lupanaribus ſegregavi, agnoſco me, neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius cauſa exercere poſſe. Sic & homicidii interdictio oſtendit mihi laniſtam quoque ab Eccleſia arceri; ne per ſe non faciet, quod faciendum aliis ſubminiſtrat. Ecce magis proximum præjudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad finem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut ſi jam fidelis agere ſuſceperit, retinendum in Eccleſia putabis? Non opinor. Niſi quis & de thurario diſſimulabit. Scilicet ad alios pervenit procuratio ſanguinis, ad alios odorum. Si antequam idola in ſeculo eſſent, his mercibus adhuc informis idololatria tranſigebatur, ſi & nunc fere ſine idolo opus idololatriæ incendiis odorum perpetra-

tur, ecquid majoris operæ, & erga dæmonia thurarius? nam facilius ſine idolo idololatria, quam ſine thurarii merce... Nulla igitur ars, nulla profeſſio, nulla negotiatio, quæ quid inſtruendis, aut formandis idolis adminiſtrat, carere poterit titulo idololatriæ „„. A ſimili dicere poſſumus. Nulla ars, nulla profeſſio, nulla negotiatio, quæ quid excitandæ, aut fovendæ diſſolutioni, impudicitiæ, aut ambitioni adminiſtrat, carere poterit titulo diſſolutionis, impudicitiæ, aut ambitionis; imo nec idololatriæ quadam veluti labe carere poterunt, qui ſuperflui, vani, ſupra modum curioſi, exquiſiti, pretioſi, vel diſſoluti, & impudici ornatus, mundique muliebris novas formas, novoſque modos adinveniunt, introducunt, operantur; cum mulieribus velut idolis quibuſdam inſtruendis, & ornandis miniſterium, & famulatum præſtent; de quibus dictum eſt: *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.* Pergit Tertullianus: „„ Male nobis de neceſſitatibus humanæ exhibitionis ſupplaudimus, ſi poſt fidem obſignatam dicimus: Non habeo, quo vivam... Habes dicta Domini; & exempla adimentia tibi omnem cauſationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices Dominus egenos appellat. Victum non habebo? Sed nolite (inquit) cogitare de victu. Et veſtitus habemus exemplum; lilia. Subſtantia mihi opus erat? Atqui omnia vendenda ſunt, & egentibus dividenda. Sed filiis, & poſteritati providendum: Nemo aratro manum imponens, & retro ſpectans, aptus eſt operi. Sed conditionalis eram: nemo duobus dominis ſervire poteſt. Si vis Domini diſcipulus eſſe, Crucem tuam tollas, & Dominum ſequaris neceſſe eſt, id eſt, anguſtias, & cruciatus tuos, vel corpus ſolum, quod in modum crucis eſt. Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de profeſſionibus etiam liberorum, & parentum cauſa dubitas? Tam tunc demonſtratum eſt nobis, & pignora, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cum Jacobus, & Joannes

Pſalm. 143.

vo-

vocati a Domino, & patrem, navemque derelinquunt; cum Matthæus de telonio ſuſcitatur; cum etiam ſepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus elegit: Non habeo, dixit, quo vivam; fides famem non timet. Scit etiam famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non reſpicere vitam, quanto magis victum? Quotuſquiſque hæc adimplevit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia „ „.

REGULA XV.

Lethalis ſcandali rei ſunt Hiſtriones, & Mimi, qui verbis, & factis illicitis ad ludum utuntur, aut locis, & temporibus indebitis ludunt. Verba autem illicita cenſeri debent, quæcunque amori profano, cæteriſque pravis animi cupiditatibus excitandis, aut fovendis inſerviunt, non ſolum, quæ aperte obſcœna ſunt, & turpia, vel ſcurrilia.

Hiſtriones & Comœdi a communione arcendi, niſi arti ſuæ renuntiaverint.

Spectatoribus enim, & auditoribus pleriſque occaſionem ruinæ præbent. Hinc Illiberitanum Concilium Can. 62. ſtatuit, *ut* „ „ Si Pantomimi credere voluerint, prius artibus ſuis renuntient, & tunc demum ſuſcipiantur, ita ut ulterius ad eas non revertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia. *Et Can. 67. probibet.* Ne qua fidelis, aut Catechumena aut Comicos, aut viros ſcenicos habeat; quæcunque hoc fecerit, a communione arceatur „ „.

Et Concilium Arelatenſe 1. Can. 5. *De Theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, a Communione ſeparari,* Quod & Arelatenſe 2. Can. 20. iiſdem verbis confirmat.

Item Concilium Africanum anno 424. Canone 30. vel 63. ſecundum Codicem Canonum Eccleſiæ africanæ: „ „ De his etiam petendum (*inquit*) ut ſi quis ex qualibet ludicra arte ad Chriſtianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat a quoquam iterum ad eadem exercenda reduci, vel cogi „ „.

Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ, Canone 129. „ Omnes etiam infamiæ maculis aſperſi, id eſt, Hiſtriones, &c. ad accuſationem non admittantur „.

Concilium Trullanum Canone 51. „„ Omnino prohibet hæc ſancta, & univerſalis Synodus, eos, qui dicuntur Mimi, & eorum ſpectacula, &c. eaſque, quæ fiunt in ſcena, ſaltationes perfici. Si quis autem præſentem Canonem contempſerit, & aliqui eorum, quæ ſunt vetita, dederit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur, ſi vero Laicus, excommunicetur „„.

Eccleſiæ Regulas ſecuti Imperatores *Valentinianus*, *Valens*, & *Gratianus*, lege lata prohibuerunt Comœdos, Mimos, Hiſtriones, etiam in mortis periculo conſtitutos, Eccleſiæ Sacramentis donari, niſi artem ejuraverint, ac theatrum ſe deinceps non conſcenſuros, ſi forte reſtituti fuerint priſtinæ ſanitati, ſponderint. Lib. 15. Cod. Theodoſ. tit. 7. *De Scenicis*. L. *Scenici*, cujus hæc ſunt verba: „„ Scenici, & Scenicæ, qui in ultimo vitæ, neceſſitate cogente interitus imminentis, ad Dei ſummi Sacramenta properarunt, ſi fortaſſis evaſerint, nulla poſthac in theatralis ſpectaculi conventione revocentur. Ante omnia tamen diligenti obſervari, ac teneri ſanctione jubemus, ut vere, & in extremo periculo conſtituti, id pro ſalute poſcentes, ſi tamen antiſtites probant, beneficii conſequantur; quod ut fideliter fiat, ſtatim eorum ad judices, ſi in præſenti ſunt, vel curatores urbium ſingularum, deſiderium perferatur; quod ut inſpectoribus miſſis, ſedula exploratione quæratur, an indulgeri his neceſſitas poſcat extrema ſuffragia „„.

Eamdem Regulam Patres confirmant, imprimis *Tertullianus*, lib. *De Spectaculis* cap. 22. „„ Ipſi auctores, & adminiſtratores ſpectaculorum... Scenicos ex eadem arte, qua magnificiunt, deponunt, imo manifeſte damnant ignominia, & capitis minutiones, arcentes Curia, Roſtris, Senatu, equite, cæteriſque honoribus omnibus, ſimul & ornamentis quibuſdam. Quanta perverſitas! Amant, quos mulctant, depretiant,

tiant, quos probant, artem magnificant, artificem notant Quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Imo quanta confeſſio eſt malæ rei, cujus auctores, cum acceptiſſimi ſunt, ſine nota non ſunt? *Et cap.* 23. Cum igitur humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis, damnandos eos cenſeat, ademptis bonis dignitatum, in quemdam ſcopulum famoſitatis, quanto magis divina juſtitia in ejuſmodi artificis animadvertit „„?

S. Cyprianus Epiſt. 61. ad *Euchratium* data: „„ Pro dilectione tua (*inquit*) & verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, Frater chariſſime, quid mihi videatur de Hiſtrione quodam. qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & magiſter, & doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare nobiſcum, Puto, nec Majeſtati divinæ, nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judicentur; quanto majoris eſt criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, ſed & geſtus quoque turpes, & molles, & muliebres magiſterio impudicæ artis exprimere? Nec excuſet ſe quiſquam, ſi a theatro ipſe ceſſaverit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non poteſt enim videri ceſſaſſe, qui vicarios ſubſtituit, & qui pro ſe uno plures ſuccedaneos ſuggerit contra inſtitutionem Dei erudiens, & docens, quemadmodum maſculus frangatur in feminam, & ſexus arte mutetur, & diabolo divinum plaſma maculanti per corrupti, atque enervati corporis delicta placeatur. Quod ſi penuriam talis, & neceſſitatem paupertatis obtendit; poteſt inter cæteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari, ſi tamen contentus ſit frugalioribus, ſed innocentibus cibis. Nec putet ſalario ſe eſſe redimendum, ut a peccatis ceſſet. quando hoc non nobis,

ſed ſibi præſtet. Cæterum quantum velit inde quærat, qualis quæſtus eſt, qui de convivio Abraham, Iſaac, & Jacob homines rapit, & male, ac perniciose in ſeculo ſaginato, ad æternæ famis, ac ſitis ſupplicia deducit? Et ideo, quantum potes, eum ab hac pravitate, & dedecore ad viam innocentiæ, atque ad ſpem vitæ ſuæ revoca; ut ſit contentus Eccleliæ ſumptibus, parcioribus quidem, ſed ſalutaribus. Quod ſi illic Eccleſia non ſufficit, ut laborantibus præſtet alimenta, poterit ſe ad nos transferre, & hic, quod ſibi ad victum, atque ad veſtitutum neceſſarium fuerit accipere; nec alios extra Eccleſiam mortalia docere, ſed ipſe ſalutaria in Eccleſia diſcere „ „.

Lactantius, lib. 4. *Divinarum Inſtitutionum*, cap. 20. „ „ Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus, quid aliud niſi libidines docent, & inſtigant? Quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum, habitumque mollita, impudicas feminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus diſciplinam? Qui docent adulteria, dum fingunt; & ſimulatis erudiunt ad vera „ „.

S. Auguſtinus, Concione in Pſal. 102. „ „ Cum dico: Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi; hæc duo nomina non ſuperflua ſunt. Aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus eſt Dei; quod peccator, opus hominis eſt. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo (*inquit*) me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc facit (*inquis*) Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publice.., Qui donat Hiſtrionibus... Quare donat?... Nunquid non & ipſi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani „ „.

S. Iſidorus Peluſiota, Epiſt 336. lib. 3. „ „ Scenicis (*inquit*) ſummum hoc ſtudium eſt, non ut per ipſorum cavillos multi meliores reddantur. *.* Verum ut multi peccent. Etenim in ſpectatorum improbitate feli-

felicitatem ſuam conſtitutam habent. Ita fit, ut ſi illi meliores efficiantur, ſua his ars peritura ſit. Quamobrem, nec unquam eos, qui delinquunt, corrigere in animum induxerint; nec ſi velint, id poſſint. Mimica enim eorum ars natura tantummodo ad nocendum comparata eſt „„.

Quamobrem exiſtimo *S. Thomam*, qui Patrum, & Conciliorum doctrinam, caſtamque, ac ſeveram Moralis chriſtianæ diſciplinam ubique ſectatur, hiſtrionum nomine Comicos, & ſcenicos homines, ſive Mimos proprie dictos non intellexiſſe, ſed latiori quadam ſignificatione uſurpaſſe hiſtrionum nomen ad deſignandum homines, qui honeſtis facetiis, & corporis agilitate, dexteritate, induſtria quædam efficiunt præſtigiis ſimilia, & quæ admirationem ſimul, ac delectationem pariunt; de hoc (inquam) ludorum genere loqui videtur 2. 2. qu. 169. art. 2. ad tertium, cum ait: „„ Officium hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, neç ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id eſt, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines; tamen per comparationem ad ſe ipſos, & ad Deum alias habent ſerioſas, & virtuoſas operationes, puta, cum orant, & ſuas paſſiones, & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus eleemoſynas largiuntur. Unde illi, qui moderate eis ſubveniunt, non peccant, ſed juſte faciunt mercedem miniſterii eorum eis tribuendo. Si qui autem ſuperflue ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos Hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccatis fovent „„. Unde *S. Auguſt.* Tractatu 10. in *Joannem* ait: *Donare res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus.* Et quomodo *S. Thomas* primi generis hiſtriones, qui ſcilicet in Theatris, & Comediis perſonas agunt, aut ludicris, ſcurrilibuſque actionibus, & verbis, ſpectatorum,

rum, & auditorum riſum provocant, approbaſſet, cum ea duntaxat ſpectacula approbet: „ „ Quæ ſunt de rebus utilibus, & ad vitam neceſſariis, ſicut ſunt venationes, & cætera hujuſmodi, quæ animum *honeſte* diſtrahunt, *& quibus* ſine peccato *poteſt* intendi, ſervata diſcretione debita quantum ad conditiones perſonæ, & aliarum circumſtantiarum „ „; ut loquitur in 4. *Sententiarum*, diſt. 16, qu. 4. art. 2. quæſtiuncula 2. Et ludos tantum *liberales* probet, qui *materia virtutis* eſſe poſſunt; quod de Minorum ſcurrilibus actionibus, ac verbis nemo cordatus ſenſerit, ac dixerit. Et 2. 2. qu. 167. art. 2. ad ſecundum ait; „„ Quod inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel laſciviæ, vel crudelitatis, quæ ibi repræſentantur „„. Et qu. 168. art. 2. tres conditiones poſtulat ad ludi honeſtatem, quæ Comœdiis & Ludis hiſtrionicis non conveniunt. „„ Prima, & principalis eſt, ut delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis. *Unde Tullius dicit in* 1. *De Officiis*, quod unum genus jocandi eſt illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. *Altera conditio eſt*, ne totaliter gravitas animæ reſolvatur. *Tertia*, ut congruat perſonæ, & tempori, & loco, & ſecundum alias circumſtantias debite ordinetur, ut ſcilicet ſit tempore, & homine dignus „„.

REGULA XVI.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui ad ludos aleatorios ædes ſuas locant, vel commodant, aut publicas, vel privatas hujuſmodi ludorum academias aperiunt.

Ludorum aleatoriorum academiæ.

Spiritualis enim ruinæ occaſionem præbent omnibus, qui eo confluunt ad colludendum, eorumque peccatis cooperantur. Peccant præterea in leges eccleſiaſticas, & civiles, quæ hujuſmodi academias prohibent, gravibus pœnis ſtatutis. Cum illis, qui alea ludunt, vel domos ad ludos taxillorum, & teſſerarum, aut chartarum aperiunt, velut cum publicis

cis peccatoribus agi ex Eccleſiæ diſciplina, ſtatuit Concilium Mediolanenſe 4. anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, iiſque, qui domos ſuas locant, vel commodant ad hujuſmodi ludos, Abſolutionem ſacramentalem impertire vetat, velut hominibus in proxima peccati mortalis occaſione conſtitutis. Diœceſana Synodus montis caſſini illos excommunicatione plectit. His Abſolutionem ſacramentalem negari jubent ſtatuta ſynodalia Diœceſis Biſuntinæ, & Diœceſis Aquenſis. Sed & leges civiles aleatum academias prohibent, ludoſque illos Laicis æque ac Clericis vetant. Lib. 1. *Cod.* tit. 4. *De epiſcopali Audientia*, L. *Certiſſime*, & lib. 10. D. tit. 5. *De Aleatoribus*, L. *Prætor*. Et *S. Ludovicus* Rex Francorum Conſtitutione edita anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto; *Scholas deciorum prohibemus* (inquit) *& tenentes eas diſtrictius puniantur*. Quam legem tranſcripſit Concilium Biterrenſe anno ſequenti celebratum, Canone 24. Idem ſub gravi mulcta prohibitum eſt Bleſenſi Conſtitutione *Caroli IX.* Regis chriſtianiſſimi, artic. 101. Edicto *Henrici III.* dato menſe martio, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; Declaratione *Ludovici XIII.* qua præter mulctam arbitrariam, aliaſque pœnas in eos, qui ædes ad ludos aleæ, taxillorum ſcilicet, & chartarum locaverint, aperuerint, commodaverint, ſive aleatores in iis ſuſceperint, conſtitutas; vult dictarum ædium dominos, proprietatarios, ſeu locatores propriis, privatiſque nominibus pecuniarum, ac rerum omnium illis ludis ibi amiſſarum ab illis repetundarum lege teneri, & ad reſtitutionem obligari. Quocirca judicibus ordinariis toto regno præcipit, ut in ædes, & loca, ubi hujuſmodi ludorum academias, & aleatorum conventus haberi moniti fuerint, deſcendentes, captis hominibus, pecuniiſque, gemmis, aliiſve rebus ludo expoſitis, quas Xenodochiis diſtribui jubet, ex legum, & regiarum Conſtitutionum ſeveritate tam contra aleatores ipſos, quam contra dominos, proprietarios, ſive

loca-

locatores dictarum ædium, vel locorum agant, & decernant. Edita eſt hæc declaratio die trigeſima Maji anno undecimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, & in Senatu Pariſienſi promulgata die 23. Junii ejuſdem anni. Rex idem juſtus art. 137. Conſtitutiones editæ die 15. Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi noni omnibus ſuæ ditionis ſubditis prohibet, ne ſuas in ædes conventus ad ludum, quæ vulgo academiæ nominantur, recipiant, vel domos eum in finem locent, aut commodent. Qui id fecerint, infames, inteſtabiles, officiorum regiorum in perpetuum incapaces declarantur; exilio perpetuo a civitatibus, in quibus hanc legem violaverint, damnantur. Dictas domos, in quibus alea per ſex menſes luſum fuerit, fiſco addici; illos omnes, qui ad hujuſmodi ludorum academias ter adierint, infames, & inteſtabiles pariter fore, & ab omnibus officiis, & magiſtratibus repelli debere ſtatuit, ac decernit.

Hæc Regum chriſtianiſſimorum edicta chriſtianæ morum diſciplinæ omnino conſona ſunt, quæ aleatores lethalis peccati reos eſſe docet, ut probavimus lib. 2. Tractatu *De Sacramento Ordinis*, art. 16. *De Vita & honeſtate Clericorum*, Regula 3. prolatis Patrum, & Conciliorum teſtimoniis, quæ hic repetere minime neceſſe eſt.

Hanc Regulam confirmat *S. Bernardinus Senenſis* Sermone 33. in Dominicam 5. Quadrageſimæ, P. 1. „ „ Dans domum, ut intus ludatur (*inquit*) fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt. Dans tabulam, & præſtans taxillos, toties peccat mortaliter, quoties præſtat. Nullus Confeſſor poterit eum abſolvere, donec removerit domum a tali peſſimo uſu ludendi. Impoſſibile eſt illum ſalvari, niſi relinquat illas ſuas artes maledictas „ „.

Denique *S. Carolus*, in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*, jubet ut Conciator e ſacro ſuggeſtu: „ „ Omnem aleam, omnemque ejus generis ludum, unde jurgiis, furto, maledictis, ac aliis malis, maleficiiſque quaſi fores aperiuntur, *graviter objurget* at-

atque exagitet; atque eorum peccatum inſectetur, qui ædes ſuas quaſi ludum aleatorium exponunt „„.

REGULA XVII.

Lethalis ſcandali rei ſunt, qui publicis concubinariis, meretricibus, leonibus, aut lenis ædes locant.

Præbent enim occaſionem ruinæ proximo, & omnibus proſtitutionibus, fornicationibus, adulteriis, lenociniis, turpibuſque commerciis, & operibus, quæ ibi fiunt, cooperantur. Id confirmat Novella *Juſtiniani* Imperatoris 14. tit. 1. *De lenonibus*, Collat. 3. „„ Si quis autem (*inquit*) patiatur in ſua domo quemdam lenonem, & hæc denuntiata cognoſcens, non etiam domo ſua expulerit, ſciat ſe, & decem librarum auri ſuſtinere pœnam, & circa ipſam periclitaturum habitationem „„. Nec eos excuſat tempotale damnum inde emergens, quod domus tardius, aut vilìori pretio locetur, niſi hujuſmodi peſtibus locetur. Nam ſi nullus affectus propinquorum, filiorum, parentum, amori Dei, ſtudioque ſalutis æternæ præponendus eſt, multo minus lucrum temporale. Unde *S. Hieron.* in cap. 17. *S. Matthæi* ait: „„ Melius eſt, ut emolumentis carnalibus careas; ne dum vis lucrifacere cognatos, & neceſſarios, cauſam habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere poteſt a regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unuſquiſque credentium, quid ſibi noceat, vel in quo ſolicitetur animus, ac ſæpe tentetur. Melius eſt vitam ſolitariam ducere, quam ob vitæ præſentis neceſſaria æternam vitam perdere „„.

REGULA XVIII.

Bona ſpiritualia ad ſalutem neceſſaria nunquam omittenda ſunt ad vitandum aliorum ſcandalum, ſive ne alius in peccatum ruat.

Manifeſtum eſt enim (inquit *S. Thomas*, 2. 2. qu. 43. art. 7.) *quod* „„ Nullus debet mortalitep-

pec-

peccare, ut alterius peccatum impediat, quia ſecundum ordinem charitatis plus debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quam alterius. Et ideo, ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum „„. Unde nec veniale peccatum committere unquam licet, nè alius mortaliter peccet, quia *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona* (quemadmodum docet Apoſtolus ad *Romanos* 3.) Idque *S. Thom.* confirmat in reſponſione ad quartum.

REGULA XIX.

Falſitatem docere, aut veritatem doctrinæ diſſimulare, vel tacere, cum ad ſalutem, aut Chriſtianam perfectionem neceſſaria eſt; vel eam docere ſeu prædicare alicui incumbit ex officio, nunquam licet ad vitandam aliorum offenſionem, ſeu ruinam.

Ita docet *S. Gregorius*, Homil. 7. in Ezechielem: „„ Ecce (*inquit*) magiſtra veritas; ne in quorumdam cordibus gigneretur ſcandalum, quod non debuit, tributum dedit. Et rurſum quia generari ſcandalum, in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in ſuo eos ſcandalo remanere permiſit. Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius naſci permittitur ſcandalum, quam quod veritas relinquatur „„.

Idem confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 43. art. 7. in reſponſione ad ſecundum: „„ Circa doctrinam (*inquit*) duo ſunt conſideranda, ſcilicet veritas, quæ docetur, & ipſe actus docendi. Quorum primum eſt de neceſſitate ſalutis, ut ſcilicet contrarium veritati non doceat, ſed veritatem ſecundum congruentiam temporis, & perſonarum proponat ille, cui incumbit docendi officium. Et ideo propter nullum ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere. Sed ipſe actus docendi inter

Qua vigilantia Con.

ſpi-

ſpirituales eleemoſynas computatur; & ideo eadem ratio eſt doctrina, & de aliis miſericordiæ operibus. *De quibus Doctor idem angelicus in reſponſione ad quartum ait*: In veritate vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ non ſolum comprehenditur id, quod eſt de neceſſitate ſalutis, ſed etiam id, per quod perfectius pervenitur ad ſalutem, ſecundum illud 1. Corinth. 12. *Æmulamini charismata meliora.* Unde etiam conſilia non ſunt ſimpliciter prætermittenda, nec etiam miſericordiæ opera propter ſcandalum; ſed ſunt interdum occultanda, vel differenda propter ſcandalum puſillorum. Quandoque tamen conſiliorum obſervatio, & impletio operum miſericordiæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Quod patet in his, qui voverunt conſilia; & in his, quibus ex debito imminet defectibus aliorum ſubvenire; vel in temporalibus, puta, paſcendo eſurientem; vel in ſpiritualibus, puta, docendo ignorantem; ſive hujuſmodi fiant debita propter injunctum officium, ut patet in Prælatis, ſive propter neceſſitatem indigentis. Et tunc eadem ratio eſt de hujuſmodi ſicut de aliis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis „ „. Id eſt, non ſunt propter ſcandalum dimittenda.

cionatores & Doctores cavere debeant, ne ſcandalum ex eorum doctrina, aut Concionibus oriatur.

Secundum hanc Regulam Concionatores, & Doctores abſtinere debent ab iis quæſtionibus tractandis coram populo, aut in ſcholis, quas *ſtultas, & ſine diſciplina* vocat Apoſtolus, quæ *generant lites*, & quæ ad nihil ſunt utiles *niſi ad ſubverſionem audientium*, vel quæ, cum nihil conferant ad agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, & *Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, offenſionem puſillis movere poſſunt, ſive ratione ipſius doctrinæ, quam ferre non valent, ſive ratione modi, quo proponitur, aut docetur, ſive ratione temporis, & loci, aliarumque circumſtantiarum. Sed tamen ſubterfugere non debent, quo minus annuntient, quidquid ad ſalutem, ad fidem, ſpem, charitatem, cæteraſque virtutes inſerendas; ad deſtruendam cupiditatem, vitiaque omnia evellenda; ad

2. ad Tim. 2. & 3.

ædificandum corpus Chriſti, ad reformandam, & perficiendam imaginem Dei, ad formandum novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis, pertinet. Unde Apoſtolus majoribus natu Epheſinæ Eccleſiæ ajebat, ut *Actuum* 20. refertur: *Vos ſcitis, a prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam... Quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, teſtificans Judæis, atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum... Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Si enim a vitiorum, pravarumque conſuetudinum reprehenſione ſuperſedent, ne diſpliceant auditoribus; Iſa. 56. 10. ipſis convenit Propheticum illud: *Canes muti non valentes latrare.*

Concionatorum in vitiis reprehendendis zelus, & prudentia.

Publicorum itaque peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuo reprehendat, atque in ſummum odium adducere contendat, ſpectacula, choreas, ſaltationes, ſcenicas, perſonataſque actiones, omnem in muliebri veſtitu luxum, deformem illam capitis ornandi ſpeciem, muliebres lucos, ac pigmenta, cæteraque ad mollitiem, atque adeo ad libidinis incitamentum fœde excogitata; effuſam etiam virorum impenſam, & omnem intemperantiam; ſervorum, quorum opera nulla eſt, neque domi, neque foris, multitudinem inutilem, ac deſidem; epulas illas ſumptuoſas, & commeſſationes immoderatas, omnis intemperantiæ, libidinis, aliorumque vitiorum illecebras; ludos aleatorios, omneque peccatorum genus, quæ frequentiora ſunt, graviter, & quam maximo poterit zelo e ſuggeſtu inſectetur, prout præſcribit *S. Carolus Borromæus*, in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*; nec timeat, ne auditores inde offendantur, quia ſi qui ex tam ſalutiferis adhortationibus, & reprehenſionibus vitiorum offenderentur, ſcandalum eſſet phariſæorum, non pu-

puſillorum. Verumtamen caveant, quod Mediolanenſi Concilio 1. prohibitum, & in eaſdem *S. Caroli* inſtructiones tranſcriptum eſt: „„ Ne quemquam nominatim, aut tacite illum deſignantes, inſectentur; ne in ordinem ullum, ſtatum, aut vitæ genus ab Eccleſia receptum invehantur. Ne Epiſcopos, alioſve Prælatos, neve civiles Magiſtratus, cum auditorum offenſione aſperius objurgent, ſed pie potius admoneant, populumque doceant præpoſitis ſuis etiam diſcolis obedire. .. Ne, cum reprehenderit Concionator, non hominum, ſed peccatorum odio, imo pietatis, & charitatis ſtudio ductus faciat. Ne vitiis exagitandis quaſi furenter iratus, excandeſcat nimis. Ne injurioſa verba proferat, neve ignominioſa. Ne obtrectationibus, quæ aliquando fiunt, & querimoniis de ſuggeſtu reſpondeat .. Ne aures facile præbeat Laicis Clericorum vitæ detrahentibus, aut civitatis Rectorum, Præſidumve culpam aliquam calumniantibus; ſed omnia ante diligenter, diuque perpendat, quam ad reprehenſionem deſcendat „„. S. Carolus in Inſtructionibus.

REGULA XX.

Omne, quod fieri poteſt, vel non fieri, ſalva triplici veritate, doctrinæ ſcilicet, vitæ, & juſtitiæ, dimitti debet ob vitandum ſcandalum puſillorum.

Regula eſt a Theologis recepta, & ſub nomine *S. Hieronymi* laudari ſolita, cum tamen illius non ſit. Habetur autem in Gloſſa *Nicolai de Lyra*, abſque *S. Hieronymi* nomine. Sed triplex illa veritas nunquam dimittenda eſt propter ſcandalum paſſivum, ſive ne alius peccet. Rationem affert *S. Thom.* in 4. *Sententiarum* diſt. 38. q. 2. art. 4. „„ Cum homo (*inquit*) ex ordine charitatis ſe plus, quam proximum in ſpiritualibus bonis diligere teneatur, nullo modo aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet. Quicunque autem veritatem relinquit, peccat. Veritas autem, de qua loquimur, conſiſtit in hoc, quod homo in dictis, & factis ſuis rectitudini divinæ,

ſeu divinæ legis regulæ ſe conformet. Cui quidem homo conformari debet, & in his, quæ ad cognitionem pertinent, & hoc pertinet ad veritatem doctrinæ; & in his, quæ ad actionem ſpectant; ſive ea debeat aliquis per ſeipſum agere, quod pertinet ad veritatem vitæ; ſive ea debeat aliis obſervanda promulgare, quod pertinet ad veritatem juſtitiæ, quæ conſiſtit in rectitudine judicii. Non tamen quicunque prætermittit aliquid, in quo ſe divinæ legi conformare poteſt, dicitur veritatem dimittere, quia illo remoto veritas adhuc remanere poteſt; ſed tunc dicitur aliquis veritatem dimittere, quando dimittit, vel facit aliquid, quo omiſſo, & facto veritas non manet; quod ſine peccato eſſe non poteſt. Et ideo nullo modo veritas propter ſcandalum paſſivum alterius dimittenda eſt „ „.

Cæterum „ „ Veritas doctrinæ non prætermittitur, quando aliqua res vera tacetur, ſed quando veritati illius rei præjudicium generatur, ſive ex contraria doctrina, ſive ex taciturnitate aliquorum; & ſic propter nullum ſcandalum eſt veritas doctrinæ relinquenda „ „ (ut rurſus obſervat *S. Thomas*, ibidem art. 3. in reſponſione ad ſecundum.) Alioquin eo reatu Doctor, vel Concionator ſe obſtringit, quem reprehendit Apoſtolus ad *Romanos* cap. 1. dicens: *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Sed cum veritas non eſt ad ſalutem, aut ad perfectionem ſalutis neceſſaria; aut nullum ipſi præjudicium creatur ex ſilentio, imo ipſius veritatis charitas, & charitatis veritas poſtulant, ut tunc taceatur, & opportuno tempore dicenda, vel prædicanda differatur, ſilentio interim premi poteſt. Unde Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis ait, Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Et *S. Gregorius Nazianzenus* Epiſt. 24. quæ ad *S. Baſilium* vigeſima eſt, ipſius œconomiam excuſat, quod Spiritus ſancti Divinitatem aliis dictionibus ſatis ſignificans, ipſum expreſſe Deum aliquando non appellaverit, ut tem-

pe-

peſtates, & fragores vitaret adverſus ipſam veritatem concitandas. „ „ Præſtat itaque (*inquit*) œconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuiſſe, nobis videlicet tempori, quaſi nebulæ cuidam, nonnihil cedentibus, quam ut ea ob prædicationis perſpicuitatem opprimeretur. Nos enim ex ea re nihil damni facimus; ſi ex aliis quoque dictionibus, quibus id certo colligatur, Spiritum ſanctum Deum agnoſcamus. Neque enim in verborum ſono potius, quam in mente, & ſententia veritas ſita eſt. Eccleſia autem grave vulnus acceptura eſt, ſi ob unius hominis ejectionem veritas profligetur „ „.

REGULA XXI.

Bona ſpiritualia, quæ ad ſalutem non ſunt omnino neceſſaria, ob ſcandalum puſillorum vitandum, quandoque differenda, vel occultanda ſunt, non abſolute, & in perpetuum dimittenda.

Hanc Moralis chriſtianæ Regulam dilucide *S. Thomas* explicat in 4. *Sententiarum*, diſt. 38. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. „ „ Omnia (*inquit*) opera perfectionis, quæ non ſunt in præcepto, conſilia dicuntur; unde prætermitti poſſunt ſalva triplici veritate. Sed aliquando cadunt ſub præcepto, vel ex voto, vel ex aliqua alia circumſtantia; & tunc prætermitti non poſſunt ſine præjudicio veritatis vitæ. *Scandalum porro paſſivum duplici ex cauſa oriri poſſe obſervat*; quia quandoque oritur ex malitia odientium veritatem, qui turbantur, & alios turbant propter opera lucis, quaſi filii tenebrarum; & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, ut S. Bern. dicit (*Tractatu de Præcepto, & diſpenſatione, c. 9.*) Et propter hoc ſcandalum paſſivum nullo modo conſilia ſunt dimittenda; quia ſic daretur locus iniquis impediendi opera perfectionis, cum vellent. Unde Dominus dixit de Phariſæis, qui ex malitia ſcandalizabantur ex factis, & dictis ejus: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Quandoque autem oritur ex ignorantia, vel infirmitate; & hoc Matth. cap. 15. 19.

dicitur ſecundum B. Bernardum ſcandalum puſillorum, qui non cognoſcunt veritatem; & propter hoc de operibus veritatis turbantur. Et hoc ſcandalum cavit Dominus, *Matth.* 17. ubi dicit Petro: *Ut autem non ſcandalizemus eos, &c.* & cavere docuit; *Matth.* 18. Unde propter tale ſcandalum paſſivum conſilia ſunt ad tempus intermittenda, vel occulte agenda, non autem omnino dimittenda; quia homo plus ſibi, quam proximo in ſpiritualibus providere debet; & ignorantia, ſi diu duret, in malitiam per obſtinationem commutatur „„

Et 2. 2. *q.* 43. *art.* 7. „„ In ſpiritualibus bonis (*inquit*) quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguendum; quia ſcandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum ſcilicet aliqui volunt impedire hujuſmodi bona, ſcandala concitando. Et hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, quod eſſe contemnendum Dominus docet. Quandoque vero ſcandalum procedit ex ignorantia, vel infirmitate; & hujuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque reddita ratione, hujuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem hujuſmodi ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia opera dimittenda „„

Secundum hanc Regulam, filii, qui ſpiritualem ruinam parentibus imminere vident, ſi ſtatum eccleſiaſticum amplectantur, aut monaſterium ingrediantur; nempe ſi inde gravis oriatur in familia perturbatio, ſi juramenta, imprecationes, maledicta, differre debent ad tempus pii propoſiti executionem, donec parentum conſenſum rationibus, precibus, conſtantia, piorum hominum conſilio, amicorum interceſſione, & maxime ferventiſſimis ad Deum fuſis orationibus, qui habet inclinandorum quocunque voluerit humanorum cordium omnipotentiſſimam poteſtatem, obtinuerint. Quod ſi animos ipſorum ſe-

dare,

dare, & offenſionem removere non poſſint, Phariſæorum ſcandalum erit; tunc itaque filii magis obediant Deo ipſos vocanti, quam hominibus a via perfectionis, & a meliori bono ipſos revocantibus. Id confirmat *S. Thomas*, in 4. *Sententiarum*, diſtinctione, quæſtione, & articulo mox indicatis, in reſponſione ad ſecundam objectionem. „ In eo (*inquit*) qui religionem vult intrare, diſtinguendum eſt. Quia, aut ſibi timet de periculo ſalutis imminente, ſi in ſeculo remaneat; & tunc debet omnibus modis obviare periculo vitæ ſcandalo non obſtante; ſi autem non immineat, & voto non obligatur, debet pro vitando juſto ſcandalo parentum, quibus ſubvenire tenetur, ad tempus ſuſpendere propoſitum perfectionis; ut præceptum impleat pro ſuo tempore de honorandis parentibus & poſtmodum conſilium tempore magis idoneo. Si autem ſcandalum propinquorum, vel aliorum ſit irrationabile, jam accedit ad ſcandalum Phariſæorum; unde tunc propter ſcandalum non debet prætermittere bonum propoſitum „. Quo pertinet illud *S. Hieronymi* Epiſt. 1. ad *Heliodorum*: „ Licet parvulus in collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera ſua oſtendat mater, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem; ſiccis oculis ad vexillum crucis evola; ſolum genus pietatis eſt in hac re eſſe crudelem „.

Secundum eamdem Regulam, mulieres conjugatæ dimittere debent bona ſpiritualia, quæ ad ſalutem minime neceſſaria ſunt, & quæ ad officia chriſtianæ vitæ, ſecundum legis divinæ, vel eccleſiaſticæ præſcriptum non pertinent, ſi mariti inde peccandi occaſionem ſumant, maledicendi ſcilicet, jurandi, potpinas frequentandi, adulterium committendi; præſertim vero ſi ex diuturniori illarum in templis manſione, prolixioribuſque precibus, aut frequentiori, & intempeſtiva diebus etiam profeſtis communione res domeſtica, & familiæ cura negligatur. Tunc enim non ſolum paſſivum ex parte maritorum, ſed etiam activum, & datum ex parte mulierum ipſarum ſcan-

dalum eſt, quicum nullum ſpirituale bonum Deo gratum eſt; ſiquidem ſcandalum activum ſemper eſt peccatum.

Denique in vitando puſillorum ſcandalo ita ſe gerere debet chriſtianus homo, cum aliquid agere vult, vel omittere, cujus executio, vel omiſſio non eſt omnino neceſſaria ad ſalutem, ſed tamen opus illud, vel omiſſio operis ſpirituale bonum eſt; ut ſi reddita facti ſui ratione perturbatio infirmorum, & puſillorum non ſedetur, nec ſcandalum removeatur, quia vel rationem non capiunt propter hebetudinem mentis, vel ob alias rationes, quibus mens eorum pulſatur magis, & afficitur, ob præjudicia, ob conſuetudinem; tunc (*inquam*) vir chriſtianus abſtineat ab hujuſmodi operibus, vel ne omittat id, cujus omiſſio puſillos, & infirmos offendit, donec plenius informentur. Verumtamen. „„ Attendenda eſt quantitas ſcandali, & boni, quod contingit ex conſilio ſervato; & ſecundum hoc aliquando conſilia ſunt prætermittenda propter ſcandalum puſillorum, vel ſcandalum contemnendum propter conſilia „„ (*ut docet S. Thom.* in 4. *Sententiarum*, diſt. 38. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 2.)

REGULA XXII.

Bona temporalia, quorum adminiſtratio, vel cuſtodia fidei ſuæ commiſſa eſt, nemini dimittere licet ob vitandum ſcandalum.

Ita docet *S. Thom.* in 4. *Sententiarum*, diſt. 38. qu. 2. art. 4. „„ Aliquando (*inquit*) ſequitur ſcandalum paſſivum ex hoc, quod aliquis rem temporalem non donat; & in hoc diſtinguendum eſt; quia quandoque non poteſt dare ſine peccato; vel quia ſcit illum, cui dat, uſurum ne data in malos uſus; vel quia non eſt dare rem temporalem uni ſine præjudicio alterius; ſicut ſi illi, qui gerunt alicujus communitatis curam, dent aliqua, ex quorum ſubtractione fiat pejor conditio illius communitatis. Et

tunc

tunc non debet dare temporalem rem propter ſcandalum vitandum; quia hoc eſſet facere contra veritatem juſtitiæ, aut vitæ „„.

Et 2. 2. q. 43. art. 8. „„ Temporalia bona (*inquit*) aut ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſervandum pro aliis commiſſa; ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis & bona communia quibuſcunque reipublicæ rectoribus. Et talium conſervatio, ſicut & depoſitorum, imminet his, quibus ſunt commiſſa, ex neceſſitate. Et ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda; ſicut nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis „„. Unde *S. Thomas* Cantuarienſis Archiepiſcopus, eccleſiaſticæ libertatis vindex, & Martyr, Eccleſiæ bona juraque repetiit, poſthabito *Henrici* Angliæ Regis, Procerumque ſcandalo.

REGULA XXIII.

Bona temporalia, quorum domini ſumus, quandoque ob vitandum ſcandalum puſillorum negligenda ſunt; vel certe ſcandalum alia ratione ſedandum eſt.

Hanc Moralis chriſtianæ Regulam tradit *S. Thom.* 2. 2. qu. & articulo ſupra indicatis. „„ Temporalia bona (*inquit*) quorum nos ſumus domini, dimittere, ea tribuendo, ſi penes nos ea habeamus; vel non repetendo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod ſupra diximus eſſe ſcandalum puſillorum; tunc vel totaliter dimittenda ſunt temporalia, vel aliter ſcandalum eſt ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem „„. *Unde S. Auguſt.* lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 20. hæc verba Chriſti, *Omni petenti da*, explicans, ait; „„ *Omni petenti*, non omnia petenti; ut id des, quod dare honeſte, & juſte potes. Quid ſi enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere?... Sed, ne multa perſequar, quæ ſunt innumerabilia, id profecto dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat,

quantum ſciri, aut credi ab homine poteſt; & cui juſte negaveris, quod petit, indicanda eſt ipſa juſtitia, ut non eum inanem dimittas; ita omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id, quod petit, dabis, & aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injuſta correxeris „ „.

Hinc idem *S. Thom.* loco ſupra citato ex 4. *Sententiarum*, *ait*: „ „ Quandoque ſcandalum paſſivum procedit ex ignorantia; & tunc poteſt dare quaſi ex conſilio, ſed non tenetur quaſi ex præcepto; quia poteſt petentem repellere inſtruendo eum. Et hoc quandoque magis prodeſſet (quando ſcilicet eſſet talis ignorantia, quæ vergeret in præjudicium veritatis doctrinæ) quam ſi daretur res temporalis; quia per hoc ille in ſuo errore foveretur; ſicut patet de hæreticis illis, qui dicunt: Quod quilibet debet bona ſua pauperibus dare petentibus, etiam extra caſum neceſſitatis extremæ „ „.

Cum vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum (inquit *S. Thom.* 2. 2. qu. & art. mox laudatis) „ „ propter eos, qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda, quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occaſio; & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent „ „.

CAPUT III.

De ſexto Decalogi præcepto.

Injuria in proximum atrociſſima homicidium eſt; proxima adulterium; ut enim viro nihil charius, nihil conjunctius uxore legitima, ita nulla gravior contumelia eſt, quam uxoris per adulterium conſtupratio. Convenienti itaque ordine ſextum præceptum: od. 20. *Non Mœchaberis*, quod conjugia munit, præceptum illud ſequitur, quod corpora, & vitam proximorum tuetur, ac defendit.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Præcepti ſenſus explicatur.

Præcepti hujus duplex vis eſt; altera, qua diſertis verbis adulterium vetatur; altera, quæ ad animi, corporiſque caſtitatem colendam nos obſtringit; hoc autem mandatum Chriſti *Matth.* 5. eodem modo interpretatur, ac ſuperius. Docet nimirum eo ſummoveri non externum tantum adulterium, ſed & omnem penitus adulterii cauſam, ac radicem, adeoque omnes affectus, qui huc tendunt. *Audiſtis* (inquit) *quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Omne luxuriæ genus ſexto Decalogi præcepto prohibitum.

Mœchiæ porro nomen erit, etſi Græci ad ſignificandum adulterium frequentius uſurpent; tamen ſicut furti nomine intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, in ſeptimo præcepto: *Non furtum facies* (Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi aufertur) ita in hoc præcepto. „ Nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque „ illorum membrorum non legitimus uſus prohibi„ tus debet intelligi „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 2. Quæſtionum in *Exodum*, q. 71.) Corruptio igitur omnis, luxuriæ genus omne, ſeu adulterium, ſeu fornicatio, ſeu ſtuprum, ſeu inceſtus, ſeu ſacrilegium, ſeu demum peccata contra naturam, hoc præcepto Decalogi prohibentur; de quibus luxuriæ generibus ſatis actum eſt, cum de peccatis tractaremus, nec repetere hic juvat.

Adulterii crimen gravius fornicatione ſimplici.

Quamvis autem fornicatio lethale ſit peccatum, quo membra Chriſti turpiter inhonorantur; quo gravis Spiritui ſancto irrogatur injuria, cujus templum violatur, quo homines a regno Dei pelluntur, & exterminantur, ut docet Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. & ad Epheſ. 5. in adulterii tamen ſcelere major ineſt iniquitas, quam in fornicatione ſimplici, quia injuſtitiæ peccatum non ſolum in proximum, ſed etiam in civi-

ARTICULUS II.

Regulæ morales circa ſextum Decalogi præceptum.

REGULA PRIMA.

Copula cum aliena conjuge, etiam conſentiente marito, adulterium eſt.

Hæc Regula nititur verbis Apoſtoli ad Romanos 7. 2. & 3. *Quæ ſub viro eſt mulier* (inquit) *vivente viro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Commixtio cum aliena uxore, vivente illius viro, adulterium eſt, ut docet Apoſtolus; vivit porro vir conſentiens, ut uxor ſua, cum altero miſceatur; igitur adultera eſt. Neque enim ait Apoſtolus. Vivente, & non conſentiente; ſed ſimpliciter: *Vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Nec ait; liberata eſt a lege viri, ſi mortuus fuerit, vel conſenſerit vir ejus; ſed: *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Sola ergo mors mariti, non viventis aſſenſus, uxorem a lege viri, adeoque & illius cum altero copulam ab adulterii crimine immunem facit. Et certe cum adulterium nihil aliud ſit, quam *Acceſſus ad alienum thorum*, uxor autem aliena ſit mulier per conjugii legem viro alligata, mutuumque ſit vinculum illud, quamdiu vivunt conjuges: *Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi ſine adulterina copulatione non poſſit* (inquit *S. Auguſt.* lib. 2. *De adulterinis Conjugiis*, cap. 9.) Sicut ergo velint nolint conjuges, manet vinculum illud quamdiu vivunt; ita, velint nolint, nequeunt ſine adulterina copulatione aliis commiſceri.

Eamdem Regulam confirmant Patres, imprimis, *Tertullianus*, Apologetici cap. 29. „„ Omnia (*inquit*) indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri ho-

homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant, ex illa, credo, majorum, & ſapientiſſimorum diſciplina, græci Socratis, & romani Catonis, qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum cauſa, & alibi creandorum. Neſcio quidem, an invitas. Quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O Sapientiæ Atticæ, o Romanæ gravitatis exemplum! Lenones Philoſophus, & Cenſor „„.

S. Epiphanius, Hæreſi 26. Gnoſticorum obſcœnos mores deſcribens: „„ Larga (*inquit*) & opipara edulia, carnis eſum, & vini potum apponunt, etiamſi pauperes fuerint. Ex hoc autem, ubi compotaverint, & venas ſatietate impleverint, ad æſtrum ſe convertunt; & vir quidem concedens uxori alteri, ait ad ipſam: Surge, & fac dilectionem cum fratre „„. Quis ita vecors erit, ut iſta Gnoſticorum flagitia a labe adulterii excuſet?

S. Auguſtinus, libro *De Fide, & Operibus*, cap. 7. „„ Abſit (*inquit*) ut ſenſu plane non humano, ſed plane vano ſic doleamus, cum flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur; maxime in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia, ubi nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere; quod in republica tunc Romana, non ſolum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. Neque hic diutius modo diſputare opus eſt, cum & illi, quibus reſpondeo, non audeant affirmare; nullum hoc eſſe peccatum, neque negent eſſe adulterium, ne ipſi Domino, ſanctoque Evangelio aperte convincantur obſiſtere „„.

Fruſtra ergo quidam in erroris huic Propoſitioni contrarii patrocinium *S. Auguſtinum* trahere nituntur, quaſi ſaltem de illius veritate dubitaverit, occaſione hiſtoriæ, quam narrat lib. 1. *De Sermone Domini in*

mon-

monte, cap. 17. de muliere quadam Antiochena; quæ ſe conſentiente marito alteri proſtituit, ut eum a morte liberaret. Neque enim de veritate doctrinæ, ſed de veritate hiſtoriæ, ſive facti dubitare ſe S. *Auguſtinus* indicat, cum ait: „ Nihil hinc in aliquam partem diſputo, liceat cuique æſtimare, quod velit; non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt „. Cæterum quid ſentiret de veritate dogmatis, diſertis verbis ſignificavit, hujus hiſtoriæ narrationi hunc in modum præfatus: „ Sed tamen (*inquit*) utrum, quod ait Apoſtolus: *Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*; poſſit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec a viro diſjuncta concumbere; ſed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit. *Subdit quidem nonnullas cauſas poſſe exiſtere*: Ubi & uxor, mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere videatur; ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Conſtantii temporibus „: Ubi mulier quædam pro ſervanda mariti vita copiam ſui corporis alteri fecit. Sed quaſdam cauſas eſſe duntaxat ſignificat, in quibus id non ita refugiat ſenſus humanus, non autem, ut id liceat ſecundum rectam rationem, & divinam legem. „ Sed tamen (*inquit*) narrato facto, non ita relpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortius conſiderandum eſt, quam tantum malum eſſe fornicationis, ut cum tanto vinculo ſibi conjugia conſtringantur, hæc una cauſa ſolutionis excepta ſit „. Nec tamen ipſa fornicatio ita conjugia dirimit, ut mulier innocens, vivo marito, quamvis adultero, alteri nubere poſſit, aut copulari. Nam *Mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit*, id eſt, marito in corpore conſtituto. *Si autem*

2. Cet. 7.

mor-

mortuus fuerit, hoc eſt de corpore exierit, *ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quem Apoſtoli locum tractans *S. Auguſtinus* lib. 2. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. 4. ait: „„ Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus„„. Cum igitur adulterium ſit alieni thori violatio, nec poſſit conjux efficere, ut ſuus thorus alienus non ſit comparationi cujuslibet tertii; perſpicuum, & exploratum eſt, non poſſe conjugem ullo ſuo conſenſu efficere, quin acceſſus cujuſvis tertii ad ſuam conjugem ſit alieni thori violatio, atque adeo adulterium. Conſenſus itaque mariti uxorem, aut ejus complicem ab adulterii flagitio non purgat; imo vero maritum eodem crimine involvit, lenocinii que reum facit, ſecundum illud Apoſtoli ad *Rom.* cap. 1. 32. *Qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus.*

Eadem Regula confirmatur cap. *Diſcretionem*, quod *Innocentii III.* reſponſum eſt, Ext. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*, cujus hæc ſunt verba: „„ Ex parte tua fuit propoſitum, quod quidam cum muliere quadam legitime per verba de præſenti contraxit, quam poſtmodum a ſe incognitam cuidam conſanguineo ſuo tradidit, in quantum potuit renitentem. Ille vero cum ipſa, licet invita, matrimonii ſolemnia celebravit; ſed mulier quam cito reddita fuit libertati, aufugit ab eo & ſe priori viro reſtitui poſtulavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus. Quod & viro pro tam turpi facinore gravis eſt pœnitentia injungenda, & mulier propter publicam honeſtatem eſt monenda ſolicite, ut nec primum repetat, cujus conſanguineus eam licet invitam cognovit; nec redeat ad ſecundum: *Cui non*

po-

poteſt præter reatum adulterii commiſceri; ſed in continentia maneat, donec prior fuerit viam univerſæ carnis ingreſſus. Quod ſi forſan ad id induci non potuerit, vir prior cogatur redire ad ipſam, & maritali eam affectione tractare; cum adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam „„. Copula igitur, cum aliena uxore, quamvis conſentiente, & tradente marito, verum adulterium eſt.

Sixtus V. Idem confirmat Conſtitutione 46. quæ incipit his verbis: *Ad compeſcendam.* Pœnam ſcilicet capitis lege lata decernit in maritum: „„ Qui propriam uxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipſa proſtituerit, aut induxerit, ut contra jus, & fas adulteria quæſtu, aut alia quavis cauſa palam exerceat „.

Propoſitio damnata.

Merito itaque inter alios errores hanc etiam propoſitionem ordine L. damnavit *Innocentius XI.* Pontifex maximus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, menſe marito: „ Copula cum „ conjugata, conſentiente marito, non eſt adulte„rium, ideoque ſufficit in Confeſſione dicere, ſe „ eſſe fornicatum „.

Hanc propoſitionem Clerus etiam gallicanus anno 1700. judicavit *ſcandaloſam, pernicioſam, caſtarum, & piarum aurium offenſivam, & erroneam.*

REGULA II.

Cum ex adulterio ſecuta eſt proles, adulter, & adultera tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum, ſive legitimis filiis, ſive aliis heredibus.

Non enim *dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt;* ut habet Regula juris ex *S. Auguſtino*, imo ex ipſis legis naturæ principiis ſumpta. Cum autem ex adulterio ſecuta eſt proles, quæ inter legitimos filios educatur, ſive ut legitima ſupponitur, atque hereditatem hoc nomine aditura eſt, grave damnum infertur filiis, aut heredibus legi-

legitimis; igitur neceſſario reſarciendum eſt reſtitutione facta, ſi tamen fieri poſſit; nec aliter abſolutio Sacramentalis adulteris concedenda eſt. Idem dicendum, ſi expoſita ſit adulterina proles hoſpitali domui a parentibus adulteris. Tenentur autem ad reſtitutionem ſinguli pro rata, ſi communi conſenſu ad adulterium convenerunt; at ſi adulter mulierem pellexit, provocavit, ipſe in ſolidum obligatur ad omnia damna reſarcienda, cum præcipua illorum cauſa ſit. Ipſo tamen deficiente, adultera tenetur in ſolidum, quia peccato ſuo damna hujuſmodi volens procuravit. Si tamen dubium ſit, an prolem ex adulterino concubitu, an ex maritali complexu mulier ſuſceperit, nulla eſt reſtitutionis obligatio, quia *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Res autem dubia cenſetur, niſi vel maritus toto conceptionis tempore abfuerit, vel alia ſint adulterini conceptus argumenta, non veriſimilia ſolum, & probabilia, ſed omnino certa. Alias enim ex legitimo matrimonio natus judicatur, qui in domo legitimorum conjugum natus eſt, ſi maritus eo tempore habitat cum matre tanquam cum uxore. Nec refert, quod adultero ſimilis ſit, non putato patri; ſimilitudo enim illa ex aliis cauſis oriri poteſt, adeoque fallax ſignum eſt; quamobrem in favorem matrimonii judicatur.

Modus reſtitutionis a mulieribus adulteris faciendæ filiis legitimis, aut heredibus.

De modo reſtitutionis nunc dicendum. Mulier adultera, cui bona ſunt ex dote, aut donatione propter nuptias, quorum liberam adminiſtrationem habet poſt mortem mariti; aut paraphernalia, quæ ſcilicet extra dotem poſſidet, ex iis compenſare debet, quantum neceſſe eſt ad reparationem damnorum. Si hoc modo damnum filiis, aut heredibus legitimis, aut etiam hoſpitali illatum reſarcire non poſſit, det operam, ut adulterinus monaſterium ingrediatur, ſi idoneus eſt, & partem hereditatis illi alioquin obventuram, legitimis heredibus relinquat. Id ſi ipſi perſuadere non poſſit, curet, quibus modis honeſtis poterit, ut minorem hereditatis portionem accipiat, ut negotiatione, induſtria plus ipſe conferat in fa-

miliæ commodum. Ipſa etiam mulier ſumptus, ornatumque ſuum minuat, quantum ſervato decore fieri poteſt, ut parſimonia ſua legitimorum heredum ſortem meliorem faciat. Si vero damna ex adulterio ſecuta compenſare non poſſit, niſi detegat crimen ſuum marito, aut filiis legitimis, aut etiam ipſi ſpurio, illud detegere non tenetur, atque in illis circumſtantiis ſufficit, ut pœnitentiam agat, nec ipſi Abſolutio ſacramentalis neganda eſt. Si enim revelaret crimen ſuum marito, vitæ, aut certe infamiæ periculum ſubiret. Nemo autem tenetur reſtituere bona inferioris ordinis, cum jactura bonorum ordinis altioris. Cum itaque *Melius ſit nomen bonum, quam divitiæ multæ* (ut dicitur *Proverb.* 22.) nemo tenetur cum famæ ſuæ detrimento compenſare damnum alteri in re familiari, ſeu fortunæ bonis illatum. Hinc etiam adulteri cædes, & immortalia inter familias diſſidia facile ſequi poſſent. Filiis etiam legitimis ſcelus ſuum prodere non tenetur, vel morti proxima, vel eis dicere ſub ſecreto, unum ex ipſis eſſe ſpurium, & efficere, ut conſentiant ſinguli, ne illum nominet, illumque recipiant in communionem hereditatis; tum quia famæ ſuæ grave detrimentum, vel moritura, ſubire non tenetur; cum vita honoris poſt mortem ipſam ſuperſtes ſit; tum quia hoc modo non reſarciretur ſufficienter damnum ex adulterio illatum; ſiquidem pactum illud inter fratres initum de relinquenda uni ſpurio portione hereditatis, legitimum non eſſet, utpote neceſſaria libertate, quæ vim, & metum excludere debet a contractibus, & pactis, deſtitutum. In illa autem hypotheſi fratres non ſponte cederent juri ſuo, ſed metu ſolum maternæ declarationis coacti; nec filius legitimus ullum inde commodum reportaret, ſed adhuc damnum pateretur; nec jus ſuum abdicaret, ſi certo ſciret, ſe legitimum eſſe, alium vero fratrem ex adulterio conceptum. Denique non tenetur ſcelus ſuum prodere ſpurio, niſi certa eſſet illum fidem ſibi adhibiturum, atque hereditate ceſſurum, nullumque ſibi infamiæ peri-

periculum immineret, utpote cum ille vir pius ſit, ſecreti tenax, amator juſtitiæ, & rerum temporalium minime cupidus. Sed quis eſt hic? Et aliunde filius non tenetur credere matri aſſerenti, & juranti ipſum eſſe ſpurium, niſi certis probationibus convincatur ejus conſcientia. Suam enim turpitudinem alleganti nulla debetur fides, cum alterius præſertim detrimento. Deinde mulierum levitas, inconſtantia, malæque artes in ſuſpicionem non immerito veniunt. Fieri enim poteſt, ut ex ardentiori in alios filios amore cupiat eos heredes inſtitui; hunc autem, quem odio habet, vel minus amat, ab hereditate excludi. Tandem cum iſte in domo legitimorum conjugum natus ſit, ac educatus, & a marito matris ſuæ pro filio agnitus, præſumere poteſt ſe legitimum eſſe, niſi certis argumentis convincatur ſe ex adulterio genitum.

Hæc doctrina nititur *Innocentii III.* reſponſo, cap. *Officiis*, Extra, *De Pœnitentiis, & remiſſionibus*, cujus hæc ſunt verba: „„ Significaſti, quamdam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam, quod timens ne viri poſſeſſio devolveretur ad alios, quarumdam herbarum ſuccum potavit, & ſic venter ejus intumuit, & inde gravidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum, timenſque maritum, non vult facinus ipſi detegere, qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, utrum ei hac fraude durante ſit pœnitentia injungenda: Reſpondemus, quod ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda; ita nec illi debet pœnitentia denegari, maxime ſi per alios intelligas alienos, ad quos timeat poſſeſſionem viri devolvi; ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi „„. Ubi Gloſſa, verbo *Deneganda*, hæc habet: „„ Mirum eſt, quod durante ſuppoſitione, per quam fraudantur conſanguinei debita ſucceſſione, hæc mulier pœnitere poteſt, contra illud 14. *quæſt.* 7. C. *Si res, & de Pœnit. diſt.* 3. C. *Pœnitentes.* Sed ipſa non poteſt de-

tegere ſuppoſitionem; quia ei non crederetur obſtante præſumptione, quæ habetur ex matrimonio, quod filius natus ſit ex Nuptiis, ff. *De his, qui ſui vel alieni juris ſunt* L. *Filium.* Et etiam periculoſum eſſet mulieri illud detegere „„

His adde *S. Raymundi* Conſilium, in Summa lib. 2. tit. *De Raptoribus*, §. 10. pag. 176. „„ Mulier (*inquit*) quæ de adulterio ſuſcepit filium, vel ſuppoſuit ſibi alienum partum, debet laborare quibuſcunque modis poteſt, ut legitimi heredes non fraudentur hereditate paterna, caute tamen; revelare enim ſimpliciter marito, vel etiam ipſi ſpurio, vel ſuppoſito non expedit, tum quia guerræ, homicidia, & adulteria fierent, cum maritus forte dimitteret eam, & non valentes forſitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula poſſent inde oriri; tum quia forte non crederent ſibi. Ex altera parte non videtur, quod poſſit agere pœnitentiam, vel eſſe in ſtatu ſalvandorum, durante tali deceptione, quia *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, 14. q. 6. C. *ſi res aliena.* Verum, quia propter hoc non eſt ei pœnitentia deneganda, ut ait Innocentius *Extra. de Pœnitent. cap. Officii*, ita procedat: Revelet in pœnitentia factum ſuo Sacerdoti parochiali, vel de licentia ipſius alii magis perito, & poſtea cum ipſo, vel etiam ſine ipſo, ſi vult, revelet Epiſcopo ſuo ſimiliter in pœnitentia; & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos, ſi tantæ diſcretionis vel maturitatis ſit, vel, quod tutius eſt, ambo ſimul inquirant diligenter, & caute ſi ille ſpurius, vel ſuppoſitus ſit homo ſpiritualis, & timens Deum; quo invento, vocent eum ſecrete, & coram muliere, & ſi videbitur expedire, recepto prius Sacramento ab ipſa, quod calumnioſe non procedat, & etiam ab illo, quod factum ſecretum teneat, poterunt revelare ſibi. & inde conſulere, ut ingrediatur religionem, vel transferat ſe ad longinquam regionem, ut ſic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat eſſe patrem ſuum. Ea autem, quæ conſumpſit de bonis prædictis, dum habuit bonam fidem credens ſe eſſe

filium

filium legitimum, reſtituat, vel componat, vel petat remiſſionem a viro mulieris, ſi vivit, ſin autem, ab heredibus legitimis, non tamen per ſe hoc faciat, ne factum reveletur, ſed per Sacerdotem, vel aliam ſimilem perſonam, quæ hoc procuret, tacitis ſemper perſonis, & facto. Si tamen non poteſt, vel etiam poteſt, ſed non poteſt plane induci ad hoc, non credo eum præciſe cogendum. Arg. legis, quæ dicit, bonæ fidei poſſeſſorem non teneri de conſumptis, *C. de rei vindic. certum.* Si vero illi ſpurio, vel ſuppoſito non poteſt revelari ſine periculo, vel etiam facto ſibi revelato ſecundum formam prædictam, non vult acquieſcere conſilio, tunc etiam injungatur mulieri, quod de ſponſalitio ſuo, & aliis rebus, quas habet, vel in futurum habere poterit, ſatisfaciat juxta poſſe, dolens ſemper de peccato, & quia non poteſt plene ſatisfacere, proponens firmiter in animo, quod ſatisfaciet, quam cito poterit; hoc tamen fiat per medium pœnitentialem, vel perſonam religioſam ſecrete, & caute; & poteſt uti his verbis, quædam perſona tenetur vobis in hoc, accipite; & ita erit in bono ſtatu. *Arg. 12. quæſt. 5. can. Hoc videtur.* Et in præallegata Decretali *Officii* „ „.

REGULA III.

Moroſa delectatio de rebus obſcœnis lethale peccatum eſt contra ſextum Decalogi præceptum.

Moroſa delectatio peccatum.

Moroſam delectationem intellige, quæ plene deliberata eſt. Non enim moroſa dicitur ex mora temporis: „ Sed ex eo, quod ratio deliberans „ circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, „ tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt „ (*inquit S. Th. 1. 2. quæſt. 74. art. 6. in reſponſione ad tertium.*) Delectationem etiam intellige non de cogitatione ipſa, ſed de re obſcœna cogitata, v. g. de fornicatione, de adulterio, de inceſtu, &c. ut docet *S. Thomas*, art. 8. ejuſdem quæſtionis. Lege, quæ dicta ſunt lib. 3. hujus Operis, cap. 4. Regula 54.

REGULA IV.

Aſpectus impudici, & libidinoſi ſunt lethalia peccata.

Aſpectus impudici.

Ut enim ait Chriſtus, Matth. 5. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et *S. Petrus* Epiſt. 2. cap. 2. impudicos homines deſcribens, arguenſque, ait: *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti.* Quamobrem S. Job cap. 31. Libri ipſius nomine inſcripti dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hereditatem Omnipotens de excelſis?* Atque hoc eſt, quod monet David Pſal. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et ſapiens Eccl. 9. *Virginem* (inquit) *ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius... Noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit.* Nec mirum: *Aſcendit enim mors per feneſtras noſtras*, hoc eſt per ſenſus, ut dicitur *Jeremiæ* 9. quemadmodum idem Propheta *Tren.* 3. confirmat: *Oculus meus depredatus eſt animam meam.*

Eamdem Regulam confirmant Patres. *Tertullianus* in *Apologetico*, cap. 46. „ „ Democritus (*inquit*) excæcando ſemetipſum, quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus, incontinentiam emendatione profitetur; at Chriſtianus ſalvis oculis feminas non videt, animo adverſus libidinem cæcus eſt. *Et lib.* De Virginibus velandis, *cap.* 3. Ejuſdem libidinis eſt videri, & videre. Tam ſancti viri eſt ſuffundi, ſi virginem viderit, quam ſanctæ virginis, ſi a viro viſa ſit „ „.

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 17. in Matth. „ „ Chriſtus (*inquit*) non actum ſolummodo, ſed impudicum quoque coercet aſpectum, ut diſcas, ubi conſiſtat illud, quod ſupra Scribarum, & Phariſæorum noſtra præcipitur abundare juſtitia: propter quod ait: *Qui vide-*

Matth. 5.

viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Hoc eſt dicere, qui dat operam in venuſta corpora curioſius intueri, & decoras aucupari facies, talique animam ſpectaculo paſcere, & obſcœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcirco Dominus adveniſſe contentus eſt, ut ſolummodo corpus a malis actibus, ſed ut prius animam quoque ab ejuſmodi cogitationibus averteret. Quia enim Spiritus ſancti gratiam te ſuſcepimus, merito ipſam purificat primam. Et quemadmodum (*inquis*) poſſumus a concupiſcentia liberari? Maxime quidem, ſi velimus, ſi ipſam mortificare poſſibile eſt, atque ne in opus erumpat continere. Tum vero hic non generaliter concupiſcentiam interimit, ſed illam, quæ ex formæ decore concipitur. Qui enim ſtudet elegantes facies inſpicere, ipſe præcipue fornacem ſibi iſtius paſſionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter abducit. Propterea non dixit, qui concupivit ad adulterandum, ſed, qui viderit ad concupiſcendum. Id eſt, qui concupiſcentiam videndi curioſitate ſibi ipſi collegerit, quique nullo omnino cogente, quieſcenti animæ feram ſubito immiſerit. Hoc enim non jam naturæ eſt, ſed propriæ omnino deſidiæ; quod certe olim etiam veteri lege prohibetur: *Noli* (inquit) *addiſcere pulchritudinem alienam.* Deinde ne quis diceret, quid autem etſi inſpiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aſpectum, ne hujuſmodi licentia fidens, etiam in peccatum quandoque corrueret. Quid autem (*inquies*) ſi video, & concupiſco quidem, ſed tamen turpe nihil ago? Et ſic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim Lator legis, nec amplius aliquid oportet ſcrupuloſius inquirere. Nam ſemel quidem, & ſecundo, & tertio ſic videns, poſſis fortaſſe animum continere. Si vero frequenter id feceris, fornacemque iſtam ſponte ſuccendas, profecto capieris Neque enim extra naturam, aleamque humanam conſiſtis. Sicut enim nos cum gladium teneri videmus a puero, etiamſi nondum vulneratum

inde eſſe cernamus, verberamus tamen, aç ſæpe minantes denuntiamus, ne quando illum rurſus attingat; ita etiam Deus inverecundum coercet aſpectum, eumque ante opus tollit, ne quandoque in ipſam quoque incidat actionem. Qui enim in ſe flammam cupiditatis accenderit, etiam abſente muliere, quam vidit, jugiter apud ſemetipſum turpium rerum ſimulacra depingit, & neceſſe eſt hujuſmodi nonunquam ad flagitium ipſum opere pervenire. Propterea eos quoque, qui in ſolo fiunt corde complexus, Chriſtus interimit, ... Propterea etiam B. Job hanc ſibi ab initio legem ipſe decreverat, periculoſum hoc ſpectaculum undique a ſuis oculis repellendo. Siquidem poſt hujuſmodi aſpectum multo jam difficilius certamen efficitur, cum & viderit aliquis, & tamen ea, quam viderit, non fruatur, nec tantam de contemplatione ipſa capimus voluptatem, quantum patimur de argumento iſtius cupiditatis dolorem, fortiorem contra nos facientes hoſtem & ampliorem locum diabolo dantes; ut nequaquam illum ulterius propulſare valeamus, poſteaquam ſemel in intima cordis admiſerimus, eique temere mentis noſtræ clauſtra reſeravimus. Idcirco præcipit ne forniceris oculis, ne per hoc ſcilicet animo forniceris. Eſt enim poſſibile & aliter aſpicere, ut certe aſpiciunt & pudici; & ideo non ſimpliciter aſpectum, ſed concupiſcentiæ junctum interimit aſpectum. Niſi enim id voluiſſet efficere, utique dixiſſet, qui viderit mulierem, profecto mœchatus eſt eam in corde ſuo. Nunc vero id omnino non dixit; ſed: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*: Qui ſcilicet ad hoc aſpicit, ut oblectet aſpectum. Neque propterea tibi Deus oculos affinxit, ut per illos ad animum adulteria tranſmittas, ſed ut creaturas ejus aſpiciens, mireris Auctorem. Sicut ergo eſt temere iraſci, ita etiam temere videre, ſi id ad libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex viſu capere voluptatem, aſpice propriam conjugem, & illius uſque amore perfruere. Hoc enim nulla lex prohibet. Si vero erga alienum curioſus ſis de-

decorem, tuam deſpicis, & iſtam profecto lædis, a qua in aliam oculos avertis, & ipſam etiam quam illicite contingis. Etſi enim illam nequaquam attrectaſti manu, ſed oculis tamen, ac voluntate palpaſti; propterea etiam hoc proculdubio adulterium reputatur; & ante tutura illa tormenta, non leve jam in præſenti invenitur afferre ſupplicium. Nam perturbationibus, ac tumultu intrinſecus cuncta complentur, & multus quidem æſtus, plurimus etiam ſentitur dolor. Nec omnino hujuſmodi homo melius affectus eſt, quam qui affliguntur vel captivitate, vel vinculis. Et illa quidem, quæ lethalem hanc ejicit ſagittam, ea emiſſa ſæpe evolat, at ictus remanet; imo vero non illa ſpeculum torſit, ſed tu tibi ipſi plagam illam mortiferam intemperanter ſpectans infixiſti „ „.

S. Ambroſius, Sermone 16. in Pſalmum 118. „ „ Oculus (*inquit*) tentationis dicitur, quia per oculum ſæpe tentamur. Oculus meretricis, laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit, ideoque Salvatoris ſententia plena juſtitiæ eſt, dicentis: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, adulteravit eam in corde ſuo.* Non dixit: *Qui viderit mulierem*, ſed *ad concupiſcendum* viderit: Oculum abſolvit, mentem ligavit. Nec dicit, *adulteravit* eam in oculo, ſed *in corde*. In oculo viſus eſt, in corde peccatum „ „.

S. Auguſtinus, Epiſtola 201. alias 109. ad Sanctimoniales: „ „ Oculi veſtri (*inquit*) etſi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle. Nec ſolo tactu, ſed affectu quoque, & aſpectu appetitur, & appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe invicem ſibi etiam tacente lingua conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus „ „.

Et Enarratione in Pſalmum 50. „„ De longe vidit David illam, in qua captus eſt. Mulier longe, libido prope. Alibi erat, quod videret, in illo unde caderet... Nunquid tu fortior quam David „„? Idem confirmat *S. Gregorius magnus*, lib. 21. *Moralium*, cap. 2. cujus verba deſcripſi lib. 3. hujus Operis, cap. 7. art. 5. num. 4.

Secundum hanc Regulam, lethale peccatum eſt, ſeipſum, aut alium, cujuſcunque ſexus in partibus verecundioribus corporis abſque neceſſitate, & cauſa legitima, ſtudioſe intueri, quia ex hujuſmodi aſpectu impudico fædæ libidinis imagines in animos noſtros irrumpunt, obſcœnique motus excitantur, ut plurimum. Copulam etiam brutorum animantium intueri, & conſiderare periculoſum eſt, propter obſcœnas imagines, & cogitationes hinc in animum irruentes, quæ carnales homines, & ruſticos maxime, ad libidinem facile excitant. Atque hujuſmodi aſpectus ſpectato intuentium affectu, cupiditate, corruptione, peccatiſque inde ſequi ſolitis, lethale peccatum eſſe poteſt. Quamobrem Confeſſarii ruſticos homines ab eo avertere debent.

Lethaliter peccant, qui impudicas imagines apud ſe retinent aut libidinoſis oculis intuentur.

Secundum eamdem Regulam lethalis peccati rei ſunt, qui effingunt, palam exponunt, apud ſe retinent, aut ſtudioſe, & libidinoſis oculis intuentur imagines, quæ aliquam turpitudinis ſpeciem præferunt; cum ad turpes rerum illecebras, inflammandoſque adoleſcentum animos vis in illis ſit maxima. Unde *S. Joan. Chryſoſtomus*, in Pſalm. 113. ait: „„ Dæmon nudæ quoque figuræ aſſidet. Et nunc quidem ſtatuæ ſunt imagines fornicationis, nunc inſani in maſculos amoris. Quid enim ſibi vult aquila? Quid vero Ganymedes? Quid Apollo, qui virginem perſequitur? Quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique laſcivia nefariorum concubituum, & inſanorum amorum ſunt ubique figuræ „„. Adoleſcentem quemdam aſpectu tabulæ in pariete depictæ, quæ Jovem per imbrem aureum in Danaes gremium illapſum adumbrabat, ad libidinem ſe con-

ci-

citaſſe, & Jovem ad exemplum ſtupri ſibi propoſuiſſe, refert *S. Auguſt.* lib. 1. *Confeſſionum*, cap. 16. *Apollinaris Sidonius* libro 2. Epiſt. 2. ad *Domitium*, ædes ſuas ruſticanas deſcribens; „„ Non hic (*inquit*) per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis præſtat Hiſtoria, quæ ſicut ornat artem, ſic devenuſtat artificem. Abſunt ridiculi veſtitu, & vultibus hiſtriones, pigmentis multicoloribus Philiſtionis ſuppellectilem mentientes. Abſunt lubrici, tortuoſique pugillatu, & nexibus Palæſtritæ; quorum etiam viventium luctas, ſi involvantur obſcœnius, caſta confeſtim Gymnaſiarchorum virga diſſolvit. Quid plura? Nihil illis paginis impreſſum, quod non vidiſſe ſit ſanctius „„.

Quamobrem rerum turpium, & obſcœnarum imagines effingi ſacri Canones prohibent, *deleri, vel ad honeſtatem reconcinnari præcipiunt.* Concilium Mediolanenſe 5. p. 1. tit. *De his, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent*, præſcribens, quæ a patribus-familias præſtanda ſunt, cum illorum ædes a Parocho ſolemni ritu benedicuntur, ſtatuit, ut *Imagines obſcœnas, & turpes incendant; profanas vero, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amovere ſtudeant.*

Conc. Mediolanenſe 3. tit. *De iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum, & Clericorum honeſtatem*, ſtatuit, *ut* „„ Si in hortis, ædibus, aliiſve Eccleſiarum, aut eccleſiaſticorum hominum locis, ſigna, imagines, aut picturæ ſunt, quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obſcœnitatis, turpitudiniſve ſpeciem præſeferant, ita reconcinnentur, ut offenſionem oculis ne præbere poſſint, aut tollantur, deleantur ex omni loco, ubicunque extant, neque in poſterum ejuſmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur. Et quoniam chriſtianorum hominum mentes facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium, atque obſcœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ Synodi Canone. Itaque curet Epiſcopus, ut quicunque laici homi-

homines, id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expreſſas, pro pietatis chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio, eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honeſtatem reconcinnent „ „.

Prov. 4. His autem verbis conceptus eſt Canon Concilii Trullani centeſimus a Concilio Mediolanenſi, & *S. Carolo Borromæo* laudatus: *Oculi tui recta aſpiciant, & omni cuſtodia ſerva cor tuum*, jubet ſapientia. „ „ Corporis enim ſenſus ſua facile in animam effundunt. Picturas ergo, quæ oculos præſtringunt, ſive in tabulis, ſive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem facere aggreſſus fuerit, ſegregetur „ „.

Abſolutio illis neganda, qui obſcœnas imagines apud ſe retinent. Eccleſiæ Biſuntinæ ſtatuta Synodalia, rituale Bituricenſe, anni 1666. ſtatuta Cardinalis, *Grimaldi* Aquenſis Epiſcopi, iis Abſolutionem ſacramentalem impendi vetant, qui obſcœnas imagines apud ſe retinent, nec delere, aut ad honeſtam formam reconcinnare volunt; nec non iis, qui illas effingunt, aut vendunt.

Chriſtiano nomine indignos illos eſſe, & ad Gentilium mores deflectere, probat inſignis *S. Clementis Alexandrini* locus in *Admonitione ad gentes*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Si quis ſculptilia ſimulacra contempletur, ex turpibus, ignominiaque, ac dedecore
Pag. 38. plenis figuris, veſtros Deos ſtatim agnoſcet... Si quis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelligit. Sic Pygmalion ille Cyprius eburneam amavit ſtatuam; erat ea ſimulacrum Veneris, & erat nudum. Movetur figura Cyprius, & coit cum imagine; quod quidem Philoſtephanus teſtatur. Venus autem alia in Gnido erat lapis, & erat pulchra; alius eam amavit, & cum lapide Veneris habet conſuetudinem, ut refert Poſidippus; prior quidem in Opere de Cypro, alter vero in Opere de Gnido. Tantum ars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in
Pag. 42. baratrum. *Et paulo poſt*: Nos autem ne aures quidem ſtupris, ac fornicationibus inquinare volumus. Su-

mus

mus enim nos, ſumus, qui Dei imaginem circumferimus in hoc vivo, & mobili ſimulacro, videlicet homine, cohabitantem imaginem, conſulentem, colloquentem, contubernalem, & quæ noſtris movetur, iiſdemque dominatur perturbationibus. *Nos Deo donati, & dedicati ſumus pro Chriſto, nos genus electum, regale Sacerdotium, genus ſancta, populus peculiaris*: Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui (ait Joannes) non ſumus ex iis, qui ſunt interius, ſed ab eo, qui venit ſuperne, omnia didicimus; qui Dei œconomiam, ſeu carnis ſuſceptæ diſpenſationem mente comprehendimus; qui ut in vitæ novitate ambularemus, nos exercuimus. Sed hæc non cogitat vulgi magna pars, ſed omni pudore, metuque depoſito, domi depingunt turpes dæmonum in Venerem pruritus, & titillationes. Pictis enim quibuſdam tabellis, iiſque in alto ſuſpenſis mentem adhibentes, thalamos ornarunt impudicitia, intemperantiam exiſtimantes pietatem; & in cubili decumbentes, in ipſis amplexibus Venerem illam nudam reſpiciunt, quæ vincta eſt propter complexus; & ad Ledam advolantem avem, qui ob hoc ipſum, quod effeminata ſit, probantes picturam, in pala annuli exprimunt, & conveniente Jovis intemperantiæ ſigillo utuntur. Hæc ſunt mollis, & delicatæ vitæ veſtræ exemplaria. Hæ ſunt Theologiæ probri, & petulantiæ plenæ. Hæ ſunt Deorum, qui una vobiſcum fornicantur, doctrinæ. Nam quod quilibet vult, hoc etiam putat, ut ait Orator Athenienſis. Cujuſmodi autem ſunt aliæ quoque veſtræ imagines? Paniſci quidam, & nudæ puellæ & ebrii Satyri, & membrorum erectiones, quæ picturis nudantur, quæ ab ipſa intemperantia arguuntur. Jam vero totius libidinis, & impudicitiæ figuras aperte deſcriptas publice intueri non erubeſcitis, ſed potius poſitas, erectaſque cuſtoditis, perinde ac ſi Deorum veſtrorum imagines impudentiæ columnas domi conſecraveritis, figuras, geſtuſque Philænidis æque depingentes, atque certamina Herculis. Horum non ſolum uſus, ſed etiam

1. Pet. 2. 9.

etiam aſpectus, & auditus deponendam eſſe memoriam vobis annuntiamus. Scortatæ ſunt aures veſtræ, fornicati ſunt oculi; & quod eſt magis novum, ante conſpectum veſtri adulterium admiſerunt aſpectus „„.

Quod ſi ex privatis domibus amovendæ ſunt obſcœnæ, laſcivæque imagines, multo magis curandum eſt, ne in templis Deo dicatis collocentur, quod ſacro ſanctis Conciliorum Decretis ſpeciatim prohibetur. Tridentini Seſſ. 25. tit. *De Veneratione Reliquiarum ſanctorum, & ſacrarum Imaginum*, Cameracenſis anno 1569. tit. 20. cap. 2. Mediolanenſis 1. Conſtitutionum P. 1. num. 1. Mechlinienſis anno 1570. tit. *De Imaginibus*, Can. 1. 2. & 3. Turonenſis anno 1583. tit. 11. Avenionenſis anno 1594. tit. 26. Aquilejenſis anno 1596. Rubrica 16. Narbonenſis anno milleſimo ſexcenteſimo nono, Can. 7.

Deceptio diaboli ſub mortificationis ſpecie impudicitiam inſpirantis.

Secundum hanc denique Regulam, illos peccati lethalis reos eſſe minime dubitandum eſt, qui, etiam mortificationis ſpecie, & flagellationis, ſeu diſciplinæ (ut loquuntur) prætextu, mulieres coram ſe nudari jaberent, quod aliquando ſatanas cæcis, & carnalibus cæcarum mulierarum ducibus inſpiravit. Quo de crimine *S. Antoninus* P. 2. tit. 5. cap. 1. „„ Sed quid (*inquit*) de illis, qui ſub ſpecie mortificationis ſpiritualis faciunt coram ſe denudare mulieres totaliter, ſicut compertum eſt in aliquibus prætendentibus ſanctitatem? credo non poſſe excuſari a mortali peccato. Et ratio hujus eſt, quia hoc eſt contra honeſtatem naturalem; adeo ut etiam primi conjuges Adam, & Eva poſt tranſgreſſionem præcepti, non paſſi ſint ſe invicem nudos videri, ſed fecerunt ſibi perizomata de foliis ficus. *Secundo*, propter periculum lapſus. David tam ſanctus aſpiciens caſu mulierem lavantem ſe non evaſit crimen adulterii. Quomodo credendum eſt, ut non incidat in laqueum diaboli, qui ſtudioſe ſibi laqueum parat? *Qui amat periculum, incidit in illud*, ut dicitur Eccleſ. 3. *Tertio*, propter ſcandalum.. Non eſt ergo hujuſmodi

vera

vera mortificatio, ſed deceptio diaboli, & laqueus animarum inſipientium, & dici poteſt hoc vitium impudicitiæ „ „.

REGULA V.

Verba impudica, & obſcœna proferre, turpiaque cantica componere, & canere, lethale ut plurimum peccatum eſt, ſive propter affectum ad res impudicas, quæ illis exprimuntur, & corruptam libidinoſe voluntatem, ſive propter ſcandalum. Ea item audire, illſque delectari ex propenſa ad libidinem voluntate, mortale pariter peccatum eſt. Amatoria vero cantica edere, canere, audire, caſtitati periculoſum eſt.

Verba impudica, & turpia cantica.

Hæc regula colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Fornicatio* (inquit) *& omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Turpiloquium igitur ſexto Decalogi præcepto etiam prohibetur. Idem confirmat idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. 33. *Nolite ſeduci* (inquit) *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et rurſus ad Epheſ. 4. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Turpiloquium.

Hanc regulam confirmat *S. Clemens Alexandrinus*, lib. 2. *Pædagogi*, cap. 4. „ „ Omne turpe ſpectaculum (*inquit*) omnemque turpem auditionem, &, ut ſemel dicam, turpem omnem ſenſum intemperantiæ, quæ quidem eſt vera ſenſus privatio, maxime oportet nos exſcindere, quæ in oculis, & in auribus titillat, & effœminat, voluptatem cavemus; fractorum enim cantuum, & flebilium Caricæ Muſæ modorum varia veneficia, intemperanti, & pravo Muſicæ artificio mores corrumpunt. *Et poſt multa*: Amatoria quidem procul abſint cantica. Sint autem cantica Dei laudes... Sunt enim admittendæ modeſtæ, & pudicæ harmoniæ; contra a forti, & nervoſa noſtra

ſtra cogitatione vere molles, & enerves harmonias emandandæ quam longiſſime, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam, & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt... Meretriciæ igitur Muſicæ ſunt relinquendæ „ „.

Et cap. 5. „ „ Oportet quoque ipſum ſubriſum docere, & caſtigari; & ſi ob turpes res excitatus fuerit, erubeſcere potius ridere, quam ſubridere, ne videamur per conſenſum collætari „ „.

Cap. denique 6. „ „ A turpiloquio (*inquit*) & nos omnino abſtinere oportet, & eis, qui illo utuntur, os obſtruere, & aſpectu ſeveriore, & vultus averſione, & ſubſannatione, & ſæpe etiam aſperiori oratione. *Quæ enim* (inquit) *ex ore exeunt, coinquinant hominem*: Profanum, intemperantem, & petulantem eum oſtendunt, non modeſtum, honeſtum, & temperantem. Cum autem turpia æque in audiendo verſentur, & in ſpectando, divinus Pædagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur pudicos, & modeſtos ſermones veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne poſſit ad frangendam animam pervadere pulſatio fornicationis. *Et infra*: Mundos eſſe oportet, & a vocum prolationibus, quibus nullum eſſe oportet aditum ad aures eorum, qui in Chriſtum crediderunt. Hac ratione mihi videtur Pædagogus nihil; quod ſit indecorum, & inhoneſtum nobis loqui permittere; longe ante nos præmuniens adverſus incontinentiam... Inſolenter enim ſe in vocibus gerere, facit, ut meditemur inhoneſte facere. In vocibus autem eſſe modeſtum, eſt ſeipſum exercere ad fortiter ſuſtinendam libidinis impreſſionem „ „.

Matth. 15.

Eamdem Regulam confirmat *S. Cæſarius*, Serm. 97. in Auguſtiniana Appendice 303. „ „ Quam multi ruſtici (*inquit*) & quam multæ mulieres ruſticanæ cantica diabolica, amatoria & turpia memoriter retinent, & ore decantant? Iſta poſſunt tenere, atque parare, quæ diabolus docet; & non poſſunt tenere, quod Chriſtus oſtendit? Quanto celerius, & me-

melius quicunque ruſticus, vel quæcunque mulier ruſticana, quanto utilius poterat, & ſymbolum diſcere, & Orationem dominicam, & aliquas Antiphonas, & Pſalmum quinquageſimum, vel nonageſimum & parare, & tenere, & frequentius dicere, unde animam ſuam, & Deo conjungere, & a diabolo liberare poſſet. Nam quomodo cantica turpia in tenebras diaboli mittunt, ſic cantica ſancta Chriſti lumen oſtendunt „ „.

Pœnitentiale Romanum cap. 23. gravem pœnitentiam imponit iis, qui per turpiloquium, vel aſpectum coinquinantur. „ „ Qui per turpiloquium (*inquit*) vel aſpectum coinquinatus eſt, tamen non voluit peccare corporaliter, viginti dies pœniteat „ „.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Antoninus*, P. 2. tit. 5. cap. 1. §. 8. „ „ Nulli (*inquit*) dubium eſt, quod, qui dicit verba turpia, & laſciva, hac intentione; ut ſe vel alium provocet ad luxuriam, vel ſe mente delectandi in locutione, & cogitatione turpium extra matrimonium, mortaliter peccat. .. Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium (*id eſt jocoſe*) quamvis de ſe non videantur mortalia, quia peccata oris, ſecundum S. Thomam, permaxime judicantur, quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis; propter quod dicit S. Auguſtinus quod ream linguam non facit niſi rea mens; tamen per accidens poſſet eſſe mortale ratione ſcandali, ſeu ruinæ inde ſequentis in mente alicujus, ut cum audientes ſunt debiles ſpiritu, *ſive infirmi*, & verba eſſent multum laſciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis; ſed audientes libenter talia, non tantum ex quadam levitate, & ſolatio vano, ſed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur poſſe excuſari a mortali, ſicut nec a delectatione moroſa turpis cogitationis, cum ex auditu ſequantur talia, præcipue mentibus infirmorum, niſi forte hoc foret inter conjuges. Si ergo contingat præter intentionem talia audiri, vitare debent,

vel saltem displicentiam mentis habere „„. Quo spectat illud Eccles. 28. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.*

REGULA VI.

Librorum obscœnorum lectio cum lethali peccato ut plurimum conjuncta est. Lectio vero librorum amatoriorum periculosa semper est, eoque nomine vetita.

Libri obscœni, vel amatorii.

Si enim ex propensione affectus in libidinem aliquis hujusmodi libros, vel carmina legat, nemo dubitaverit, ipsum lethale peccatum committere. Si autem ex mera curiositate, aut levitate, tamen lethalis peccati occasioni, & periculo se volens exponit, adeoque mortalis peccati etiam reus est: *Qui* enim *amat periculum, in illo peribit.* Si vero aliis conscriis illos legat, aut in domo retineat, ubi a conjuge, liberis, aut domesticis legi possunt, lethalis scandali reus est.

Quantum vero sit periculi in librorum amatoriorum lectione, testis est *S. Theresia*, cap. 4. Vitæ suæ; testis *Gersonius* Parisiensis Ecclesiæ, & Accademiæ Cancellarius, in Tractatu *Contra Romantium de Rosa*, & Sermone in Dominicam 4. Adventus; testis Synodus antiqua, quæ *Heliodoro* Tricensi Episcopo Episcopatum ademit ob libellos amatorios, quos *Æthiopica* inscripserat, & *Choricleam* postea nominarunt, quos quidem juvenis composuerat. „„ Nam cum lectione eorum Opusculorum juvenes multi in periculum conjicerentur, Synodus provincialis statuit, vel libellos ipsos, qui amores accenderent, igni consumptos abolendos, vel qui eos composuisset, auctori functionem Episcopalem abrogandam esse. Ille vero Episcopatum deponere, quam scripta sua supprimere maluit „„. Refert *Nicephorus Callistus*, lib. 12. *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 24. *Æneæ*, & *Didonis* amores se adolescentem legisse, & *Didonem* mortuam, quia se occidit ob amorem, ploraſſe *S. Augusti.* deflet libro

1.

1. *Confeſſionum*, cap. 13. cum interim mortem animæ ſuæ, quæ fiebat non amando Deum, minime defleret. Quanto magis lugendi ſunt, qui libros impudicos, vel amatorios, ſive ſub honeſti ſpecie intricatos amantium caſus deſcribentes, cordaque tenera ad amorem profanum emollientes, in lucem edunt, vel legunt. dulce venenum propinantes aliis, vel bibentes? Cantica Canticorum, Moyſis, Joſue, & Judicum libros, a carnalibus, & junioribus, legi veteres prohibebant: *Ne dum eos ſpiritualiter neſciunt, libidinis, ac voluptatum incitamento ſolvantur.* Verba ſunt *S. Leandri* Hiſpalenſis Epiſcopi, in Regula, ſeu libro *De Inſtitutione Virginum* ad *Florentinam* ſororem, cap. 7. Quanto magis periculoſa cenſenda eſt eorum librorum lectio, qui profanos amores cum deſcribunt, & amantium colloquia, literulas, artes, milleque caſus intricatos referunt, in teneris, & incautis adoleſcentum, & puellarum animis ſimiles flammas excitant? Libros, qui res obſcœnas, & laſcivas ex profeſſo tractant, a Fidelibus legi prohibuerunt, & eos retinentes ab Epiſcopis puniri ſanxerunt *Pius IV. Sixtus V.* & *Clemens VIII.* Pontifices maximi edito librorum prohibitorum indice. *S. Carolus Borromæus* in Concilio Mediolanenſi 10. p. 1. tit. *Quæ ad Sacramentalia pertinent*, ubi præſcribit, quæ agenda ſunt a patre familias, cum ejus domus a parocho benedicitur, ait: „ „ Amoveri curabit, quæcunque domi ſuæ ſunt chriſtianæ familiæ inſtituto indigna, quæque Dei oculos offendunt Libros de rebus obſcœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis, cæteriſque id generis, inflammari curabit. Libros de vitæ religioſæ, ſpiritualiſque inſtitutis, atque exercitationibus introducet „ „. Et in Conc. Mediolanenſi 6. tit. *De chriſtiana militum diſciplina*, ſtatuit, ut milites „ „ In otio militari a librorum obſcœnorum, quique chriſtianos viros non decent, lectione abſtineant; ſed Martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo, ac virtus vere militaris elucet, totos ſe occupent, cum per occupationes militares poſſunt „ „.

Conc. Turonenſe anno 1583. tit. *De Profeſſione fidei*, prohibet „„ Ne libri ad laſciviam, & luxum provocantes imprimantur, vendantur, legantur, aut retineantur omnino; *jubetque*, ſicubi reperti fuerint, comburantur, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrent, qui minime paruerint „„. Concilium Burdigalenſe eodem anno celebratum tit. 7. moneri jubet ſæpiſſime Chriſtianos a ſuis Parochis, & Confeſſariis: „„ Ut fugiant tanquam virus mortiferum lectionem librorum quorumcunque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obſcœnas, & impias narrationes continent; eoſque, ut olim tempore Apoſtolorum factum legimus, comburant „„. Statuta ſynodalia Biſuntinæ Diœceſis, rituale Bituricenſe, Conſtitutiones ſynodales eminentiſſimi Cardinalis *Grimaldi* Aquenſis Archiepiſcopi, Abſolutionem ſacramentalem negari jubent iis, qui libros impudicos, & laſcivos apud ſe retinent, vel legunt. Si carmina poetarum, *Dæmonum* cibum *S. Hieronymus* vocat Epiſtola 146. ad *Damaſum*, quia „ Dum aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt „; quid de libris, & carminibus amatoriis dixiſſet? An chriſtiana diſciplina non impetrabit a veri Dei cultoribus, quod ab ethnicis Lacedæmoniis obtinuit rectoratio, qui ſcilicet *Archilochi* poetæ celebris libro *Noluerunt liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodeſſet*; ut refert *Valerius maximus* libro 6. cap. 3.

REGULA VII.

Spectaculorum, & Comœdiarum frequentatio periculoſa eſt caſtitati, & multimodis animæ noxia. Unde vix abſque peccato intereſſe ſpectaculis, & Comœdiis Chriſtianus poteſt.

Unius *S. Caroli Borromæi* ad hanc Regulam ſtabiliendam ſufficeret auctoritas, qui in *Inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei*, ex Decreto Concilii pro-

provincialis Mediolanenſis 3. editis, officium Concionatoris expliçans, hæc habet: „„ Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuo reprehendat, atque in ſummum odium adducere contendet, oſtendetque quam graviter Deum offendant, quam multa mala, atque adeo publicæ etiam calamitates, infinitaque detrimenta inde exiſtant. Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, execrabitur; demonſtrabit incommoda, publicalque ærumnas inde in chriſtianum populum dimanare. In quam ſententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ graviſſimi viri, Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur „„. Præcipua autem argumenta hæc ſunt, 1. Quod Chriſtiani diabolo, & pompis ejus in Baptiſmo abrenuntient; ſpectacula vero, & Comœdiæ ad pompas diaboli pertineant. 2. Quod ſpectacula commoveat pravos affectus, & cupiditates, in quibus compeſcendis, & coercendis toto vitæ decurſu laborare ſummo ſtudio, ſummaque vigilantia Chriſtiani debent. 3. Quod chriſtianæ pietatis ſenſum in ſpectatorum animis ſenſim extinguant, virtutumque nervos diſſolvant. 4 Quod ad profanos amores, ac voluptates emolliant animos Chriſtianorum, qui voluptatem fugere debent, cum nulli rei niſi pœnitentiæ nati ſint, & Chriſto crucifixo conformari. Quod ſint occaſiones peccati, libidinis irritamenta, multique ex ipſis pejores, nullus melior redire ſoleant. Quod e gentilium moribus originem ſpectacula duxerint.

Præcipua, argumenta, quæ Chriſtianos a ſpectaculis deterrere debent.

Ita *Tertullianus* lib. *De Spectaculis*, cap. 1. „„ Qui ſtatus fidei, quæ ratio veritatis, quod præſcriptum diſciplinæ inter cætera ſecularium errorum, etiam ſpectaculorum voluptates adjuvat, Dei ſervi cogno-

ſcite, qui cum maxime ad Deum accediti; recognoſcite, qui jam acceſſiſſe vos teſtificati, & confeſſi eſtis, ne aut ignorando, aut diſſimulando quis peccet. Tanta eſt enim voluptatum vis, ut ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem „ „.

Et cap. 3. „ „ Quorumdam fides aut ſimplicior, aut ſcrupuloſior ad hanc abdicationem ſpectaculorum de Scripturis auctoritatem expoſcit, & ſe in incertum conſtituit, quod non ſignificanter, neque nominatim denuntietur ſervis Dei abſtinentia hujuſmodi. Plane nuſquam invenimus, quemadmodum aperte poſitum eſt, non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes; ita exerte definitum, non ibis in circum, non in theatrum, agonem, munus non exſpectabis. Sed invenimus ad hanc quoque ſpeciem pertinere illam primam vocem David: *Felix vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, nec in cathedra peſtium ſedit* „ „.

Pſalm. 1.

Spectacula cupiditatum, & voluptatum incentivum.

Ibidem cap. 4. „ „ Quaſi parum etiam de ſpectaculis pronuntietur; cum concupiſcentia ſeculi damnatur. Nam ſicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ, ita & voluptatis concupiſcentia eſt; ſpecies autem voluptatis ſpectacula „ „.

Spectacula pertinent ad pompas diaboli, quibus in Baptiſmo renuntiavimus.

Et paulo poſt: „ „ Ad principalem auctoritatem convertar ipſius ſignaculi noſtri. Cum aquam ingreſſi chriſtianam Fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompæ, & Angelis ejus, ore noſtro conteſtamur. Quod erit ſummum, atque præcipuum, in quo diabolus, & pompæ, & Angeli ejus cenſeantur, quam idololatria?... Igitur ſi ex idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitate præjudicatum erit etiam ad ſpectacula pertinere renuntiationis noſtræ teſtimonium in lavacro, quæ diabolo, & pompæ, & Angelis ejus ſint mancipata „ „.

Theatrum ſacrarium Veneris.

Cap. 10. „ „ Theatrum proprie ſacrariorum veneris eſt. Hoc denique modo, id genus operis in ſeculo evaſit. Nam ſæpe Cenſores nascentia, cum maxi-

me

me theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant „„.

Spectacula cupiditates excitant.

Cap. 15. „„ Et ſi quid modeſte, & probe ſpectaculis fruitur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt, ſine tacita ſpiritus paſſione. Nemo ad voluptatem venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt affectus. Cæterum ſi ceſſat affectus, nulla eſt voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil conſequitur. Puto autem etiam vanitas extranea eſt nobis. Quid quod, & ipſe ſe judicat, inter eos poſitus, quorum ſe ſimilem nolens, utique deteſtatorem confitetur? Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & talia facientibus non conferamus. *Si furem* (inquit) *videbas, concurrebas cum eo.* Utinam ne in ſeculo quidem, ſimul cum illis moraremur! Sed in ſecularibus ſeparamur, quia ſeculum Dei eſt, ſecularia autem diaboli „„.

Spectacula Dei oblivionem inducunt.

Cap. 25. „„ An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo? Pudicitiam diſcet attonitus in Mimos? Imo in omni ſpectaculo nullum magis ſcandalum occurret, quam ille ipſe mulierum, & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in ſpectaculo ineundo prius cogitat, niſi videri, & videre. Sed Tragædo vociferante, exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit? Et inter effœminati hiſtrionis modos Pſalmum ſecum commiſcetur? Avertat Deus a ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem. Quale eſt enim de Eccleſia Dei in Eccleſiam diaboli tendere? De cœlo, quod ajunt in cœnum? Illas manus, quas ad Deum extuleris poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare „„?

Cum diabolo communicat, qui ſpectacula frequentat.

Cap. 26. „„ Cur ergo non hujuſmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit Domino teſte, ejus mulieris, quæ theatrum adiit,

& inde cum dæmonio rediit. Itaque in Exorciſmo, cum oneraretur immundus Spiritus, quod auſus eſſet fidelem ingredi: conſtanter, & juſtiſſime quidem (*inquit*) feci. In meo eam inveni. Conſtat & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte, qua Tragædum audierat, cum exprobratione nominatim Tragædi, nec ultra quintum diem eam mulierem in ſeculo fuiſſe... Quot utique, & alia documenta ceſſerunt de his, qui cum diabolo apud ſpectacula communicando, a Domino exciderunt? Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire. Quid luci cum tenebris? Quid vitæ, & morti „„?

Cap. 27. „„ Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti, illam Cathedram peſtilentiarum, ipſumque aerem, qui deſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratum? Sint dulcia licet & grata. & ſimplicia, etiam honeſta quædam, nemo venenum temperat felle, & helleboro, ſed conditis pulmentis & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit, ita & diabolus lethale, quod conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia perinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de ranunculo venenato; nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem „„.

Chriſtianus a ſeculi voluptate alienus eſſe debet.

Cap. 28. „„ Seculum gaudebit, dicit Dominus, vos triſtes eritis. Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Chriſtiane, ſi & in ſeculo voluptatem concupiſcis, imo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem, Philoſophi quidam hoc nomen quieti, & tranquillitati dederunt, in eo gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi ſcenas ſuſpiras? Dicas velim, non poſſumus videre ſine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod eſt aliud votum noſtrum, quam quod & Apoſtoli, exire de hoc ſeculo, & recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi & votum „„.

Mina-

Minutius Felix, in *Octavio*, eamdem Moralis chriſtianæ Regulam confirmat. „ „ Nos (*inquit*) qui moribus, & pudore cenſemur, merito malis voluptatibus in pompis veſtris abſtinemus; quarum & de Sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis currulibus quis non horreat populi in ſe rixantis inſaniam? In gladiatoriis homicidii diſciplinam? In ſcœnicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior? Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat. Nunc enervis hiſtrio amorem, dum fingit, infligit „ „. Hiſtrio amorem dum fingit, infligit.

Idem confirmat *S. Cyprianus*, Epiſt. 1. ad Donatum. „ „ Converte (*inquit*) vultus ad diverſa ſpectaculi non minus pœnitenda contagia; in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere; de parricidiis, & inceſtis horror antiquus expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſeculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu fieri poſſe, quod factum eſt. Nunquam ævi ſenio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam ſcelus oblivione ſepelitur. Exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. Tum delectat in mimi tupitudinem magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari?... Evirantur mares, honor omnis, & vigor ſexus enervati corporis dedecore mollitur, pluſque illic placet, quiſquis virum in feminam magis fregerit; in laudem creſcit ex crimine, & peritior, quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter. Quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam Spectaculorum pœnitenda contagia.

fortiorem; nec deeſt probri blandientis auctoritas, ut auditu molliore pernicies obrepat „ „.

Plura in eamdem ſententiam leguntur lib. *De Spectaculis* ſub ejuſdem *S. Cypriani* nomine edito, & apud *Lactantium* lib. 6. *Inſtitutionum Divinarum* cap. 20, 21. & 22.

Spectacula ſunt occaſiones peccatorum.

Idem chriſtianæ diſciplinæ caput confirmat *S. Joan. Chryſoſtomus*, Hom. 15. ad populum Antiochenum. „ „ Plerique (*inquit*) putant non conſtare, quod in theatra aſcendere peccatum ſit: ſed infinita vitæ mala ſolet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit... Ne tantum itaque peccata fugiamus, ſed ea etiam, quæ videntur indifferentia, quæ paullatim in hæc peccata nos pertrahunt. Nam qui juxta præcipitium vadit, quamvis non decidat, tremit, & ſæpe numero ab ipſo ſubverſus timore decidit; ita & qui non procul peccata fugit, ſed ſecus ipſa vadit, cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæpius „ „.

A ſacris veſtibulis arceri merentur, qui ſpectacula frequentant.

Et Hom. 3. *De Davide, & Saule* idem tractans argumentum: „ „ Arbitror (*inquit*) multos ex his, qui heri nos deſtituerant, & ad iniquitatis ſpectacula diſceſſerant, hodie præſentes eſſe. Optarem autem illos, qui ſint, palam noſſe, ut eos a ſacris veſtibulis arceam, non ut perpetuo foris maneant, ſed ut correcti denuo redeant. Quandoquidem & patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & a menſa ſubmovent, non ut ſemper illinc exulent, ſed ut hac correptione redditi meliores, cum debita laude, & honore in paternum redeant contubernium „ „. Et infra, reos eſſe ait adulterii pleroſque eorum, qui ſpectacula frequentant. „ „ *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiſcendum ipſam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* (inquit Chriſtus.) Quod ſi mulier ſponte, ac forte in foro obvia, & neglectius culta ſæpe numero curioſius intuentem cœpit ipſo vultus aſpectu; iſti, qui non ſimpliciter, neque fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoque contemnant, & hujus rei gratia pergunt illuc, & totum ibi deſi-

Matth. 5.

Theatrum impudicitiæ ſchola.

den-

dentes diem, in facies abjectarum feminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere, quod eas non viderint ad concupiſcendum? Ubi verba quoque accedunt fracta, laſcivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitant. Etenim ſi hic ubi Pſalmi, ubi divinorum eloquiorum enarratio, ubi Dei metus, multaque reverentia, frequenter, ceu latro quiſpiam verſutus clam obrepit concupiſcentia, quomodo qui deſident in theatro, qui nihil ſane neque audiunt, neque vident, ſed multa defluunt turpitudine, multa nequitia; qui undique obſidionem patiuntur per aures, per oculos, poſſint illam ſuperare concupiſcentiam? Rurſum ſi non poſſunt, quomodo poterunt unquam ab adulterii crimine abſolvi? Tum, qui liberi non ſunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt abſque pœnitentia ad hæc ſacra veſtibula accedere, hujuſque præclari conventus eſſe participes? Quapropter hortor, rogoque, ut prius Confeſſione, ac pœnitentia, aliiſque remediis omnibus ſeſe a peccato ex theatricis ſpectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant ſermones. Neque enim hic a nobis mediocriter delinquitur... Non metuis, o homo, non expaveſcis, dum oculis, quibus illic lectum, qui eſt in orcheſtra, ſpectas, ubi deteſtandæ adulterii fabulæ peraguntur, iiſdem hanc ſacram menſam intueris, ubi tremenda peraguntur myſteria? dum iiſdem auribus audis; & ſcortum oſcœna loquens, & Prophetam ad arcana Scripturæ introducentem; dum eodem corde & lethalia ſumis venena, & hanc Hoſtiam ſanctam, ac tremendam? Annon hæc ſunt vitæ ſubmerſio, conjugiorum corruptelæ, bella, pugnæque ac rixæ in domibus?... Quapropter rogo vos omnes, ut & ipſi pravas in ſpectaculis commorationes vitetis, & alios ab his retrahatis. Quidquid enim illic geritur, non eſt oblectatio, ſed pernicies, ſed ſupplicium... Quid prodeſt illa temporaria voluptas, dum hinc perpetuus naſcitur dolor, dum nocte pariter, ac die a concupi-

piſcentia ſtimulari?... Excute igitur te ipſum, r
tans qualis fias ab Eccleſia rediens, rurſus qu
ſpectaculis, atque hos dies cum illis conferas; (
ſi feceris, nihil opus eſt meo ſermone; ſatis (
fuerit hunc diem cum illo comparaſſe, ad o
dendum, & quam magna ſit hinc utilitas, & q
ſit illinc noxa „ „. Legatur ejuſdem Hom. 6. &
in *Matthæum*.

Qui in via Dei ambulat, ſpectaculorum vanitates fugit.

Idem confirmat *S. Ambr.* Serm. 5. in Pſalm.
„ „ Qui in via Dei eſt (*inquit*) vanitates non
cit. Via perfecta Chriſtus eſt. Qui igitur in Ch
eſt, quomodo poteſt vanitates aſpicere; cum C
ſtus in carne ſua omnes mundi hujus crucifi
vanitates? Avertamus igitur oculos noſtros a v
tatibus, ne quod oculus viderit, animus conc
ſcat. Myſtica enim differamus interim. Utinam
interpretatione poſſimus revocare ad diverſa Cir
ſium ludorum, atque theatralium ſpectacula
pantes. Vanitas eſt illa, quam cernis. Pantomim
aſpicis, vanitas eſt... Ante nos eſt Chriſtus,
nos bravium ejus, ad quod pervenit, qui non
incertum cucurrit, nec revocavit curſum ſuum,
incitavit. Ad hunc dirige oculos tuos, averte a
ſtaculis, averte ab omni ſeculari pompa „ „. L
ejuſdem librum *De Fuga ſeculi*, cap. 1.

His concordat *S. Auguſt.* Epiſt. 138. alias 5. ad
cellinum, cap. 2. „ „ Perverſa (*inquit*) & averſa
da mortalium, felices res humanas putant, cum
ctorum ſplendor attenditur, & labes non attend
animorum; cum theatrorum moles extruuntur
effodiuntur fundamenta virtutum; cum glorioſa
effuſionis inſania, & corpora miſericordiæ deridet
cum ex his, quæ divitibus abundant, luxurian
hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes; c
Deus, qui doctrinæ ſuæ publicis vocibus contra
malum publicum clamat, ab impiis populis blaſp
matur, & Dii tales requiruntur, in quorum ho
rem ea ipſa theatrica corporum, & animorum
decora celebrentur. Hæc ſi Deus pollere permitt

tan

tune indignatur gravius; hæc ſi impunita dimittat, tunc punit infeſtius „„.

Et Enarratione in Pſal. 39. illum Verſum explicans: *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, ait: „„ Ecce qua volebas ire, ecce turba viæ latæ; non fruſtra ipſa ducit ad Amphiteatrum, non fruſtra ipſa ducit ad mortem. Via lata mortifera eſt; latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus anguſtus in æternum; ſed turbæ ſtrepunt, turbæ feſtinant, turbæ collætantur, turbæ concurrunt. Noli imitari, noli averti, vanitates ſunt, & inſaniæ mendaces... Forte nobis dicturus eſt, qui verſu iſto percuſſus corrigi voluerit, & quem occupaverit timor ille juſtitiæ fidei, & volens cœperit ambulare anguſtam viam; dicturus eſt nobis, ambulare non durabo, ſi nihil ſpectabo. Quid ergo facimus? Dimiſſuri eum ſumus ſine ſpectaculo? Morietur, non ſubſiſtit, non nos ſequetur. Quid ergo facimus? Demus pro ſpectaculis ſpectacula. Et quæ ſpectacula daturi ſumus chriſtiano homini, quem volumus ab illis ſpectaculis revocare?... Ecce averſus fuerit a circo, a theatro, ab amphiteatro, quærat, quod ſpectet, prorſus quærat; non eum relinquimus ſine ſpectaculo. Quid pro illis dabimus? Audi, quid ſequitur: *Multa feciſti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei. Multa fecit Dominus mirabilia ſua, hæc reſpiciat. Quare illi viluerunt „„?

Ad hos accedit *Salvianus* Maſſilienſis Presbyter libro 6. De Providentia. „„ *Chriſtus* (inquit Scriptura) *pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus.* Videlicet vegiſtia Salvatoris ſequimur in circis? Veſtigia Salvatoris ſequimur in theatris? Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum, quem fleviſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc utrumque pro nobis; quia fletus compunctio eſt animæ, riſus corruptio diſciplinæ; & ideo dicebat: *Væ vobis, qui ridetis, quoniam flebitis; & beati, qui fletis, quoniam ridebitis.* Nobis autem ridere, Lucæ 6.

&

& gaudere non ſufficit, niſi cum peccato, atqu
ſania gaudeamus; nili riſus noſter impuritatibus
flagitiis miſceatur? Quis rogo, hic error eſt,
Non eſt innocens lætitia, quæ ſpectaculis quæritur. ſtultitia? Nunquid lætari aſſidue, & ridere non
ſumus, niſi ritum noſtrum, atque lætitiam ſcelu
faciamus? An forte intructuoſum putamus gau
ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Quoc
go, hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus q
libet immenſuratim, lætemur quamlibet jugiter, c
modo innocenter. Quæ vecordia eſt, & amer
ut non putemus riſum, & gaudium tanti eſſe
in ſe Dei habuerit injuriam? Injuriam utique, &
ximam. In ſpectaculis enim quædam apoſtaſia
eſt, & a Symbolo ipſius, & cœleſtibus Sacram
lethalis prævaricatio. Quæ eſt enim in Baptiſmo
tari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcil
niſi ut renuntiare ſe diabolo, & pompis ejus, a
Spectacula pompæ diaboli, ſpectaculis, & operibus proteſtentur? Ergo ſpec
la, & pompæ etiam juxta noſtram profeſſionem
ra ſunt diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpect
poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli
fiteris? Renuntiaſti ſemel diabolo, & ſpectaculis e
ac per hoc neceſſe eſt, ut prudens, & ſciens, du
ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cogno
Utrique enim rei ſemel renuntiaſti, & unum ut
que eſſe dixiſti. Si ad unum reverteris, ad utrun
remeaſti. Abrenuntio enim (*inquis*) diabolo, p
pis, ſpectaculis, & operibus ejus. Et quid poſ
Spectaculorum frequentatione chriſtiana fides labefactatur. Credo (*inquis*) in Deum Patrem omnipotenten
in Jeſum Chriſtum Filium ejus. Ergo primum re
tiatur diabolo, ut credatur Deo; quia qui no
nuntiat diabolo, non credit Deo; & ideo, qui re
titur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus a
in ſpectaculis eſt, & pompis ſuis: ac per hoc cum
dimus ad ſpectacula, relinquimus fidem Chriſti.
itaque modo omnia Symboli ſacramenta ſolvun
& totum, quod in Symbolo ſequitur, labefactatu
nutat. Nihil enim ſequens ſtat, ſi principale nor
terit. Dic igitur tu, Chriſtiane, quomodo tene

ſequentia ſymboli putas, cujus principia perdidiſti?... Si cui itaque leve ſpectaculorum crimen videtur, reſpiciat cuncta iſta, quæ diximus, & videbit in ſpectaculis, non voluptatem eſſe, ſed mortem. Quid eſt enim aliud, quam mortem incurrere, vitæ originem perdidiſſe? Ubi enim fundamentum ſymboli evertitur, vita ipſa jugulatur. Rurſum ergo neceſſe eſt redeamus ad illud, quod ſæpe diximus. Quid ſimile apud Barbaros? Ubi apud illos circenſes? Ubi theatra? Ubi ſcelus diverſarum impuritatum? Hoc eſt ſpei noſtræ, ac ſalutis excidium; quibus illi etſi, utpote Pagani, uterentur, minore tamen culpa ſacræ offenſionis errabant; quia etſi eſſet impuritas viſionis, prævaricatio tamen non erat Sacramenti. Nos vero quid reſpondere pro nobis poſſumus? Tenemus ſymbolum, & evertimus; confitemur munus ſalutis pariter, & negamus. Ac per hoc ubi Chriſtianitas noſtra, qui ad hoc tantummodo Sacramentum ſalutis accipimus, ut majori poſtea prævaricationis ſcelere peccemus? Nos Eccleſiis Dei ludicra anteponimus; nos altaria ſpernimus, & theatra honoramus Omnia denique amamus, omnia colimus; ſolus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt. Denique præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipſa, quam dico. Si quando enim evenerit, ut eadem die & Feſtivitas eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conſcientia, quis locus majores chriſtianorum virorum copias habeat, caveæ ludi publici, an atrium Dei? Et templum magis omnes ſectentur, an theatrum? Dicta Evangeliorum magis diligant, an thymelicorum? Verba vitæ, an verba mortis? Verba Chriſti, an verba mimi? Non eſt dubium, quin illud magis amemus, quod anteponimus... Omni enim feralium ludicrorum die, ſi quælibet Eccleſiæ feſta fuerint, non ſolum ad Eccleſiam non veniunt, qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt; ſed ſi qui inſcii forte venerint, dum in ipſa Eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, Eccleſiam derelinquunt. Spernitur Dei templum, ut curratur

ad

ad theatrum ; Eccleſia vacuatur , circus impletur ; Chriſtum in altario dimittimus, ut adulterantes viſum impiiſſimos oculos ludicrorum turpium tornicatione paſcamus „ „.

REGULA VIII.

Saltationes, & Choreæ periculoſæ ſunt caſtitati , & innocentiæ chriſtianæ ; eoque nomine vitandæ ſunt a Fidelibus.

Hanc Regulam tradunt *S. Carolus Borromæus* in Tractatu adverſus choreas edito ; ubi hanc mundanæ choreæ definitionem approbat : „ „ Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & cujus circumferentia ſunt Angeli ejus circumſtantes ; & ideo (*inquit*) raro, vel nunquam ſine peccato fit „ „ ; & *S. Franciſcus Saleſius* introductionis ad vitam devotam, cap. 33. Et merito, ſunt enim occaſiones impudicitiæ , cum eo conveniant mulieres toto cultu , mundoque muliebri ornatæ, ut viris placeant ; viri ut mulierum pulchritudine , colloquiis , ſaltatione , omnibuſque illecebris paſcant oculos, aures, animos, quibus ad profanum amorem illiciti, ad libidinem excitari proclive eſt ; maxime cum noctu vulgo fiant choreæ, quod tempus eſt operibus tenebrarum opportunum. Hinc Spiritus ſanctus a choreis, & ſaltationibus homines deterret, Eccleſ. 9. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Quamvis autem caſtæ forte ſint mulieres choreas frequentantes , occaſionem tamen peccandi ſuis illecebris ſubminiſtrant ; & præterea vanitati ſaltem , & ſuperbiæ, aliiſque malis ſe exponunt. Ibi enim aut *Luxuria negotiatur* , aut *gloria inſoleſcit* , ut Tertulliani verbis utar.

In Choreis diabolus ſaltat.

Hanc Regulam confirmant SS. Patres, præſertim *S. Joan. Chryſoſtomus* , Hom. 49. in *Matthæum* , ubi de *Herodiade* loquens : „ „ Diaboli (*inquit*) ula patrocinio petitionem pergit ; ille enim effecit, ut ipſa ſal-

ſaltans placeret, ille mentem Herodis eripuit. Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi diabolus certe adeſt. Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, ſed ut modeſte incedamus; non ut impudenter camelorum modo ſaliamus, ſed ut in Angelorum choris conſiſtamus. Quod ſi corpus deforme fit impudenter ſaliendo, quanto magis animam fœdari credendum eſt? His tripudiis diabolus ſaltat, his a dæmonum miniſtris homines decipiuntur. *Et poſt multa*: Multa etiam nunc hujuſmodi ſympoſia celebrantur: in quibus etſi Joannes non interficitur, Chriſti tamen membra dilaniantur, multoque graviora committuntur. Non enim caput Joannis, qui modo tripudiant, ſed animas recumbentium petunt. Cum enim voluptatum ſervos effecerint, & illicitis meretricum amoribus occuparint, non caput a cervicibus, ſed animam a Chriſto disjungunt, adulteros, & enerves, ac effœminatos ſpectatores reddentes „ „. Fœdatur anima.

S. Epiphanius in expoſitione fidei catholicæ, Eccleſiæ ſanctiſſimam diſciplinam cap. 24. exponens, inquit, *theatra, equeſtres ludos, ac Muſica ſpectacula damnat.* Muſica ſpectacula damnat Eccleſia.

S. Ephrem Syrus, Homilia, cujus argumentum eſt: *Chriſtianos a ludricis rebus abſtinere oportere*, ait: „ „ Nolite errare, nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire. Nemo poteſt Deo ſervire, ac cum diabolo choreas ducere. Ad imaginem Dei facti ſumus, non dedecoremus imaginem Dei; ſed tanquam milites Chriſti illum ſequamur, illi ſerviamus. Noli hodie pſallere cum Angelis, & craſtino die in tripudiis eſſe cum dæmonibus. Noli hodie ſacras lectiones audire tanquam Chriſto dilectus auditor, & cras cytharis intentus eſſe, ut prævaricator, & Chriſti inimicus. Noli hodie pœnitere de peccatis, & cras in perditionem tuam ſaltare in choreis „ „.

S. Ambroſius, lib. 3. *De Virginibus*, cap. 5. „ „ Ibi (*inquit*) intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes deliciarum eſt extrema ſaltatio. Nemo, ut dixit quidam ſecularium Doctor, ſaltat ſobrius, niſi inſanit. Chorearum pericula.

ſanit. Quod ſi juxta ſapientiam ſecularem ſaltationis aut temulentia auctor eſt, aut amentia; quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes Prænuntius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam ſacrilegi furoris amentiam „„? Et cap 6 de Herodiadis filia coram Herode ſaltante ſic loquitur: „„ Reginæ filia intimis mandata ſecretis, in conſpectu virorum ſaltatura producitur. Quid enim potuit de adultera diſcere, niſi damnum pudoris? An quidquam eſt tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus ea, quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare oculis, rotare cervicem, comam ſpargere. Merito inde in injuriam divinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur?... Quid dicetis vos, ſanctæ feminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem „„.

Choreæ, & ſaltationes chriſtianæ innocentiæ periculoſæ.

Chriſtianos vel in ipſis nuptiis ſaltare, Synodus Laodicena prohibuit olim Canone 51. *Publicas mulierum ſaltationes, multam noxam, exitiumque afferentes* vetuit Concilium Trullanum, Canone 62. *S. Carolus Borromæus* non ſolum in Tractatu ſingulari ex Patrum, & Conciliorum teſtimoniis contexto ſaltationes chriſtianæ innocentiæ periculoſas eſſe docet, ſed & in libro *Memoriali* P. 2. cap. 6. „„ Valeant (*inquit*) execrandæ illæ publicæque ſaltationes, Chriſtianorum caſtitati adeo exitioſæ, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices, & occaſiones, imo cujuſcunque laſciviæ ſeminaria. Quid plura? Ex ejuſmodi ſaltantium conſortiis oriuntur corporum, famæ, rerum, & chriſtianæ denique poſthac diſciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo choreæ, & una cum his tot aliæ morum corruptelæ, quibus hoc maxime tempore ſolet ſatanas hominum mentes ſuo imperio vindicare, prorſus abrogentur „„. Idem

Idem in inſtructione Prædicatorum verbi Dei: „„ Choreas (*inquit*) ſaltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de ſuggeſtu ſæpe graviter reprehendet, atque inſectabitur „„.

REGULA IX.

Tactus impudici, & oſcula libidinoſa ſunt peccata mortalia.

Tactus impudici, & oſcula libidinoſa.

Hæc Regula nititur verbis Apoſtoli ad *Epheſios* 5. ſcribentis: *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes; quod omnis fornicator, aut immundus... non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Turpitudinis exemplum *Oſcula, & amplexus* affert Gloſſa vetus a *Petro Lombardo*, & *S. Thoma* laudata.

Eamdem Regulam confirmant SS. Patres, præſertim *S. Cyprianus*, Epiſtola 62. ad Pomponium. „„ Et ſi (*inquit*) incorrupta fuerit virgo ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe, potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, quæ violari poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certe ipſe concubitus, ipſe *Complexus*, ipſa confabulatio, & *Oſculatio*, & conjacentium duorum turpis, & fœda dormitio quanto dedecoris, & criminis confitetur „„?

S. Ambroſius, lib. *De Fuga ſeculi*, cap. 1. „„ Quis (*inquit*) inter tot paſſiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus ſeculi tutum, atque intemeratum ſervare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis avertit; audivit auris, & intentionem inflexit; inhalavit odor, & cogitationem impedivit; os libavit, & crimen retulit; tactus contigit, & ignem adolevit. *Intravit mors per feneſtram*, dixit Propheta. Feneſtra tua eſt oculus tuus. Si vides mulierem ad concupiſcendum, intravit mors; ſi audias ſermones Jerem. 9.

meretricios, intravit mors; ſi luxuria ſenſus tuos capiat, penetravit mors „„:

Et Serm. 5. *in Pſal.* 118. „„ Non eſt (*inquit*) una feneſtra, per quam mors conſuevit intrare. Eſt & feneſtra verborum, per quam ſermones commeant meretricis. Et ideo te ab aliena uxore cuſtodi, ne te ſermonibus gratioſis adoriatur; a feneſtra enim domus ſuæ intrat. Intrat mors per oſcula; & ideo cave, ne te laqueis labiorum ſuorum alliget. Intrat mors, ſi meretrix te oſculetur „„.

Idem lib. 3. *De Virginibus* c. 3. „„ An vero (*inquit*) mediocre pudoris exemplum eſt, quod Rebecca, cum veniret ad nuptias, & ſponſum vidiſſet, velamen accepit, ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, ſed pudori. Quid Rachel? quemadmodum extorto oſculo, flevit, & gemuit; nec flere deſtitiſſet, niſi proximum cognoviſſet „„. Conſuetudinis enim fuit maxime in illa ſimplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas oſcularentur, & hoc hodie fit in multis locis (inquit *S. Auguſtinus*, qu. 87. in Geneſim.)

S. Hieronymus in vita *S. Hilarionis*, tactum, jocos, nutus, & cætera hujuſmodi vocat *Morituræ virginitatis principia.* Quidni vero libidinoſis oſculis, tactibus lethale vulnus animæ infligi ſenſiſſet, quid de verbis, & literulis amatoriis, munuſculis, ori applicitis cibis, aliiſque blanditiis ita ſcribit Ep. 2. ad Nepotianum? „„ Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos, ac deguſtatos cibos, blandaſque, & dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias, & lepores, & riſu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in Comœdiis erubeſcimus, in ſeculi hominibus deteſtamur. Quanto magis in Monachis, & in Clericis, quorum & ſacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem; ſed quod in omni propoſito, in omni gradu, & ſexu, & boni,

&

& mali reperiantur, malorumque condemnatio laus bonorum ſit „„.

S. Auguſtinus, lib. 21. *De Civitate Dei*, cap. 11. „„ Porro (*inquit*) ſi alienæ feminæ oſculum infixum rationis ſit verbere vindicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur „„?

Eamdem Regulam confirmat vetus Pœnitentiale Romanum ab *Antonio Auguſtino* editum, tit. 3. cap. 22. „„ Qui per illecebroſos amplexus feminæ, vel oſculo polluitur, tres dies pœniteat. Qui tetigerit inverecunde carnem ejuſdem feminæ, tres dies pœniteat. Presbyter ſi oſculatus fuerit per immundum deſiderium feminam, decem dies pœniteat. Si inquinatus fuerit, viginti dies pœniteat „„.

Et cap. 27. „„ Si quis obtrectaverit puellæ, aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum, ſi Clericus eſt, quinque dies pœniteat; ſi Laicus, tres dies pœniteat: Monachus, vel Sacerdos a miniſterio divino ſuſpenſi, ſi aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant. Scriptum eſt enim: Neque tetigeritis, neque obtrectaveritis turpitudinem feminarum „„.

Suffragatur *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. 144. art. 4. „„ Minus eſt (*inquit*) aſpectus libidinoſus, quam tactus, amplexus, vel oſculum; ſed aſpectus libidinoſus eſt peccatum mortale, ſecundum illud, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt in corde ſuo*: Ergo multo magis oſculum libidinoſum, & alia hujuſmodi, ſunt peccata mortalia „„. Obſervat deinde *S. Thomas*, aliquid dici peccatum mortale dupliciter; primo ſecundum ſpeciem ſuam, & hoc modo oſculum, amplexus, & tactus non ſunt peccata mortalia; poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ vel propter neceſſariam, ſeu legitimam cauſam. Secundo, aliquid dicitur peccatum mortale ex ſua cauſa; ſic ille, qui dat eleemoſynam alicui, ut illum pertrahat ad hæreſim, mortaliter peccat ob pravam intentionem.

Inconcuſſum porro principium eſt, quod „ „ Conſenſus in delectationem peccati mortalis, eſt peccatum mortale, & non ſolum conſenſus in actum. Et ideo cum oſcula, & amplexus hujuſmodi propter delectationem hujuſmodi fiant, conſequens eſt, quod ſint peccata mortalia; & ſic ſolum dicuntur libidinoſa. Unde ſecundum quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mortalia. *Et in riſponſione ad ſecundam objectionem*; oſcula (*inquit*) & tactus, quamvis ſecundum ſe non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ eſt radix hujuſmodi impedimenti, & ex hoc habent rationem peccati mortalis „ „. Oſcula libidinoſa *S. Thomas* intelligit, quæ ad fornicationem, aut alium actum venereum proxime diſponunt, vel ex illius intentione fiunt, aut certe, quæ delectationem excitant de fornicatione, aut alia ſpecie luxuriæ cogitationi occurrente, in quam animus afficitur, & propendet; vel quæ cum aliqua libidinis commotione volita, vel prævisa, ſeu quæ prævideri potuit, ac debuit, ſive ob delectationem carnalem, & ſenſibilem ex ipſis oſculis ortam, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis, libantur. Nam oſcula ex urbanitate, ex conſuetudine patriæ, ex honeſta amicitia, non ſunt libidinoſa, adeoque nec peccata mortalia.

Hanc regulam rurſus confirmat *S. Thomas*, qu. 15. *De Veritate*, art. 4. „ „ Simpliciter (*inquit*) concedimus, conſenſum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis, peccatum eſſe mortale. Ex quo ſequitur, quod quidquid homo agit ex conſenſu talis delectationis, ad hoc, ut hujuſmodi delectationem nutriat, vel teneat, ſicut ſunt turpes actus, vel libidinoſa oſcula, vel aliquid hujuſmodi, totum eſt mortale peccatum „ „.

Angelico Doctori ſubſcribit *S. Antoninus*, P. 2. tit. 5. c. 1. „ „ Sextus gradus luxuriæ (*inquit*) eſt libidinoſa contrectatio, quæ ſcilicet fit per oſcula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apoſtolus nominat turpitudinem,

cum

cum ait ad Epheſios 5. *Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo non nominetur in vobis.* Omnia talia ſunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra matrimonium; unde Apoſtolus ibi ſubdit: *Omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei.* In tantum enim ſunt peccata amplexus, oſcula, tactus, & ſtultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria; quod in fornicatione, & immunditia notatur. *Et paulo poſt:* De more eſt in aliquibus locis, ut non ſolum viri viros, ſed etiam viri mulieres, præcipue conſanguineas ſuas, cum de novo adveniunt, vel viſitant, amplexentur, & manus mutuo contingant, & oſculentur; ſicut & Jacob Patriarcha oſculatus eſt Rachelem adoleſcentulam amore caſto, ut conſanguineam Necceſſitas quandoque compellit, & tangere totum corpus, & etiam ſecretiora naturæ, ut medicus infirmam in tali parte... Talia non ſunt peccata de ſe, quamvis poſſit ſupervenire & tentatio, & mala intentio; ſed hoc erit per accidens. *Addit ſanctus Archipræſul*: Quæ permittit hæc ſibi fieri ab eo, quem æſtimat ad hoc moveri amore libidinoſo, mortaliter peccat, quia facientem, & conſentientem par pœna conſtringit, ut dicitur *Cauſa 2. quæſt. 1. C. notum*: Sed quæ permittit hoc ſibi fieri, credens talem moveri ex dilectione fraterna, ſeu honeſta amicitia, ſeu quadam humanitate, ſeu more patriæ, non peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per conſequens mortaliter peccaret; & hoc quoad oſcula, amplexus, & dando alter alteri manum, ut moris eſt, quod tamen periculoſum eſt. Et ideo cavendum eſt ab his inter virum, & mulierem, etiam religioſos. *Bonum eſt* (inquit Apoſtolus) *mulierem non tangere.* 1. Cor. 7. Nam, ut dicitur Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem,* cui ſimilis eſt mulier, *inquinabitur ab ea.* Permittere autem ſe tangi in membris genitalibus, niſi ſint conjuges, vel niſi ſubſit cauſa neceſſitatis, ut infirmitas, & hujuſmodi, credo non poſſe excuſari a mortali, cum iſtud non fiat communiter niſi ex amore libidino-

ſo. Et credere, quod hoc fiat pura intentione, eſt fatuitas, non ſimplicitas. Et quamvis prædicta, ſcilicet oſcula, amplexus, & tactus non impediant bonum prolis generandæ, & educandæ, quia ex his præciſe non poteſt ſequi generatio, tamen ipſa procedunt ex libidine, quæ eſt radix hujuſmodi impedimenti; & ſecundum hoc, id eſt, in quantum libidinoſa, ſunt mortalia, & non aliter. *Tum laudat* Ulricum, *cujus ſententiam approbat, & ſequitur, & in Quodlibetis, & in Summa obſervantem, quod* Propterea Apoſtolus, poſtquam reprehendit hujuſmodi vitia, ſcilicet turpitudinem, ut in tactibus, & oſculis, ſtultiloquium, & ſcurrilitatem, connumerans ea inter peccata mortalia manifeſta, quia & ipſa talia ſunt, cum procedunt ex libidine, ſubdit: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis; propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Quod dixit propter quoſdam, qui tunc forte parvipendebant hujuſmodi vitia, ſicut & nunc ſunt aliqui turpes hujuſmodi annihilantes „„. Id confirmat Chriſti verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ubi notat venerabilis *Beda*, viſum accipi pro omni motu ad delectationem veneream extra matrimonium. Ex quibus *Ulricus*, & poſt ipſum *S. Antoninus* colligunt, quod „„ Iſta eſſe peccata mortalia tenendum eſt omnino, non tanquam opinio, de qua aliter ſentire liceat, ſed tanquam veritas ad fidem pertinens, ſicut omnia, quæ pertinent ad bonos mores. Et qui pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet hæreticus, quia eſt contra Scripturam a Sanctis expoſitam „„.

E. h. 5.

Matth. 5.

Propoſitio damnata.

Merito igitur *Alexander VII.* Pontifex maximus inter alias pravi dogmatis propoſitiones & iſtam damnavit, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, die decima octava Martii, ordine quadrageſimam; „„ Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem; quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis „„.

CA-

CAPUT IV.

De ſeptimo Decalogi præcepto.

Infinitum Dei erga humanum genus amorem magis, ac magis prædicandum, ſummaſque gratias illi hoc nomine habendas, atque referendas ab hominibus, tota ſeries præceptorum Decalogi probat, quippe cum non vitam duntaxat, corpuſque noſtrum, & famam, exiſtimationemque illis duobus interdictis: *Non occides, non mœchaberis*, quaſi præſidiis tueatur; ſed etiam hoc præcepto, non furtum facies, tanquam cuſtodia quadam externas res, ac facultates, quæ vulgo vocantur fortunæ bona, muniat, atque defendat. His nempe verbis prohibet Deus, bona hæc noſtra, quæ in ejus tutela ſunt, a quoquam auferri, aut violari.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis præcepti ſenſus; Quid ſit furtum; Quot ejus genera.

I. Hoc præceptum, ut docet Concilii Tridentini Catechiſmus, duas in partes dividitur; quarum altera, quæ furtum vetat, aperte eſt enuntiata; alterius ſententia, & vis, qua jubemur benigni, & liberales eſſe in proximos, in priore occluſa eſt, & involuta. Hoc igitur præceptum violant non fures tantum, & raptores rerum alienarum; ſed & illi, qui pauperum, & inopum neceſſitatem eleemoſynis, pro modo ſuarum facultatum, ſublevare negligunt, & prætermittunt; aut ſi largiri non poſſunt egentibus, quo vitam ſuſtentent, vel ipſis renuunt commodare, juxta Chriſti Domini præſcriptum: *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Lucæ 6.

II. *Furtum a S. Thoma* definitur: *Occulta rei alienæ acceptio.* Quo nomine & injuſta detentio intelligenda eſt. „ Detinere enim id, quod alteri debetur, „ eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione „ injuſta; & ideo ſub injuſta acceptione intelligitur „ etiam Quid ſit furtum.

„ etiam injuſta detentio „ (*inquit S. Thomas*, 2. 2. q. 66. art. 3. in reſponſione ad ſecundam objectionem.)

Nomine autem rei alienæ intelligitur illa, quæ penes alterum eſt tanquam ejus poſſeſſio, ſive ille hujuſce rei proprietatem habeat, ac dominium, ſive uſumfructum; ſive hujus rei cuſtodia illi commiſſa ſit, eamque depoſiti, vel quocunque alio titulo teneat. Unde ſi quis rem propriam, quam alius tenet, vel ut pignus, vel ut depoſitum, vel ut furto ſubtractam, clam accipit, cum illam tamen recuperare poteſt ſervato juris ordine, quodammodo furti reus eſt. Unde *S. Thomas*, articulo mox indicato hanc ſibi proponit objectionem: „, Homo poteſt furtim ab alio accipere etiam, quod ſuum eſt, puta rem, quam apud alium depoſuit, vel quæ eſt ab eo injuſte ablata; non eſt ergo de ratione furti, quod ſit occulta acceptio rei alienæ. *Cui objectioni hunc in modum reſpondet*: Nihil prohibet id, quod eſt ſimpliciter unius, ſecundum quid eſſe alterius; ſicut res depoſita eſt ſimpliciter quidem deponentis, ſed eſt ejus, apud quem deponitur, quantum ad cuſtodiam. Et id, quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis, non ſimpliciter, ſed quantum ad detentionem „„. Et articulo 5. ejuſdem quæſtionis, in reſponſione, ad tertium: „„ Ille (*inquit*) qui furtim accepit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium, qui tenetur ad reſtituendum, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium. Unde manifeſtum eſt, quod peccat, & tenetur ad revelandum gravamen depoſitarii. Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravat eum, qui detinet (& ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad compenſandum) ſed peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & operam dare, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur „„. Si quis tamen juris ſubſidio rem ſuam recuperare non poteſt, ſive ob paupertatem, ſive ob potentiam detinentis, ſive

ob

ob defectum judicis, vel probationum, aut præter ſcandalum, & abſque infirmorum offenſione rem ſuam clam accipere poteſt, furti reus non cenſetur; quia tunc proprie jus ſibi ipſi non dicit, ſed jus naturale circa rem ſuam exequitur, ex quo juris civilis ſubſidio illam recuperare prohibetur. Tenetur tamen efficere, ut qui detinebat, certior fiat, ſe non adſtringi ad illius reſtitutionem; ne, ſi ad pœnitentiam converſus fuerit, damnum incurrat ipſe, aut ejus heres, iterum reſtituendo.

Cæterum furtum non committitur, niſi res aliena, invito præter jus, & rationem domino, accipiatur. Unde qui auctoritate judicis rem alienam accipit, a furti labe immunis eſt. Quam ob rem furti rei non fuerunt Iſraelitæ, qui juſſu Dei, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, tulerunt ſpolia Ægyptiorum, Domino labores eorum compenſante. Unde *Sapientiæ* 10. dicitur: *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.*

Nec furti etiam reus eſt, qui bona fide, præſumptoque non temere domini conſenſu, re aliena utitur; vel animi gratia rem alienam occultat, ut ejus conſervationi dominus cautius, & ſtudioſius invigilet. Qui tamen jocus innoxius non eſt, ſi blaſphemiis, juramentis, imprecationibus, & maledictionibus, judiciis temerariis, aliiſve peccatis occaſionem præbeat.

Furti denique reus non eſt, qui rem alienam aufert, vel occultat, ut ſervet eam domino, & ne fures eam diripiant. Nec rea eſt uxor, quæ in neceſſarios, & honeſtos familiæ uſus clam ſubtrahit pecunias marito, eas alioqui in popinis, & ludis decocturo.

Furtum aliter definit *S. Raymundus* lib. 2. tit. *De Furtis* ex lib. 46. *Digeſtorum*, eod. tit. Lege 1. & lib. 4. *Inſtitutionum* Juſtiniani, tit. 1. „ „ Furtum eſt contrectatio rei alienæ, mobilis, corporalis, fraudulosa, invito domino, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve „ „.

Dicitur *Contrectatio*, quia ſine ea non eſt proprie fur-

furtum, licet interveniat voluntas, verbum, vel ſcriptura; alias ſi concupiſcat rem alienam illicite, ac ſine contrectatione, eſt tranſgreſſor alterius præcepti: *Non concupiſces*, &c. Externa tamen duntaxat furandi actio ſeptimo præcepto non prohibetur, ſed & furandi, ſeu rem alienam contrectandi, uſurpandi, & retinendi voluntas, & animus. Eſt enim ſpiritualis Dei lex, quæ animum fontem cogitationum, & conſiliorum inſpicit. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia.* Et quemadmodum coram Deo reus eſt adulterii, qui mulierem reſpicit ad concupiſcendum eam; ita furti reus eſt, qui rem alienam vult ſubripere, quamvis actio furti in foro exteriori in eum non detur.

Dicitur *rei alienæ*, quia non committitur furtum in re *pleniſſime propria* (inquit *S. Raymundus.*) Pleniſſime dixit, quia ſi alius haberet in re illa jus, puta creditor, cui res eſt pignori obligata, vel commodatarius, vel ſocius, vel ſimilis alia perſona, dominus furtive ſurripiens aliquid tali perſonæ committeret furtum (*Digeſt.* libro 47. eodem tit. L. *Qui re*, §. 1. & L. *Si is, qui rem*, & L. *Si ſocius.*)

Dicitur, *mobilis*, *corporalis*: Quia in rebus immobilibus, vel incorporeis non committitur furtum, cum propter quamdam ſui immenſitatem, vel incorporeitatem contrectari non poſſint; inquit *S. Raymundus.* Res tamen immobiles invadi, & rapi poſſunt, ſed non clam auferri, quod proprie furtum diſtinguit a rapina, & invaſione.

Dicitur *fraudulosa*: Quia ſi quis credebat, rem eſſe ſuam, vel etiam ſciebat eſſe ſuam, & credebat ſibi licere rem ſuam ſubripere, non committit furtum, licet alias teneatur. Ita jure ſancitum eſt, lib. 4. *Inſtit.* tit. *De vi bonorum raptorum*, §. *Ita tamen*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Qui aliquo errore ductus, rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens juris, eo animo rapuerit, quaſi domino liceat etiam per vim rem ſuam auferre a poſſeſſoribus, abſolvi debet. Cui ſcilicet conveniens eſt, nec furti teneri eum, qui eodem hoc ani-

animo rapuit. Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via, per quam raptores impune ſuam exerceant avaritiam, melius divalibus Conſtitutionibus pro hac parte proſpectum eſt, ut nemini liceat vi rapere, vel rem mobilem, vel ſe moventem, licet ſuam eamdem rem exiſtimet. Sed ſi quis contra ſtatuta Principum fecerit, rei quidem ſuæ dominio cadere; ſin autem aliena res ſit, poſt reſtitutionem ejus, etiam æſtimationem ejuſdem rei præſtare „ „.

Nec etiam furti reus eſt, ſi credebat, ſe rem alienam accipere, vel ea uti, domino volente, ſi juſta cauſa ſubeſt credendi dominum permiſſurum. Ita ſancitum eſt *Digeſt.* 47. eod. tit. *Qui re*, 76. & lib. 4. *Inſtit.* tit. *De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur*, §. 7. *dicitur*: „ „ Placuit eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant id invito domino facere, eumque ſi intellexiſſet, non permiſſurum; at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri; optima ſane diſtinctione, quia furtum ſine affectu furandi non committatur „ „. Si autem rem alienam contrectare ſe putat, vel ea uti invito domino, & tamen dominus vult, nihilominus „ „ Furtum facit, quantum ad intentionem, & mortaliter peccat; ſed non tenetur ad reſtitutionem, nec dominus poteſt petere, obſtante ſibi ſua voluntate „ „ (*inquit S. Raymundus.*) Idque confirmat ex Digeſtis, L. *Inter omnes* libro & tit. ſuperius indicatis, §. ultimo. „ „ Per contrarium quæritur. Si ergo me invito domino facere putarem, cum dominus vellet, an furti actio ſit? & ait Pomponius, furtum me facere. Verum tamen eſt, ut cum ego vellem eo uti, licet ignoret, ne furti ſit obligatus „ „.

Dicitur, *Lucri faciendi gratia*: Quia ſi quis alienam ancillam meretricem rapuerit, vel celaverit, non cauſa lucri faciendi, ſed libidinis exercendæ, non committit furtum, licet alias peccet graviter. „ Nec enim „ factum quæritur, ſed cauſa faciendi; cauſa autem „ faciendi libido fuit; non furtum „; ut habetur L. *Verum eſt*, 39. Digeſt. lib. & tit. citatis. Di-

Dicitur denique, *ipſius rei, vel uſus ejus, poſſeſſionisve*; quia non ille ſolum furti reus eſt, qui rei alienæ dominium vult lucrifacere ſic furtive, ſed etiam, qui uſum, vel poſſeſſionem rei, ut habetur in Digeſtis, L. *Qui jumenta*, lib. & tit. indicatis *Qui jumenta ſibi commodata longius duxerit, alienave re invito domino uſus ſit, furtum facit.* Et lib. 4. *Inſtit.* tit. *De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur*, §. 6. ſcriptum eſt. „ „ Furtum autem fit, non ſolum cum quis intercipiendi cauſa rem alienam amovet, ſed generaliter cum quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque ſive creditor pignore, ſive is, apud quem res depoſita eſt, ea re utatur; ſive is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quam cujus gratia ei data eſt, furtum committit, veluti ſi quis argentum utendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregre ſecum tulerit, aut ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi longius aliquo duxerit; quod Veteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum duxiſſet „ „.

Variæ furti ſpecies.

III. Variæ ſunt furti ſpecies, pro varietate rerum, quæ invitis, & inſciis dominis auferuntur.

Furtum ſimplex.

Prima dicitur *Furtum ſimplex*, quo privatum quid privato injuſte, & clanculum adimitur.

Peculatus.

Secunda dicitur *Peculatus*, quo publicæ pecuniæ intervertuntur. Hujus criminis rei ſunt, qui publicam pecuniam in uſus aliquos acceptam retinuerint, nec erogaverint; qui aliquid in tabulis publicis deleverint, vel induxerint, aut minorem in iis pecuniam ſcripſerint, quam quid vænierit, aut locatum fuerit; item qui prædam ab hoſtibus captam ſubripuerint. Ejuſdem ſceleris reus eſt, qui, quod fiſco debetur, accepit, ſimulans ſe fiſci creditorem, quamvis privatam pecuniam abſtulerit; ſed Peculatus nequaquam committitur, ſi exigam ab eo pecuniam, qui & mihi, & fiſco debet; non enim pecunia fiſci intercipitur, quæ debitori ejus autertur, cum fiſci debitor nihilominus maneat. Iſta conſtant ex L. *Lege Julia*, 1. L. *Qui tabulam*, 8. L. *Sacrilegi*, 9. §. 3. L. *Hac lege*

ge 10. L. *Peculatus*, 12. L. *Is, qui prædam*, 13. Digeſtorum 48. tit. 13. *Ad legem Juliam Peculatus, &c.* Peculatus etiam rei ſunt, qui iniquas exactiones imponunt, ſuggerunt, vel juſta vectigalia inæqualiter diſtribuunt; qui publica vectigalia, & tributa defraudant; nec non Publicani, qui *amplius* exigunt, quam quod ipſis a Principe, vel republica conſtitutum eſt (ut loquitur *S. Joannes* Baptiſta Publicanorum interrogationi reſpondens Lucæ 3. 12.)

Plagium.

Tertia furti ſpecies eſt *Plagium*, quo homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem adducitur, venditur, donatur, vel permutatur. Quo de ſcelere *Exodi* 21. 17. ſcriptum eſt: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Et S. Paulus 1. ad *Timotheum* 1. ait *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, Plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.* De his quoque velut capitalis criminis ſtatuit jus civile, *Digeſtorum* lib. 48. tit. 6. *Ad Legem* Flaviam *De Plagiariis*, L. *Si liberum*, 1. & L. *Lege Flavia.*

Sacrilegium.

Quarta furti ſpecies eſt *Sacrilegium*, quo res ſacra eripitur, vel etiam profana a loco ſacro injuſte auferetur; aut bona, quæ Sacrorum cultui, & Eccleſiæ miniſtris, & pauperum uſui pie, ac ſapienter attributa ſunt, in privatas cupiditates, perniciosaſque libidines ab ipſis Eccleſiæ miniſtris convertuntur, ut ait Concilii Tridentini Catechiſmus. De hac furti ſpecie *S. Auguſtinus*, Tract. 50. in Joannem: „ „ Ecce fur Judas (*inquit*) fur, & ſacrilegus. Non qualiſcunque fur; fur loculorum, ſed dominicorum; loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunque furti, & peculatus (Peculatus enim dicitur furtum de republica; & non ſic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ) Quanto vehementius judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non undecumque tollere, ſed de Eccleſia tollere?

Qui

Qui aliquid de Eccleſia furatur, Judæ perdito comparatur „„. Sacrilegium apud veteres publicæ pœnitentiæ addictum, conſtat ex Epiſtola canonica *S. Gregorii Nyſſeni* ad *Letojum*, Canone 8. Sacrilegii rei ſunt religioſi viri, & Moniales, quæ contra ſanctitatem voti ſui, quo paupertatem Deo voverunt, aliquid furantur, ſeu rem ſibi collatam ſine Superioris conſcientia, & facultate detinent. Unde *S. Auguſtinus* in regula ait: *Quæ autem rem ſibi collatam celaverit, furti judicio condemnatur.* Quod furtum ſacrilegium eſſe confirmat *Hugo Victorinus* in expoſitione ejuſdem Regulæ: „ Frater (*inquit*) qui rem „ ſibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum te„net in Eccleſia ſancta „.

Abigeatus. Quinta furti ſpecies dicitur *Abigeatus*, qui ovium, equorum, & aliarum id genus pecudum injuſta, & doloſa abductio eſt. Quod crimen leges civiles peculiari pœna plectunt, eo quod hujuſmodi pecora ea facilitate, qua res aliæ cuſtodiri non poſſint, cum per agros, & prata ut plurimum divagentur. *Abigei* ergo hi proprie dicuntur, „„ qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahunt; & quodammodo deprædantur, & abigendi ſtudium quaſi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Cæterum ſi quis bovem aberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit, non eſt abigens, ſed fur potius „„. Magis autem reus eſt: *Qui a ſtabulo abegit domitum pecus, non a ſylva, nec grege*; ut habetur *Digeſtorum* lib. 47. tit. 14. *De Abigeis*, lib. 1. & 3.

Rapina peccatum a furto ſpecie diſtinctum. Sextam furti ſpeciem plerique *Rapinam* aſſignant; ſed hæc eſſe peccata ſpecie diſtincta, docet *S. Thomas* 2. 2. quæſt. 46. art. 4. „„ Furtum *enim*, & rapina (*inquit*) ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio eſt involuntaria ex parte ejus, cui aliquid ſubtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, ſcilicet per ignorantiam, & per violentiam „„. Primum ad furtum, ſecundum ad rapinam pertinet. Fur enim clam aliquid ſurripit domino neſcienti.

Ra-

Raptor vero ſcienti, & repugnanti. „ Raptor vult „ per propriam poteſtatem obtinere, fur per aſtu„ tiam. Et ideo aliam rationem peccati habet rapina, „ & aliam furtum „. Et rapina quidem gravius eſt furto peccatum, tum ratione violentiæ; tum quia „„ Non ſolum infert damnum in rebus, ſed etiam vergit in quamdam perſonæ ignominiam, ſive injuriam. Et hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum „„ (*inquit S. Thomas*, art. 3. ejuſdem quæſtionis.) Idem confirmat Concilii Tridentini Catechiſmus.

Leviori tamen hoc furti nomine divinæ legis ſeptimum præceptum convenienter expreſſum eſt, non rapinæ; quia furtum latius patet, & ad plura pertinet quam rapina. Illud enim quiſque committere poteſt: rapinam vero illi tantummodo facere poſſunt, qui potentia, & viribus præſtant. Quamquam nemo non videt, excluſis ejuſdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi. Unde *S. Auguſt.* qu. 71. in Exodum ait: „„ Furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ: (non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit:) Sed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi aufertur „„. Hinc Apoſtolus 1. ad *Corinthios* 6. ſcribit: *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

V. Eſt autem rapina, *injuſta rei alienæ per violentiam ablatio.* Quo de crimine Concilium *Troſlejanum* Canone 7. hæc habet: „„ Eſurienti non dare panem, damnabile eſt, ipſo Domino in extremo judicio dicturo: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Quibus ſubjungit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.* Hinc colligendum, qua damnatione plectendi ſint, qui aliena diripiunt, ſi tali animadverſione feriuntur, qui ſua indiſcrete, & immiſericorditer tenuerunt. Quam multiplex autem ſit rapina, & quot modis agatur, Job breviter enumerat, inquiens: *Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, aſinos pupillorum abegerunt,* Rapina quam grave peccatum. Matth. 25. Job 24.

abſtulerunt pro pignore bovem viduæ, ſubverterunt pauperum viam, oppreſſerunt manſuetos terræ, agrum non ſuum demetunt; & vineam ejus, quem vi oppreſſerunt, vindemiant; nudos dimittunt homines, quibus non eſt operimentum in frigore, &c. Audiant raptores, quid
1. Cor. 6. de eis Vas electionis Paulus dicit: *Neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Non ergo raptor, non prædo pauperum regnum Dei poſſidebit, niſi perfectam egerit pœnitentiam, & injuſte ſublata reddiderit. Sunt enim quidam, qui pœnitere quidem volunt, ſed res reddere nolunt; peſſimum quidem hominum genus, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res rapta, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Ii enim, ut dicit S. Auguſt. ſcelus ſibi cupiunt relaxari, & id, propter quod ſcelus admiſſum eſt, poſſidere. Non ergo remittetur rapinæ peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sciat ergo unuſquiſque raptor non ſibi dimitti rapinæ peccatum, niſi cum poteſt, id, quod rapuit, reſtituat; plerumque enim qui aufert, amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec habet unde reſtituat. Sane ſtatuta Eccleſiæ antiquæ præcipiunt, eorum, qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus eſſe refutanda; & merito, cum ſint apud Dominum abominabi-
Eccl. 34. lia, teſtante ſuper hoc Scriptura: *Qui offert* (inquit) *Sacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris* „ „.

ARTICULUS II.

Quam grave ſit furti peccatum.

PROPOSITIO UNICA.

Furtum lethale peccatum eſt, niſi materiæ levitate, & excluſa voluntate gravis damni inferendi veniale fiat.

De furto. Charitati, ſcilicet, ac juſtitiæ pariter repugnat. Vetat etiam utraque, ne faciamus alteri, quod nobis fieri nolumus. Tob. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* Et Matth. 7. *Omnia ergo* (inquit Chriſtus) *quæcunque vultis, ut faciant*

ciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc eſt enim lex, & Prophetæ. Hoc legis ipſius naturalis unum ex primis principiis, ſecundum quod furtum illicitum eſt. Unde *S. Auguſt.* lib. 2. *Confeſſionum*, cap. 4. ait: „ Furtum certe punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copioſus adactum inopia „„ Hinc *Oſee* 4. dicitur: *Audite verbum Domini, filii Iſrael: Quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: Non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, &c.* Et Zach. 5. *Hæc eſt maledictio, quæ egredietur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur judicabitur.* Id *Tobiæ* perſuaſum erat, de quo ſcriptum eſt *Tob.* c. 2. *Anna uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat. Unde factum eſt, ut hœdum caprarum accipiens detuliſſet domi; cujus cum vocem balantis vir ejus audiſſet, dixit: Videte, ne forte furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Apoſtolus etiam diſerte pronuntiat, *Fures* non poſſeſſuros *regnum Dei.*

Furti reos a Communione diu excludi, & publicæ pœnitentiæ ſubjici, antiqua Eccleſiæ diſciplina ſancitum eſt, de quibus *S. Baſilius*, Epiſtolæ ad *Amphilochium* Canone 61. „„ Qui furatus eſt; ſi ex ſe quidem pœnitentia motus ſeipſum accuſaverit; anno a ſola Sacramentorum Communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad ſubſtrationem dividetur, & conſiſtentiam; & tunc communione dignus habeatur „„.

Noſtram Propoſitionem confirmat *S. Thom.* 2. 2. q. 66. art. 6. „„ Peccatum (*inquit*) mortale eſt, quod contrariatur charitati, ſecundum quod eſt ſpiritualis animæ vita. Charitas autem conſiſtit principaliter quidem in dilectione Dei; ſecundario vero in dile-

dilectione proximi, ad quam pertinet, ut proximo bonum velimus, & operemur. Per furtum autem homo infert nocumentum proximo in ſuis rebus; & ſi paſſim homines ſibi invicem furarentur, periret humana ſocietas. Unde furtum tanquam contrarium charitati eſt peccatum mortale „ „.

Catholico huic Dogmati non repugnat, quod Prov. 6. ſcriptum eſt: *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit.* Duplex enim eſt hujus ſententiæ ſenſus. Dicitur ſcilicet furtum „ Non grandis culpa, *ſive* „ propter neceſſitatem inducentem ad furandum, quæ „ diminuit, vel totaliter tollit culpam „; unde ſubditur: *Furatur enim, ut eſurientem impleat animam*; ſive *per comparationem ad reatum adulterii, quod punitur morte*: Unde ſubditur de fure: *Deprehenſus reddet ſeptuplum: Qui autem adulter eſt, perdet animam ſuam.* Ita hunc locum explicat *S. Thomas* in reſponſione ad primum. Poſteriorem interpretationem multo ante venerabilis *Beda* tradiderat: „ „ Furtum (*inquit*) non ex ſua æſtimatione, ſed ex comparatione peccati majoris, id eſt adulterii, non grandis eſſe culpa perhibetur. Sicut de Jeruſalem gravius peccante dicitur: *Juſtificata eſt Sodoma ex te;* non quia Sodoma nulla, vel pauca, ſed quia Jeruſalem plura peccavit „ „.

Ezech. 16.

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechiſmus. „ „ Quam grave ſcelus (*inquit*) furtum ſit, ipſa naturæ vis, & ratio ſatis oſtendit. Eſt enim juſtitiæ contrarium, quæ ſuum cuique tribuit. Nam bonorum diſtributiones, & aſſignationes, jam inde ab initio jure gentium conſtitutas, divinis etiam legibus confirmatas eſſe oportet; ut unuſquiſque, niſi humanam ſocietatem tollere velimus, ea teneat, quæ ei jure obtigerunt „ „. Sed & mala, quæ furtum conſequuntur, ſceleris hujus immanitatem declarant. Fiunt enim judicia temere, & inconſulto multa de multis, erumpunt odia, ſuſcipiuntur inimicitiæ, exiſtunt interdum acerbiſſimæ innocentium hominum damnationes. Ex hoc denique peccato vix emergunt, qui

qui res alienas uſurparunt, & detinent. Cum enim reſtitutionis neceſſitas divinitus illis impoſita ſit, ea tamen admodum difficilis eſt ei, qui aſſueverit ex alieno locupletari. Unde *Habacuc* 2. ſcriptum eſt: *Væ ei, qui multiplicat non ſua: Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* Rerum alienarum poſſeſſionem denſum lutum appellat, unde emergere, & expedire ſe homines difficile poſſint (inquit Concilii Trid. Catechiſmus.)

Sed tamen materiæ levitatem efficere, ut furtum veniale duntaxat peccatum ſit, modo abſit graviter nocendi animus (quæ propoſitionis noſtræ pars eſt altera) docet *S. Thom.* 2. 2. q. 66. art. 6. in reſponſione ad tertium: „„ Illud (*inquit*) quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil. Et ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri; & ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem ejus, cujus eſt res. Et pro tanto ſi quis furtive hujuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari a peccato mortali. Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum „„.

Quæ materiæ quantitas requiratur, ut furtum mortale peccatum ſit.

Quæ porro materiæ quantitas ſufficiat, ut furtum mortale peccatum ſit, ſi quæratur: Reſpondendum eſt, furti gravitatem æſtimandam ex pretio rei, vel pecuniæ ſumma, quæ ſurripitur, quæ ſi ad diurnum unius hominis victum ſufficiat, mortale peccatum eſſe videtur illius furtum, ſive diviti, ſive pauperi ſubtrahatur. Fieri tamen poteſt, ut ſpectatis circumſtantiis perſonarum, & locorum, major quantitas requiratur ad conſtituendum furtum lethale; quod prudentum arbitrio æſtimandum eſt. Major enim ſumma deſideratur, ut filius patri ſurripiens, vel uxor viro, mortale furti peccatum committere cenſeantur, quam ſi extraneo ſurriperent; quia filius plus juris habet ad bona patris, & uxor ad bona communitatis, quorum maritus adminiſtrator eſt, quam ad

bona extranei. Expendendum ergo, an, quod ſurripiunt, ſit notabile, habita ratione perſonarum, & locorum. Ad mortalis etiam peccati malitiam furtum pertingere poteſt, ſi minor ſumma ſubtrahatur, habita ratione perſonæ, & neceſſitatis rei, quæ ſurripitur, damnique ex illius ablatione conſecuti. Qui enim pauperi furatur aſſem, qui ipſi ad panem coinparandum neceſſarius eſt, lethalis proculdubio peccati reus erit, non minus quam ſi diviti decem aſſes furaretur. Et ſi furetur aliquis artifici inſtrumentum ſuæ artis, modici quidem pretii, quo tamen ſubtracto ceſſat a labore, adeoque a lucro, quia aliud ſtatim comparare non poteſt, mortalis peccati reus eſt, & reſtituere tenetur, non ſecundum æſtimationem inſtrumenti, ſed ſecundum æſtimationem damni furto conſecuti, lucrique ceſſantis.

Uxor, quæ de bonis mariti, ſive communibus, aliquid ſurripit ad ludendum, eſt furti rea.

Faceſſant igitur, qui ſcribere non erubuerunt, uxorem non eſſe furti ream, ſi de bonis mariti, ſeu de bonis communibus, quorum penes ipſum administratio eſt, aliquid ſurripiat ad ludendum. Rea certe eſt furti, & quidem lethalis, ſi ſummam notabilem clam accipiat invito marito, eamque ludo exponat. Gravem enim injuriam infert viro, qui caput eſt mulieris, grave damnum rei domeſticæ. Ream uxorem, quæ inconſulto, & invito marito notabiles eleemoſynas erogat, *S. Thom.* poſt *S. Auguſt.* in Epiſtola ad *Ecdicium* ſcripta, aſſerit, Theologique conſentiunt univerſi: itaque multo magis rea eſt, ſi marito pecunias ſurripiat ad ludendum. „ Mulierem conjugatam non licet dicere, facio, quod volo de meo „ (*inquit S. Auguſt.*) cum & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc eſt viri „. Nec ipſam excuſat, quod locupletem dotem attulerit. De bonis enim dotalibus diſponere pro arbitrio non poteſt ſuperſtite marito, ad quem illorum dominium fructuſque pertinent pro matrimonii oneribus ſuſtentandis; ut conſtat ex L. *Si prædium*, C. lib. 5. tit. 12. De jure Dotium. „ Si prædium (*inquit*) uxor tua dotale venumdedit, ſponte necne contractum ratum habuerit,

„ ni-

„ nihil intereſt; cum rei tibi quæſitæ dominium au„ ferre nolenti minime potuerit „. Et L. *Pro oneribus*, eod. tit. *Pro oneribus matrimonii, Mariti lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cepit.* Furti ergo lethalis nihilominus rea eſt, ſi ex bonis mariti, vel etiam ex bonis dotalibus, aut eorum fructibus ſummam notabilem ſubtrahat, illo invito, ſive ad ludum, ſive ad luxum, ſumptuſque ſuperfluos. Si tamen ad ornatum ſtatui ſuo convenientem, vel ad honeſtam recreationem clam accipiat, quod vir avarus, aut prodigus, ac decoctor injuſte negat, lethalis peccati ream non dixero. Si vero ad ſolvenda debita, & ſuſtentationem filiorum, ad avertendum familiæ damnum, exemplo prudentis *Abigail*, de qua 1. *Reg.* 15. a furti labe immunis omnino cenſenda eſt.

Propoſitio damnata.

Ex his patet, quale judicium de iſta Propoſitione ferendum ſit: „„ Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam, etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis, ac victu habeatur „„. De illa certe non aliter judicandum eſt, quam Clerus gallicanus judicavit in Comitiis generalibus anno 1700.

„„ Hæc Propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa; & familiarum pacem perturbat. Quod autem de ludo, alimentis æquiparando additur, furti iniquitati peſſimas fallendi artes adjungit; & in vitam humanam neceſſitates inducit a chriſtiana ſimplicitate abhorrentes „„.

ARTICULUS III.

Regulæ Moralis chriſtianæ circa Furtum, & Rapinam.

REGULA I.

Lethalis furti rei ſunt pauperes, qui divitibus aliquid notabile ſurripiunt, quamvis divites grave ex illius ſubtractione incommodum non patiantur.

De Furto.

Non enim ex ſolo incommodo, & nocumento, ſed ex rei, quæ ſurripitur, pretio, & ſummæ, quæ detrahitur, quantitate, furti gravitas imprimis

æſtimanda eſt. Hanc Regulam confirmat Canon *Forte*, cauſa 14. qu. 5. ſub nomine *S. Auguſt.* laudatus, ex Homilia alias ſeptima inter Homil. 50. nunc inter Sermones in Appendicem rejectos 287. „„ Forte (*inquit*) & hoc ſecum cogitat aliquis, & dicit, multi ſunt chriſtiani divites, avari, vel cupidi, non habeo peccatum, ſi illis abſtulero, & pauperibus dedero; unde enim illi nihil boni faciunt, mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas dedero. Etiam in hac re parcat unuſquiſque animæ ſuæ; quia hujuſmodi cogitatio ex diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat, quod abſtulerit, addit potius peccata, quam minuit „„.

Idem confirmat Concilii Tridentini Catechiſmus: „„ Audire licet (*inquit*) interdum fures, qui nihil ſe eo peccare contendant, quod detrahant aliquid locupletibus, & copioſis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne ſentiant quidem. Miſera ſane, & peſtifera defenſio „„.

REGULA II.

Lethalis peccati reus eſt, qui per plura furta leviora notabilem ſummam totalem abſtulit; ſeu eidem perſonæ, ſeu diverſis; ſive ab initio voluntatem habuerit notabilem ſummam per plura furta minima corradendi, ſive non.

Si enim ab initio pravam hanc voluntatem habuerit, quodlibet furtum, quamvis ſecundum rei clam acceptæ quantitatem minimum, ratione tamen pravæ illius voluntatis grave, ac mortale eſt, ut colligitur ex Canone *Fur autem*, cauſa 14. qu. 6. qui ex *S. Hieron.* in cap. 2. Epiſtolæ S. Pauli ad *Titum* ſumptus eſt: „„ Fur autem (*inquit*) non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur. Non enim id, quod furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur „„. Idque *S. Thom.* confirmat 2. 2. qu. 66. art. 6. in reſponſione ad tertium: „„ Si tamen (*inquit*) habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, et-

etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum.

Nec refert, quod a diverſis accipere velit, nulliquę grave damnum inferat, neque porro inferre velit. Quamvis enim ſingulis ſeorſim ſpectatis leve damnum inferat, omnibus tamen ſimul conſideratis, adeoque reipublicæ graviter nocet. Quamobrem mercatores, qui ponderibus, aut ſtateris, & menſuris inæqualibus, & doloſis utuntur, aut plus juſto pretio merces ſuas vendunt, lethale peccatum ſingulis vicibus committunt, ob pravam iterandi leviora furta voluntatem, & res ſuas his fraudibus augendi, quamvis leve ſit, quod ſingulis vicibus injuſte accipiunt; atque ita in perpetuo damnationis ſtatu verſantur. Unde Deut. 25. ſcriptum eſt: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor: Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam.* Et Prov. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.* Rurſuſque c. 20. *Abominatio eſt apud Dominum pondus, & pondus: Statera doloſa non eſt bona.* Et Mich. 7. *Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena. Nunquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa? In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis.*

Sed & ille, qui non habet voluntatem aliquid notabile accipiendi, graveque damnum inferendi proximo, & tamen paulatim notabilem quantitatem, ſive ſummam accipit, mortaliter peccat, non ſingulis quidem furtis levioribus, ſed eo demum, quo ſumma notabilis completur. Furtum enim illud poſtremum moralem cum præcedentibus connexionem habet, qua fit, ut fur res alienas detineat in quantitate notabili, & ad mortale peccatum furti conſtituendum ſufficiente. Sicut enim qui diebus feſtis ſervilibus operibus vacat pluribus per diem vicibus per breve tempus, verbi gratia, per quadrantem; vel die jejunii di-

dicata pluries extra refectionis horam leve aliquid comedit, nihilominus mortalis peccati reus eſt, ſi ex pluribus quadrantibus, quibus laboravit, notabile tempus unius ſcilicet, vel duarum horarum accreſcat; aut ex his, quæ pluribus vicibus comedit, notabilis quantitas confletur, ex qua ſimul ſumpta violari jejunium cenſeatur; quamvis voluntatem ab initio non habuerit tantum temporis in labore conſumendi, aut tantum comedendi: ita qui plura furta leviora committit, lethalis peccati reus eſt, cum ad ſummam notabilem aſcenderunt; quamvis ab initio voluntatem non habuerit ſummam notabilem auferendi, ſed ſenſim ad illam pervenerit. Quicunque enim rem alienam in notabili quantitate retinet, lethalis furti reus eſt; ille porro rem alienam in notabili quantitate retinet; lethalis igitur furti reus eſt.

Propoſitio damnata.

Merito itaque ab *Innoc. XI.* Pontifice maximo inter alias pravi dogmatis in re morali Propoſitiones anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Menſe Martio, & hæc Propoſitio damnata eſt ordine trigeſima octava: „ „ Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis „„. De hac Propoſitione ita judicavit, & Clerus gallicanus anno 1700. *Hæc Propoſitio eſt falſa, pernicioſa, & furta etiam gravia approbat.*

REGULA III.

Gravis neceſſitas furtum non excuſat, ſed ſolum extrema. Unde pauper gravi neceſſitate afflictus, ſi quid notabile furripiat eo colore, ut neceſſitatem ſuam ſublevet, lethalis nihilominus peccati reus eſt.

Quamvis enim divitum ſuperflua jure naturali pauperum ſuſtentationi debeantur: „ „ Quia *tamen* multi ſunt neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri; committitur arbitrio unjuſcujuſque diſpenſatio propriarum rerum, ut ex eis ſubveniat neceſſitatem patientibus „ „ (*inquit S. Thom.*

Thom. 2. 2. qu. 64. art. 7.) Qui ergo communem, aut gravem etiam neceſſitatem patiuntur pauperes, quam ſublevare ſaltem poſſint mendicando, rei ſunt furti, ſi quid e rebus divitum clam accipiant; & lethalis quidem peccati rei ſunt, ſi res, vel ſumma notabilis ſit. „„ Si tamen (*inquit S. Thomas*) adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas; ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum (puta, cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt) tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſte, ſive occulte ſublatis; nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinæ „„. *Et in reſponſione ad ſecundum*: „„ Ut (*inquit*) re aliena occulte accepta in caſu neceſſitatis extremæ non habet rationem furti proprie loquendo; quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod quis accepit ad ſuſtentandam propriam vitam „„.

Quod igitur refertur cap. *Si quis* Ext. *De Furtis*, ex Pœnitentiali *Theodori* Cantuarienſis: „„ Si quis propter neceſſitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres; & ſi reddiderit, non cogatur jejunare„„; intelligendum eſt in caſu, *in quo non eſt urgens neceſſitas*; ut explicat *S. Thomas*, in reſponſione ad ſecundum. Idque confirmat Gloſſa ejuſdem capitis, ad verbum pœniteat. „„ Ex eo (*inquit*) quod pœnitentia imponitur, colligitur, quod modica fuerit neceſſitas; ſi enim magna fuiſſet, non imponeretur pœnitentia. Argum. Contra, *De Conſecr. diſt.* 5. C. *Diſcipulos*, quia in neceſſitate omnia ſunt communia„„.

Hanc Regulam confirmat, *S. Raymundus*, lib. 2. tit. *De Furtis*, §. 10. „„ Quid ſi (*inquit*) aliquis furatur cibum, vel potum, vel veſtimentum, propter neceſſitatem famis, vel ſitis, vel frigoris, numquid committit furtum? Ad hoc dicas: quod ſi patitur magnam neceſſitatem famis, vel ſitis, vel frigoris, ita quod niſi furetur, credit ſe non poſſe evadere mortem, non committit furtum, nec peccat, dum ta-

tamen propter hanc neceſſitatem faciat „„. Idque confirmat ex Canone *Diſcipulos*, diſt. 5. *De Conſecr.* cujus hæc ſunt verba: „„ Diſcipulos, dum per ſegetes tranſeundo evellerent ſpicas, & ederent, ipſius Chriſti vox innocentes vocat, quod coacti fame hoc fecerunt „„. *Item* (*inquit*) „„ Propter neceſſitatem famis comedit David panes Propoſitionis 1. Reg. 21. Et eſt ratio multiplex; una, quia in neceſſitate omnia debent eſſe communia, *diſt.* 47. Can. *Sicut ii*; ubi Ambroſius inter alia dicit: *Proprium nemo dicat, quod commune eſt.* Item, quia ipſe Dominus rei ex præcepto tenetur paſcere eſurientem. *Diſt.* 86. *Paſce fame morientem; quiſquis enim paſcendo homines ſervare poteris, ſi non paveris, occidiſti.* Unde talis fecit licitè, & debuit, & potuit credere dominum permiſſurum; & ita non commiſit furtum. Item quia neceſſitas non habet legem. *De Conſecr. diſt.* 1. *Can. Sicut.* Si autem non patitur ita magnam neceſſitatem, peccat; attenuatur tamen peccatum propter neceſſitatem. Et in tali caſu intelligitur Decretalis, *Ext. De Furtis*, Si quis propter neceſſitatem famis, aut nuditatis fuerit cibaria furatus, vel veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur jejunare. *Subdit ſanctus Raymundus*: Dicerem tamen ei ſemper; quia tutius eſt, quod reſtitueret, ſi poſſet. 14. *qu.* 6. *Si res.* Item aliquantulam pœnitentiam imponerem illi ad cautelam „„.

Propoſitio damnata.

Merito itaque ab *Innocentio XI.* die quarta Martii anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono inter alias pravi dogmatis Propoſitiones hæc ordine trigeſima ſexta damnata eſt: „„ Permiſſum „eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi „.

De hac Propoſitione ita judicavit, & Clerus gallicanus anno 1700. *Hac Propoſitio, quatenus furtum permittit in gravi neceſſitate, falſa eſt, temeraria, & reipublicæ perniciosa.*

REGULA IV.

Furti rei ſunt ſervi, & ancillæ, qui res dominorum ſuorum ſurripiunt compenſationis nomine, quod ſcilicet ſuo labori, & obſequiis ſtipendium, de quo cum iis convenere, non reſpondeat. Idem eſto de opificibus judicium.

Ex quo enim de mercede cum domino convenerunt, dominus illis non facit injuriam, ſi mercedem ampliorem non tribuat. Ubi autem nulla infertur injuria, nullus eſt compenſationi locus. Nihil debet dominus ratione laboris, ſive operarum, præter id, de quo inter illum, & ſervos, vel opifices conventum eſt; nihil igitur illi exigere amplius poſſunt; quamobrem ſi quid ultra accipiant invitis dominis, furti rei ſunt; meritoque refelli poteſt iniqua illorum excuſatio æquiſſima Patrisfamilias Evangelici reſponſione, qui murmurantibus operariis in vineam ejus conductis, quod ſingulos duntaxat denarios acciperent, quemadmodum & illi, qui circa undecimam horam laborare cœperant, cum tamen ipſi portaſſent pondus diei, & æſtus, ac propterea majori mercede laborem ſuum compenſandum æſtimarent, reſpondit uni illorum: *Amice, non facio tibi injuriam; nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade.* Cujus reſponſionis æquitatem approbat Chriſtus in parobola *Matth.* 20. Deinde ſi hujuſmodi compenſationi, cujus ipſi famuli, vel opifices judices ſint, locus detur, furtis domeſticis latiſſima patebit via, turbabitur pax familiarum, labefactabitur famulorum, & ancillarum, nec non opificum fides.

Merito itaque ab Academiis Lovanienſi, & Pariſienſi, a plurimis Epiſcopis gallicanæ Eccleſiæ, & tandem ab *Innocentio XI.* Pontifice maximo damnata eſt hæc Propoſitio: „ Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt „. De qua Propoſitione ſic judicavit & Clerus gallicanus anno 1700. *Hæc Propoſitio* Propoſitio damnata.

fal-

falſa eſt, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

Fruſtra vero damnatæ huic Propoſitioni præſidium à nonnullis quæſitum eſt ex facto Iſraelitarum, qui *Petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis; & ſpoliaverunt Ægyptios* (ut refertur *Exodi* 12.) Abſtulerunt autem vaſa illa argentea, veſteſque in compenſationem laborum. Fruſtra (inquam) inde præſidium quæritur damnatæ propoſitioni. Nullam enim ab Ægyptiis mercedem Iſraelitæ acceperant pro diuturnis, duriſſimiſque laboribus. Deinde, non proprio, ſed Dei judicio Ægyptiorum vaſa, veſteſque pretiolas poſtularunt, & abſtulerunt in laborum juſtiſſimam compenſationem. Unde Exodi 11. ſcriptum eſt: *Dixit Dominus ad Moyſen: Dices omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua vaſa argentea, & aurea.* Et cap. 12. *Fecerunt omnes filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi, & Aaron.* Et Sap. 10. *Reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili, &c.* Unde *S. Auguſt.* qu. 39. in *Exodum*, de hoc Hebræorum facto agens: „ Non hic (*inquit*) quiſque ſumendum exemplum putare debet ad expoliandum iſto modo proximum. Hoc enim Deus juſſit, qui noverat, quid quemque pati oporteret; nec Iſraelitæ furtum fecerunt, ſed Deo jubenti miniſterium præbuerunt. Quemadmodum cum miniſter judicis occidit eum, quem judex juſſit occidi, profecto ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etſiamſi eum occidat, quem ſcit occidi a judice debuiſſe „. Quin & lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 72. Moyſen, & Iſraelitas furti reos futuros aſſerit, ſi compenſationis nomine vaſa aurea, & argentea Ægyptiorum abſtuliſſent, Dei mandato, ſententiaque non interveniente. „ Quid abſurdum eſt (*inquit*) ſi Ægyptii ab Hebræis, homines inique dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris, & injuſtis laboribus fuerant debi-

to-

tores, rebus terrenis, quibus etiam ritu ſacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari meruerunt? Quod tamen ſi Moyſes ſua ſponte juſſiſſet, aut hoc Hebræi ſua ſponte feciſſent, profecto peccaſſent „„.

Nec etiam damnatæ Propoſitioni favent illa *S. Aug.* Epiſt. 153. alias 54. ad Macedonium: „„. Non ſane quidquid ab invito ſumitur, injurioſe aufertur. Nam plerique nec medico volunt reddere honorem ſuum, nec operario mercedem; nec tamen hæc, qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt, quæ potius per injuriam non darentur „„. Ibi enim non loquitur *S. Auguſt.* de iis, qui clam ſurripiunt mercedem, quam ſibi debitam exiſtimant, aut aliquid invitis dominis accipiunt ultra pretium, de quo convenere, ſed de illis, qui accipiunt a debitoribus, ſolventibus quidem, & dantibus, quod debent, non tamen lubentibus animo, quia præ avaritia, & cupiditate ſolvere, & dare nollent. Hæc vocis, *ſumitur*, & *accipitur*, vis, & poteſtas eſt, cum apud Ciceronem dicentem: *Tu qui a Nevio, vel ſumpſiſti multa, ſi fateris, vel ſi negas, ſurripuiſti*; tum apud S. ipſum *Aug.* in eadem Epiſtola ſcribentem: „„ Cum judicia, & teſtimonia, quæ nec juſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua, & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur; quia ſcelerate etiam quamvis a volentibus datur „„. Hoc ſenſu & de officialibus, ſeu apparitoribus ibidem ſcribit: „„ Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti ſolent; data per tolerabilem conſuetudinem non ſolent; magiſque reprehendimus, qui talia inulitate repetiverunt, quam qui ea de more ſumpſerunt „„. Sumere igitur hoc loco, ſecundum *S. Aug.* mentem, non eſt clam ſurripere, ſeu domino penitus invito accipere compenſationis nomine, quod debitum ſibi privato judicio medicus, aut operarius exiſtimat; ſed a debitore accipere, quod revera debitum eſt, & ab ipſo datur, quamvis libenter non detur.

REGULA V.

Furti rei ſunt operarii, & artifices, qui totam, & integram mercedem exigunt ab iis, quibus ipſi juſtam, ac debitam operam non dederunt. Item ſervi, rerum eorum fidei a Dominis creditarum cuſtodes infidi.

Hanc regulam iiſdem verbis tradit Concilii Tridentini Catechiſmus; eo enim deteſtabiliores ſunt, quam reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quod furi ſervo nihil domi obſignatum, aut occlusum eſſe poteſt; & adverſum operarii malam fidem, vel negligentiam nulla cuſtodia ſufficit. Unde Apoſtolus ad *Titum* ſcribit c. 2. ut ſervos admoneat dominis ſuis ſubditos eſſe: *Non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes.* Et ad Epheſ. 6. nec non ad *Coloſſ.* 3. præcipit eis, ne ſerviant *ad oculum, quaſi hominibus placentes*, ſed *Domino* ſerviant; obediendo dominis ſuis.

REGULA VI.

Furti rei ſunt, qui fictis, ſimulatiſque verbis, fallacive mendicitate pecuniam extorquent.

Eorumque peccatum eo gravius eſt (inquit Conc. Trid. Catechiſmus) quod furtum mendacio cumulant.

REGULA VII.

Furti rei ſunt, qui cum ad privatum aliquod, vel publicum officium conducti ſunt, vel electi, munus negligunt, mercede tantum, ac pretio fruuntur.

Hanc Regulam tradit Concilii Trid. Cathechiſmus; naturalique æquitate, ac regula juris nititur: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra*, Et *Cod.* tit. §1. *De caducis tollendis*, L. *Et nomen* §. 4. dicitur: „Neque enim ferendus eſt is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit „.

RE-

REGULA VIII.

Furti rei ſunt, qui res inventas, quarum dominus poſt diligentem inquiſitionem reperiri poteſt, retinent; vel gratis reſtituere nolunt.

Dei verbo hæc regula nititur; Deut. 22. verſ. 1. 2. 3. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum. Duces in domum tuam, & erunt apud te; quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de veſtimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit; ſi inveneris eam, ne negligas quaſi alienam.* Et *Levit.* cap. 6. *Anima, quæ peccaverit, & rem perditam invenerit, & inficians inſuper pejeraverit, convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam inſuper partem domino, cui damnum intulerat.*

Eamdem regulam confirmat *S. Auguſt.* Serm. 178. alias 19. *De verbis Apoſtoli*, cap. 6 7 & 8. „ „ Deus dicit in lege ſua, inventionem eſſe reddendam. Deus in lege ſua dicit, quam primo populo dedit, pro quibus Chriſtus nondum erat mortuus; inventionem tanquam alienum eſſe reddendam; ſi quiſquam verbi gratia, in via inveniat ſacculum ſolidorum, debere reddere. Sed neſcit cui? Non ſe excuſat ignorantia, ſi non dominetur avaritia. Dicam veſtræ charitati, quoniam dona Dei ſunt; & ſunt in populo Dei, qui non fruſtra audiunt verbum Dei; dicam, quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum conſtitutis, tum pauper, ut proſcholus eſſet Grammatici; ſed plane Chriſtianus, quamvis ille eſſet paganus Grammaticus, melior ad velum, quam in Cathedram. Invenit ſacculum, niſi forte me numerus fallit, cum ſolidis ferme ducentis; memor legis, propoſuit pittacium publice. Reddendum enim ſciebat, ſed cui redderet, ignorabat. Propoſuit pittacium publice: qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille, qui plangens circumquaque vagabatur, invento, & lecto pittacio venit ad hominem. Et ne for-

te quæreret alienum, quæſivit ſigna, interrogavit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum. Et cum omnia ille fideliter reſpondiſſet, reddidit, quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi ſolidos viginti, qui noluit accipere. Obtulit decem; noluit accipere. Saltem rogavit, vel quinque acciperet; noluit ille. Stomachabundus homo projecit ſacculum: Nihil perdidi, ait; ſi non vis aliquid a me accipere; nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, Fratres mei! theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur, accepit, continuo totum pauperibus erogavit, unum ſolidum in domo ſua non dimiſit. Quid eſt? Si aliquid egi in cordibus veſtris? Si verbum Dei inſedit in vobis, ſi requiem invenit apud vos, facite hoc, Fratres mei; nolite putare damnum vos pati, ſi feceritis, magnum lucrum eſt, ſi feceritis, quod dico. Perdidi viginti ſolidos, perdidi ducentos, quingentos. Quid perdidiſti? De domo tua perierant; alter perdiderat, non tu. Terra communis eſt, in una domo eſtis, in hoc mundo ambo viatores, hujus vitæ unum ſtabulum intraſtis. Poſuit ille, obligatus eſt ille, cecidit ab illo, tu inveniſti alibi. Quis inveniſti? Chriſtianus. Quis inveniſti? Qui legem audiſti. Quis inveniſti? Qui cum audires multa, laudaſti, tu inveniſti. Si ergo veraciter laudaſti, redde, quod inveniſti. Si ergo non reddidiſti, quod inveniſti; quando laudaſti, teſtimonium contra te dixiſti. Eſtote fideles inventores, & tunc iniquos vituperate raptores. Nam quod inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti. Quantum potuiſti, feciſti; quia plus non potuiſti, ideo non plus feciſti. Qui alienum negat, ſi poſſit, & tollit; quod non tollis, timor prohibet. Non bonum facis, ſed malum metuis „ „.

Res inventæ duplicis generis.

Idem confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 66. art. 5. in reſponſione ad ſecundum. „ „ Circa res inventas (*inquit*) eſt diſtinguendum. Quædam enim ſunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, ſicut lapilli, & gem-

gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris; & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non extat aliquis poſſeſſor; niſi quod ſecundum leges civiles tenetur inventor dare mediam partem domino agri; ſi in alieno agro invenerit. Propter quod in parabola Evangelica dicitur Matth. 13. de inventore theſauri abſconditi in agro; quod emit agrum; quaſi ut haberet jus poſſidendi totum theſaurum. Quædam vero res inventæ fuerunt de propinquo in alieujus bonis; & tunc ſi quis eas accipiat, non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum. Alias autem committitur peccatum furti. Unde S. Auguſt. dicit in quadam Homilia, & habetur 14. *qu.* 5. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.*

Ad quid illarum teneatur inventor.

Cæterum, licet quod ait *S. Thom.* ea, quæ nullius unquam fuerunt, fieri occupantis, ſpectato ſolo naturæ jure, vel etiam jure communi poſitivo, ſit verum, ut ex lib. 1. *Dig.* tit. *De rerum diviſione*, §. *Item lapilli*, compertum eſt, eademque ſit ratio rerum, quæ olim fuerunt alicujus, ſed nunc quando inveniuntur, in nullius bonis ſunt, quales ſunt theſauri, prout *Theſaurus* definitur lib. 41. *Dig.* tit. 1. L. 31. *Vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*; ſecundum praxim tamen, uſumque, in hujuſmodi rerum occupatione, ac poſſeſſione leges Principum, aut rerum publicarum ſequendæ ſunt. Cum enim ejuſmodi bona nullius ſint, rationi, & æquitati conſentaneum eſt, ut reſpublica, vel Princeps ea ſibi vindicet propter bonum publicum. Unde & illa ſibi reſervare poteſt, & certis perſonis privilegium concedere, ut certis in locis illa quærant, eruant, aut piſcentur.

Addit *S. Thom.* idem eſſe judicium de theſauris antiquo tempore ſub terra abſconditis, quorum non extat memoria, ea ſcilicet fieri occupantis; quia ſi quis re-

Obligatio eorum, qui theſauros inveniunt.

recenti memoria ſuas opes, pecunias ſcilicet, vaſa argentea, aut aurea, gemmas, aliaque id genus, belli rum, aut prædonum metu, aut cuſtodiæ cauſa infoderit, res illæ haberi non poſſunt pro theſauro, qui cedat inventori, ſiquidem dominum ſuum habent. Unde qui eas occupaturus effoderet, furti reus eſſet; ut habetur in *Dig.* lib. 41. tit. *De acquirendo rerum domino*, L. *Nunquam nuda*, §. 1. cujus hæc ſunt verba: „„ Alioquin ſi quis aliquid, vel lucri cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ condiderit ſub terra, non eſt theſaurus; cujus etiam furtum fit „„. Idque confirmat lex *Peregre*, 44. tit. *De acquirenda rerum poſſeſſione*, cujus hæc ſunt verba: „„ Peregre profecturus, pecuniam in terra cuſtodiæ cauſa condiderat. Cum reverſus locum theſauri memoria non repeteret, an deliiſſet pecuniam poſſidere; vel ſi poſtea recogniviſſet locum, an confeſtim poſſidere inciperet, quæſitum eſt. Dixi, quoniam cuſtodiæ cauſa pecunia condita proponeretur, jus poſſeſſionis ei, qui condidiſſet, non videri peremptum; nec infirmitatem memoriæ damnum afferre poſſeſſionis „„.

Addit angelicus Doctor, inventorem theſauri teneri ſecundum leges civiles, mediam partem dare domino prædii, ſi in alieno prædio invenerit; quod tamen intelligendum, ſi fortuito, non data opera inventus eſt; ut declarat Juſtinianus lib. 11. *Inſt.* tit. 1. §. 39. „„ Theſauros (*inquit*) quos quis in loco ſuo invenerit, divus Adrianus naturalem æquitatem ſecutus, ei conceſſit, qui eos invenerit... At ſi quis in alieno loco, non data ad hoc opera, ſed fortuito invenerit, dimidium domino ſoli conceſſit, & dimidium inventori. Et convenienter, ſi quis in Cæſaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium eſſe Cæſaris ſtatuit. Cui conveniens eſt, ut ſi quis in fiſcali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium ipſius eſſe debeat, & dimidium fiſci, vel civitatis „„. Si vero non caſu, ſed ſtudio quærendi adhibito, & data opera theſaurum aliquis invenit in fundo alieno, ſi dominus fundi, vel ſoli con-

ten-

ſenſerat, totus erit inventoris, niſi aliter inter ipſos convenerit; ſi autem non conſenſerat, totus erit domini, ſoluta duntaxat inventori mercede laboris; ut colligitur ex L. *Nemo*; c. tit. 15. De theſauris. „ „ In alienis vero terrulis (*inquit*) nemo audeat invitis, imo nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas ſuo nomine perſcrutari. Quod ſi nobis iuper hoc aliquis crediderit ſupplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco theſaurum ſcrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerator legis ſaluberrime puniatur. Quod ſi forte, vel arando, vel alias terram alienam colendo, vel quocunque caſu, non ſtudio perſcrutandi, in alienis locis theſaurum invenerit, id quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia data, cum locorum domino partiatur. Ita enim evenit, ut unuſquiſque ſuis fruatur, & non inhiet alienis „ „.

Cæterum ſi magicis, ac nefariis artibus theſaurus inventus eſt, totum, quod alioquin habuiſſet inventor, fiſco cedit. Pars autem media pertinet ad ſoli dominum, ſi in alieno prædio fuerit inventus, ut ex eadem lege conſtat. Alienum porro ſolum, alienuſque fundus eſt, cujus directum dominium alteri competit, quamvis utile forte dominium habeas. Unde ſi creditor in domo oppignorata, & conductor in agro, vel domo locata theſaurum invenerit, mediam partem illius dare debet domino directo, ſive proprietario domus, vel agri.

Quamquam vero jure civili veterum Hebræorum, theſaurum acquireret, qui ſciens infoſſum in eo theſaurum deliteſcere, agrum emebat a domino id ignorante, ut colligitur ex evangelica Parabola, *Matth* 13, aliter tamen ſecundum jus gallicum, moreſque noſtros judicatur, quia dolo, & fraude inventum, & effoſſum prælumunt gallicani Juriſconſulti, & Magiſtratus, adeoque civili quadam æquitate, convenientique ratione adjudicandum loci domino, cui ignorantia jus poſſeſſionis perimere non poteſt, ut

nec illi perimere poterat, qui thesaurum in agro suo custodiæ causa condiderat, quamvis non recordaretur. Igitur secundum mores nostros furti reus judicabitur, qui prædium, vel domum emerit, in qua thesaurum absconditum novit, ut thesaurum illum sibi vindicet, illumque restituere tenetur venditori, aut ejus heredibus. Vide *Jus gallicum*, tit. *De Feudis*,

REGULA IX.

Pauperes rustici, qui ligna cædunt, vel cæsa auferunt ex sylvis Regis, aut privatorum Dominorum, sive sicca, & mortua, sive virentia, rei sunt furti, nisi extrema necessitate urgeantur.

Rem enim alienam auferunt invitis dominis. Exigua tamen ligna, & arida, quæ domini a pauperibus auferri ad usum proprii foci non ægre ferunt, cædere, ac auferre possunt absque furti labe; non autem ut ea vendant, nili evidens (ut dixi) necessitas urgeat, cui aliter subveniri non potest. Hic enim unicus titulus est a furto excusans eum, qui rem alienam accipit invito domino, ut docet *S. Thom.* quia in illa pauperum necessitate invitus non debet esse dominus; alioqui præceptum de dilectione proximi violaret. Idem esto de illis judicium, qui in alienis pascuis pecora pascunt. Vide legem *Si furtim*, & alias, *Dig.* lib. 47. tit. 7. *Arborum furtim cæsarum*.

REGULA X.

Furti rei sunt venatores, qui per se, vel per famulos suos, equos, aut canes, alienis bestiis, segetibus, aut prædiis damnum inferunt, nec illatum damnum resarcire curant; item qui in alieno stagno, seu vivario piscantur, item qui columbas habent, nec illis præbent alimenta necessaria, cum tamen agros non habeant, in quibus illæ pascantur; item qui columbas occidunt in alieno columbario, vel intra spatium, in quo Leges municipales illas occidi vetant; qui denique in locis, aut co-

columbariis ſuis certa ſpargunt ſemina, aut aliis artibus utuntur, ut columbas ex alienis columbariis illuc attrahant, & retineant.

Quicunque enim proximo in rebus ſuis, ſive bonis temporalibus damnum infert, furti reus eſt, & mortalis quidem, ſi grave damnum inferat. Si tamen columbæ alienæ non a te attractæ, ſed ſponte columbis tuis ſe ſociaverint, & ad proprium columbarium redire deſierint, tuæ fiunt, eatque retinere potes abſque furti labe, ſecundum Regulam jure civili firmatam libro 2. *Inſt.* tit. 1. De acquirendo rerum dominio. „ „ In iis autem animalibus (*inquit.*) quæ ex conſuetudine abire, & redire ſolent, talis Regula comprobata eſt, ut eo uſque tua eſſe intelligantur, donec animum revertendi habeant. Nam ſi animum revertendi habere deſierint, etiam tua eſſe deſinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur deſinere habere tum, cum revertendi conſuetudinem deſeruerint „. Hæc autem Regula in iis ſolum animalibus, aut volucribus locum habet, quarum fera natura eſt, quales ſunt columbæ, apes, &c. non autem in iis, quæ natura manſuetæ ſunt, ut gallinæ, & anſeres, &c. ut ibidem declaratur §. 16. „ „ Gallinarum autem, & anſerum non eſt fera natura. Idque ex eo poſſumus intelligere, quod aliæ ſunt gallinæ, quas feras vocamus; item alii ſunt anſeres, quos feros appellamus. Ideoque ſi anſeres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo modo turbati, turbatæve evolaverint licet conſpectum tuum effugerint, quocunque tamen loco ſint, tui, tuæve eſſe intelliguntur; & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur „.

REGULA XI.

Qui jumenta ſibi commodata longius duxerint; alio nave re invito domino uſi fuerint, furti rei ſunt.

Id conſtat ex L. *Qui jumenta* tit. *De furtis*, lib. 47. *Digeſtorum*. Furti pariter reus eſt creditor, qui

pignore utitur; & generatim omnis, qui, quod utendum accepit, alteri commodaverit, ut habetur L. *Si pignore*, ſub eodem titulo. Nec excuſari poteſt, quaſi nihil lucri ſui gratia faciat: *Species enim lucri eſt ex alieno largiri, & beneficii debitorem ſibi acquirere* (inquit eadem lex.)

REGULA XII.

Qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucri faceret; tametſi mutato conſilio id domino poſtea reddit, fur eſt.

Nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſit, ut dicitur L. *Qui ea mente*, ff. tit. *De furtis*. Idque cum in foro civili verum ſit, multo magis in foro conſcientiæ, ſiquidem Deus non manum duntaxat, ſed cor interrogat.

REGULA XIII.

Furti rei ſunt, quicunque juſſu, ſuaſione, & conſilio, conſenſu, conniventia, ſilentio, patrocinio, approbatione, & adulatione furto cooperantur, & qui furti ſunt participes.

Nam *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus;* ut ait Apoſtolus ad Romanos 1. Præterea furti reus eſt, *quicunque injuſte acceptionis* rei alienæ *cauſa eſt.* Quod quidem contingit dupliciter, directe ſcilicet, & indirecte. *Directe quidem, cum alium inducit ad accipiendum;* quod fit tripliciter; *Primo*: „ „ Ex parte acceptionis movendo ad ipſam acceptionem; quod quidem fit, præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſſe, & laudando aliquem quaſi ſtrenuum de hoc, quod aliena accepit. *Secundo*, ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum receptat, vel qualitercunque ei auxilium fert. *Tertio*, ex parte rei acceptæ, quia particeps eſt furti, vel rapinæ, quaſi ſocius maleficii. *Indirecte vero*, quando aliquis non impedit, cum poſſit, & debeat impedire; vel quia ſubtrahit

præ-

præceptum, ſive conſilium, impediens furtum, & rapinam; vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſet obſiſtere, vel quia occultat poſt factum „„; quæ omnia hoc Diſticho exprimuntur.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, q. 62. art. 7.

Inter eos, qui furti conſcii ſunt, ac rei poſt fures ipſos primo loco recenſentur, qui furtum imperant, ſive expreſſa, ſive tacita ſit juſſio; ſic pater filio, dominus ſervo, toparcha vaſſallo jubentes, ut alicui damnum in rebus ſuis inferant, aut ſignificantes id cupere, idque, ſi fiat, ſibi gratum fore, damni illati non ſolum ſunt auctores, furtorumque ſocii, *ſed etiam in illo furum genere deterrimi* (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.)

In eodem furum gradu ponendi ſunt, qui cum jubere non poſſint, *ſuaſores ſunt, atque impulſores furtorum* (inquit idem Catechiſmus) Quo nomine illi omnes ſignificantur, qui hortantur, inſtruunt, promiſſionibus alliciunt, rationes ob oculos ponunt, quibus aliquis ad nocendum proximo incitatur, & adducitur.

Tertio loco ponuntur, qui cum furibus conſentiunt, de quibus ait David Pſal. 49. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Quo nomine intelliguntur omnes fautores, approbatores, ſuffragatores, a quorum conſenſu, approbatione, vel ſuffragio pendebat, ut injuſta actio fieret, vel non fieret. Sic damni cauſæ, furtique rei ſunt Senatores, quorum ſuffragio aliquis juſta cauſa cadit.

Quarto loco numerantur, qui participes furtorum, inde lucrum ipſi etiam faciunt, de quibus Prov. 29. 24. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam: Adjurantem audit, & non indicat.* Quamquam non illi ſolum furti participes ſunt, qui cum furibus prædam dividunt, ſed quicunque ſocii ſunt furti, ſive maleficii, quo proximi rebus damnum infertur, illi nimirum, qui ſimul furantur, ſeu damnum inferunt, qui

ſcalam admovent, vel ſuſtinent, aſcendente fure, qui excubias agunt, dum alii furantur, qui inſtrumenta ſuppeditant.

Quinto loco recenſentur palpones, ſive adulatores, illi nimirum, quorum adulatio cauſa eſt damni illati, ſive furti ſubſecuti.

Sexto loco, receptores, qui *Recurſus* nomine in Diſticho exprimuntur, qui ſcilicet ſecuritatem, vel refugium præbent furi, ſive ipſum, ſive res injuſte ablatas recipiendo, & celando. De quibus *Digeſtorum* lib. 47. tit. 16. *De receptoribus.* L. 1. „ „ Peſſimum genus eſt receptatorum, ſine quibus nemo latere diu poteſt. Et præcipitur, ut perinde puniantur atque latrones. In pari cauſa habendi ſunt; quia cum apprehendere latrones poſſent, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte dimiſerunt „ „.

Septimo loco, qui tacent, cum conſilio, adhortatione, præcepto, correptione prohibere, & impedire teneantur, & poſſint, ne quis alteri damnum inferat, ut maritus uxorem, pater filios, domini ſervos, ne alteri noceant. Atque hoc in caſu locum habet regula juris; *Qui tacet, conſentire videtur.* In eodem gradu ponendi ſunt, qui furtis non occurrunt, nec obſiſtunt, cum juſtitiam tueri, latrocinia coercere, latrones punire, vel eorum punitionem ſecundum leges procurare teneantur ex officio, ut Principes, Toparchæ, juriſdictiones Toparchiis ſuis annexas habentes, & Magiſtratus.

Octavo, & qui cum furtum factum, & ubi factum ſit, certo ſciant, non indicant crimen, aut ejus auctorem, ſed ſe ſcire diſſimulant. Idque confirmatur ex cap. *Qui cum fure.* Ext. *De Furtis*, cujus hæc ſunt verba: „ Non fur ſolum, ſed ille reus tenetur, „ qui furti conſcius, quærente poſſeſſore, non in„ dicat „.

REGULA XIV.

Rapinæ rei ſunt, qui debitam operariis mercedem non perſolvunt, aut eam dare in longum tempus differunt.

Cri-

Crimen iſtud Deus in Scriptura ſæpe deteſtatur, homineſque ab illo, ut ab immani ſcelere, & in cœlum clamante avertit. Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* Deut. 24. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt; ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam; ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Tob. 4. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii apud te omnino non remaneat.* Malach. 3. *Accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus Exercituum.* Et Jacobi 5. *Agite nunc divites, plorate, ululantes in miſeriis, quæ advenient vobis.* Cujus pœnitentiæ cauſam ſubjungit: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati eſtis ſuper terram, & in deliciis enutriſtis corda veſtra.* Hinc *S. Ambroſ.* lib. *De Tobia*, cap. ult. „ „ Redde (*inquit*) mercenario mercedem ſuam, nec eum laboris ſui mercede defraudes; quia & tu mercenarius Chriſti es, & te conduxit ad vineam ſuam, & tibi merces repoſita eſt cœleſtis. Non ergo lædas ſervum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam ſuam; non deſpicias inopem, qui vitam ſuam exercet labore manuum ſuarum. Hæc eſt enim interficere hominem, vitæ ſuæ ei debita ſubſidia denegare. Et tu mercenarius es in hac terra; da mercedem mercenario, ut poſſis dicere Domino, cum precaris: *Da mercedem, Domine, ſuſtinentibus te*; ut ſcriptum eſt Eccl. 36. 18. „ „.

De Furto, & rapina.

REGULA XV.

Rapinæ rei ſunt, qui, quæ Eccleſiæ præſidibus, & Principibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, &

& reliqua hujus generis, non ſolvunt, vel intervertunt, & ad ſe transferunt.

Vectigalia & tributa fraudare, vel intervertere rapina.

Iiſdem verbis hanc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechiſmus. Et quidem quod Decimas ſpectat, confirmatur ex Canone *Decimæ*, cauſa 16. qu. 1. „ Decimæ (*inquit*) ex debito requiruntur; & qui „ eas dare noluerit, res alienas invaſit „. Multo magis rapinæ rei ſunt matricularii, ſeu æditui, aliique bonorum temporalium Eccleſiæ adminiſtratores, qui pecunias, & obventiones, ſive oblationes fabricæ, & ornamentis Templorum, divinique cultus, & officii decori deſtinatas intervertunt; aut ad alios uſus Eccleſiæ minime neceſſarios, vel utiles intumunt, aut ipſi invadunt, & uſurpant. Quorum ſcelus Canone *In Legibus*, cauſa 12. qu. 2. damnatur: „„ Si quis (*inquit*) eccleſiaſticas oblationes, & quod Deo conſecratum eſt, rapuerit, vel conſenſerit facientibus, ut ſacrilegus judicetur, & damnum in quadruplum reſtituat, & canonice pœniteat „„. Et Canone, *Qui abſtulerit*; eadem cauſa, & quæſtione: „ Qui „ Chriſti pecunias, & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt „.

Quod vero ſpectat victigalia, & tributa, aliaque Principibus debita, cum jubeat Chriſtus *Reddi Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*; cum didrachma ſolverit, ut hominibus hujus etiam erga Principes officii præberet exemplum; cum Apoſtolus tributa, & vectigalia, deberi Principibus agnoſcat, ſolvique præcipiat; ad Romanos 13. *Ideo* (inquit) *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; evidens eſt rapinæ reos eſſe, qui hæc non ſolvunt, vel intervertunt, & ad ſuos uſus transferunt; & lethale peccatum committere (niſi materiæ levitas excuſet) ſive defraudatoribus pœna, ſeu mulcta ſit impoſita, ſive non. Lex enim de tributis, & vectigalibus ſol-

Lex de tributis, &

ven-

vendis, non eſt mere pœnalis, ſed vere, proprieque præcipiens, ut juſtum, neceſſariumque ſubſidium principi, aut rebuſpublicis debitum ſolvatur; quod naturalis juris eſt, quamvis materiæ, quantitatiſque vectigalium, modique illa exigendi determinatio ſit ex Conſtitutionibus Principum. Adjectio autem pœnæ, ſicut non tollit obligationem juris naturalis; ita non infert immunitatem a culpa; imo quo gravior pœna eſt, eo major legis obligatio cenſenda eſt. Juſta autem vectigalia neceſſario ſolvenda ſunt, ſive petantur, ſive non petantur; non enim ideo fiunt debita, quia exiguntur, ſed potius ideo exiguntur, quia debita ſunt. Juſta autem dicimus vectigalia, quæ a principe ob bonum publicum imponuntur. Leges enim, & edicta Principum examinare non debent ſubditi; ſed parere tenentur; & in dubio judicandum eſt in favorem principis.

vectigalibus ſolvendis, non eſt mere pœnalis.

Leges Principum examinare non debent ſubditi, ſed parere tenentur, niſi legi divinæ repugnent.

Hanc Regulam confirmat *S. Aug.* Ep. 96. alias 124. ad *Olympium* magiſtrum officiorum. „ „ Sancti Fratris (*inquit*) & Coepiſcopi mei Bonifacii petitionem tuæ rurſus charitati commendo, ne forte nunc fieri poſſit, quod ante non potuit. Cum enim poſſet ſine ulla forſitan quæſtione, quod præceſſor ejus, quamvis ſub alieno nomine, comparaverat, & ſub Eccleſiæ nomine poſſidere jam cœperat, conſequenter etiam ipſe retinere; nolumus tamen, quoniam fiſci debitor fuit, hunc ſcrupulum habere in conſcientia. Neque enim fraus iſta, quoniam fiſco fiebat, ideo non fiebat. Et ille quidem Paulus, poſtquam Epiſcopus factus eſt, renuntiaturus ſuis omnibus rebus propter immenſum cumulum fiſcalium debitorum, exacta quadam cautione, in qua certum ei pondus debebatur argenti, hos exiguos agellos, unde victum ſuſtentaret, tanquam Eccleſiæ comparavit, ſub nomine tunc potentiſſimæ Domus, ut etiam ex ipſis morem ſuum ſequens cum fiſco non ſolveret, nullas executorum moleſtias pateretur. Iſte autem, qui eidem Eccleſiæ illo defuncto eſt ordinatus, timuit hos agros ſuſcipere; & cum poſſet pro ſolis fiſcalibus debitis, quæ de me-

mo-

moratis poſſeſſiunculis ille contraxerat, imperiale beneficium poſtulare, totum maluit confiteri, quod eas Paulus de argento proprio, cum eſſet fisco obnoxius, de haſtario emerat, ut eas Eccleſia, ſi fieri poteſt, non occulta Epiſcopi iniquitate, ſed manifeſta chriſtiani Imperatoris liberalitate poſſideat. Quod ſi fieri non poteſt, melius inopiæ laborem ſervi Dei tolerant, quam ut neceſſariorum facultatem cum conſcientia fraudis obtineant „„.

Propoſitio damnata.

Ex his patet hanc Propoſitionem, *Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere*, a Clero gallicano anno 1700. merito damnatam eſſe, *ut ſeditioſam, Apoſtolicæ doctrinæ, ac dictis Dominicis aperte contradicentem.*

REGULA XVI.

Rapinæ rei ſunt fraudatores creditorum, & qui fraudulenter bonis, & foro cedunt, aut ſubtrahunt aliquid, & abſcondunt e bonis ſuis, cum a creditoribus ex judicum ſententia injecta manu ſequeſtranda proxime ſunt; aut cum ipſi ceſſionem apud ſe decreverunt; aut qui ſolum vertentes pecunias, aliave bona mobilia, ſeu contractus, & nomina auferunt.

Hæc Regula ejuſdem Catechiſmi verbis explicatur: „„ Fraudatores (*inquit*) creditorum, & inficiatores, quique ſumpto temporis ſpatio ad ſolvendum, ſua, vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine rapinarum; quorum etiam delictum gravius eſt, quod mercatores illorum deſtitutionis, ac fraudationis occaſione, magno detrimento civitatis vendunt omnia carius; in quos illa Davidis ſententia videtur convenire: *Mutuabitur peccator, & non ſolvet* „„.

Pſal. 36.

Contra hujuſmodi homines præclare *S. Ambr.* lib. *De Tobia*, c. 21. „„. Quam deforme eſt (*inquit*) ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas moleſtiam... Debere, verecundum eſt; non reddere, inverecundum. Poſtulabis dilationem, cum cœperis con-

conveniri in tempore præſcriptæ ſolutionis, pro pecunia afferes tædia, cauſaberis de tempore, excuſationes ſtrues; & cum totum promiſeris, ne in univerſum fraudare videaris, vix dimidium reſtitues. De amico inimicum facies, pro honore referes contumeliam, pro benedictione maledictum. Quam hæ opiniones lædant, conſidera; quam a viro bono diſcrepent, recognoſce „„.

Rapinæ etiam rei ſunt, qui prodigalitate, luxuria, comeſſationibus, ludis, luxu, creditoribus ſuis decoquunt; & qui debita contrahunt, cum ſciant ſe non eſſe ſolvendo. Quos vero caſus repentini, vis major, incurſus latronum, naufragia, debitorum ceſſiones, ad bonorum ceſſionem impellunt, rapinæ rei non ſunt, modo debita fateantur, & bona omnia uſque ad quadrantem indicent, & indicata relinquant; nam *Subtrahens quidpiam ex bonis, ſimilis eſt neganti.* Omnes vero, qui fraude cedunt bonis, raptores judicantur, etiam ſecundum leges civiles, quæ a ceſſionis beneficio illos merito excludunt; quia *Fraus, & dolus nemini patrocinantur.* Hinc Regum chriſtianiſſimorum conſtitutionibus, ſcilicet *Franciſci I.* anno 1536. artic. 4. *Caroli IX.* anno 1560. art. 143. *Henrici III.* anno 1579. art. 250. pœnis corporalibus plectuntur, qui bonis cedunt in fraudem creditorum.

Cæterum diligenter obſervandum eſt, eos, qui ceſſionis beneficio a legibus conceſſo abſque fraude utuntur, non propterea debitis, & obligatione ſolvendi liberari, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerint; L. *Qui bonis*, c. tit. 71. *Qui bonis cedere poſſunt*, cujus hæc ſunt verba: „„ Qui bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne judicati detrudantur in carcerem „„. Unde & *Greg. IX.* c. *Odoardus*, Ext. *De Solutionibus*, Clericum, qui debita ſolvere non valet propter rerum inopiam, excommunicari non debuiſſe ſignificat, abſolvique jubet ab excommunicatione inconſulto in ipſum hanc ob cauſam lata: *Recepta prius ab eo idonea*

nea cautione, ut ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat. Verum cum is, qui cedit bonis, nulla bona habeat, quæ pignori dare poſſit, & deinde neque fidejuſſores ulli ei ob inopiam apertam velint accedere, idonea cautio hic intelligenda eſt ea, quam præſtare poteſt, ut caveat, quantum poſſit, videlicet juret, & præſtet cautionem juratoriam, ſe diſſoluturum æs alienum, ſi ad pinguiorem fortunam venerit, ut explicat Gloſſa ejuſdem capitis. Bona itaque omnia poſt ceſſionem quælita obnoxia ſunt creditoribus, ſubducto tamen eo, quod ſuſtentationi debitoris neceſſarium eſt. Unde *Juſtinianus* lib. 4. *Inſt.* tit. 6. *De Actionibus*, §. ult. ait. „ Cum eo, qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, ſi poſtea aliquid acquiſierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere poteſt, judices experiuntur; inhumanum enim erat ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari „.

Rapinæ pariter rei ſunt, qui dolo impetrant a creditoribus remiſſionem partis debitorum, dicendo ſe non habere, unde ſolvant integra, & partem ſe ſoluturos, ſi partem remittant; cum tamen toti ære alieno diſſolvendo ſatis ſint. Vis enim infertur creditori, quia ſponte aliud creditor eſſet facturus, nec remiſſurus. Unde in foro conſcientiæ ad integri debiti ſolutionem tenentur, imo & in foro civili cogi poſſunt, ut ſolvant in ſolidum, exceptione pacti cum creditoribus initi non juvante, ut juriſconſulti docent. Sic enim plecti hujuſmodi hominum fraudem æquum eſt, ut *Boerius*, Decil. 215. & *Greg. Tolejanus* in Syntagmate juris univerſi lib. 22. docent. At ſi creditores miſerti debitorum partem debiti accipiendo, reliquum ſponte dimiſerint, nec in foro civili, nec in foro conſcientiæ debitores prædicti ad reſiduum ſolvendum tenentur, ut conſtat ex L. *Intra illum diem*, D. 11. tit. 14. *De Pactis*, cujus hæc ſunt verba: „ Intra illum diem debiti partem mihi ſi ſolveris, acceptum tibi reſiduum feram, & te liberabo; licet actionem non habet, pacti tamen acceptionem competere debitori conſtitit „.

R E-

REGULA XVII.

Rapinæ rei ſunt non ſolum homines privati, ſed etiam Principes, & Dynaſtæ, qui contra jus aliquid auferunt a ſubditis, ſive clientibus, aut etiam ab extraneis.

Hanc regulam tradit *S. Thom.* 2. 2. qu. 66. art. 8. „„ Rapina (*inquit*) quamdam violentiam, & coactionem importat, per quam contra juſtitiam alicui aufertur, quod ſuum eſt. In ſocietate autem hominum nullus habet coactionem niſi per publicam poteſtatem; & ideo quicunque per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit privata perſona, non utens publica poteſtate, illicite agit, & rapinam committit; ſicut patet in latronibus, *ſive prædonibus publicis, & viarum obſeſſoribus.* Principibus vero poteſtas publica committitur ad hoc, quod ſint juſtitiæ cuſtodes; & ideo non licet eis violentia, & coactione uti, niſi ſecundum juſtitiæ tenorem; & hoc, vel contra hoſtes pugnando; vel contra cives malefactores puniendo. Et quod per talem violentiam aufertur, non habet rationem rapinæ, cum non ſit contra juſtitiam. Si vero contra juſtitiam aliqui per publicam poteſtatem violenter abſtulerint res aliorum, illicite agunt, & rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur „„.

Et in reſponſione ad tertiam objectionem: „„ Si Principes (*inquit*) a ſubditis exigant, quod eis ſecundum juſtitiam debetur, propter bonum commune conſervandum, etiamſi violentia adhibeatur, non eſt rapina. Si vero aliquid Principes indebite extorqueant per violentiam, rapina eſt, ſicut & latrocinium „„. *Unde S. Auguſt. lib.* 4. *De Civitate Dei, cap.* 4. *ait*: „„ Remota juſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Quia & latrocinia, quid ſunt niſi parva regna „„? Et Ezech. 22. dicitur: *Principes ejus in medio ejus quaſi lupi rapientes prædam. Unde &* „„ Ad reſtitutionem tenentur, ſicut & latrones. Et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculoſius

ſius, & communius contra publicam juſtitiam agunt, cujus cuſtodes ſunt poſiti „„.

REGULA XVIII.

Præda ex hoſtibus parta in bello injuſto, rapina eſt, non vero in bello juſto.

Ita docet *S. Thom.* ibidem in reſponſione ad primum „„ Si illi (*inquit*) qui deprædantur hoſtes, habeant bellum juſtum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ; unde nec ad reſtitutionem tenentur. Quamvis poſſint in acceptione prædæ juſtum bellum habentes peccare per cupiditatem ex prava intentione; ſi non propter juſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnent... Si vero illi, qui prædam accipiunt, habent bellum injuſtum, rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur „„.

REGULA XIX.

Rapinæ rei ſunt milites, qui in bello etiam juſto prædas agunt, domos incendunt, agros populantur abſque juſſu Principis, ſive Ducis.

Alioquin privata auctoritate bellum gererent, & hoſtiles actus exercerent. Multo magis rapinæ rei ſunt ruſtici, qui hæc attentant, cum ipſi militiæ non ſint inſcripti. Si tamen ruſtici hoſtilium partium noſtros ruſticos hoſtilem in modum perſequantur, & ſpolient, licitum videtur noſtris, qui aliter ſatisfactionem obtinere non poſſunt, excurrere in agros hoſtiles, eorumque incolas ſpoliare, uſque ad damnorum, & injuriarum compenſationem. Bello namque fervente, pars utraque conſenſum ſui Principis habere præſumitur, ad ſic repetendum ſua, quæ aliter vindicari, & recuperari non poſſunt. Quamobrem jus Repræſaliarum introductum eſt, quæ tunc ſolum juſtæ, ac licitæ ſunt, cum auctoritate Principis, ob cauſam juſtam, rectaque intentione exercentur, ut colligitur ex Canone *Dominus*, cauſa 23.

qu.

qu. 2. Cauſa autem juſta eſt: *Cum gens, aut civitas vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt;* ut loquitur *S. Auguſt.* bellum juſtum definiens, qu. 10. in *Joſuë*, ſed & aliæ conditiones concurrant neceſſe eſt ad Repræſaliarum juſtitiam, ut ſcilicet in perſonas innocentum non ſæviatur, quia æquitati naturali contrarium eſt, alium pro alio in perſona prægravari. Deinde, ne ad Clericos, & perſonas quaſcunque eccleſiaſticas, vel eorum bona extendantur. Id enim ſub pœna excommunicationis prohibetur c. *Etſi pignorationes*, tit. *De Injuriis, & Damno dato*, in ſexto; quod *Gregorii X.* Decretum eſt in Concilio generali Lugdunenſi. Repræſalias duntaxat his conditionibus deſtitutas prohibet authentica, *Ut non fiant*, Collat. 5. illas duntaxat improbat Greg. X. *Tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrarias, civilique Conſtitutione prohibitas.*

A rapinæ vero labe immunes ſunt milites, qui in bello juſto, Principis, aut Ducis mandato ſpoliant & innocentes hoſtilis reipublicæ eis rebus, quibus hoſtes uterentur adverſus eos, qui juſtum bellum gerunt, verbi gr. armis, navibus, equis, eorumque pabulo, commeatu; & ideo pagos, oppida, domos incendunt, agros populantur.

REGULA XX.

Rapinæ rei ſunt milites, qui ruſticos, aut cives, apud quos diverſantur, ſive in itinere, ſive in hyemalibus ſtationibus, aut præſidiis, hoſtilem in modum vexant, ſpoliant, pecuniaſve, aut alias ab ipſis auferunt, vel extorquent, præter id, quod ipſis conſtitutum eſt.

Per vim enim auferunt, vel exigunt, quod ipſis indebitum eſt, violantque divinum præceptum a S. Joan. Baptiſta militibus ſignificatum (ut refertur Luc. 3.) *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Ejuſdem

peccati rei ſunt Duces, qui hæc diſſimulant, & ad reſtitutionem etiam tenentur.

REGULA XXI.

Legionum, cohortiumque Duces rapinæ rei ſunt, cum milites, ruſticos, cives, Principem, aut reſpublicam defraudant.

Rapinæ (inquam) rei ſunt, qui ſtipendia militibus non ſolvunt, & reſtitutioni omnium damnorum inde conſequentium ſunt obnoxii, ſive militibus ipſis, ſive ruſticis, aut civibus, qui a milite ſtipendiis defraudato ſpoliantur, & opprimuntur. Rapinæ rei ſunt & illi, qui completas legiones, vel cohortes non habent, & tamen pro numero militum, quo conſtare debent, ſtipendia exigunt. Hi non ſolum reſtituere tenentur ſtipendia, quæ injuſte acceperunt, ſed & damna Principi, vel reipublicæ ex imminutione legionum, vel cohortium provenienția reſarcire. Rapinæ itaque reos eſſe minime dubium eſt, qui dum legiones recenſentur, aliquos ad ſupplendum numerum in habitu militari exhibent, qui revera non ſunt conſcripti. Rapinæ etiam rei ſunt, nec a reſtitutionis onere immunes, qui a certis pagis, vel oppidis pecunias accipiunt, ut milites mittant, vel ducant in alia loca hoſpitii gratia. Duces enim militum ea ſolum victualia percipere poſſunt, quæ ex conſuetudine, vel mandato Principis, ſive miniſtrorum ejus indicuntur, idque in eo tantum loco, ubi excipiuntur hoſpitio; nec jus habent aliquid exigendi ab iis, apud quos non diverſantur; nec unum oppidum, vel pagum præ aliis gravare ipſis licet; ſed habere debent rationem itineris ſibi præſcripti, & in locis deſignatis diverſari.

REGULA XXII.

Rapinæ rei ſunt, quicunque res naufragorum diripiunt.

Illos anathemate percellit Concilium romanum ſub *Gregorio VII.* anno Pontificatus illius 5. Eos

Ut

Ut raptores, & fratrum necatores ab Eccleſiæ liminibus excludit *Paſchalis 2.* Eamdem in illos pœnam ſtatuit Concil. Later. 3. *ſub Alex. III.* c. 24. „ „ Ille (*inquit*) qui Chriſtianos naufragium facientes, quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur, damnandâ cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, nili ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere „ „. Refertur cap. *Excommunicationi*, Ext. *De Raptoribus*, Concil. Nannetenſe anno 1127. ab *Hildeberto* Turonenſi Archiepiſc. congregatum, Britanniæ comitem pravam conſuetudinem abrogare, ſeu dimittere, ac reſcindere compulit, qua naufragorum bona, etiam in portu inventa uſurpabat; Conciliique Decretum confirmavit *Honorius II.* Pontifex maximus, Epiſtola ad Epiſcopos provinciæ Turonenſis data: „ „ Pravas illas conſuetudines (*inquit*) a comite Britanniæ clariſſimo in manu prælati Archiepiſcopi refutatas, quarum una fuit, quod maritis, vel uxoribus decedentibus, bona eorum mobilia a poteſtate ſeculari diripiebantur; altera, qua illis, qui naufragium evaſerant, etiam quæ in portu poſtmodum inventa erant, auferebantur, damnamus, & ne quis eas futuris temporibus renovare præſumat, auctoritate apoſtolica interdicimus. Iniquum enim cenſemus eſſe, ut quem divinæ Clementiæ magnitudo a ſævientis pelagi voracitate eruit, hominum ſæva rapacitas audeat ſpoliare. Piorum namque Imperatorum emanavit auctoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempeſtate maris, levandæ navis cauſa ejiciuntur, non amittatur dominium. Non enim eas aliquis eo animo abjicit, quod habere nolit, ſed quod periculum effugere poſſit. Et qui res ipſas lucrandi animo abſtulerit, furtum committit „ „.

Concilii iſtius Decretum renovavit Concilium Turonenſe anno 1583. celebratum: „ „ Si ventorum vi (*inquit*) vel tempeſtate agitata navis, variis onuſta mercibus, ſcopulis illiſa, naufragio frangatur ex Concilio Nannetenſi pridem, ſedente Honorio II. habito; naufragii reliquias, neminem ſive nobilem,

ſive alium, multo minus eccleſiaſticum, præter naufragum, tuta conſcientia ſibi arrogare poſſe declaramus. Adverſatur enim non modo chriſtianæ pietati, ſed etiam legi naturæ, & civili, cum aliena jactura locupletari „.

Conſtitutio *Federici II.* Imperatoris, §. *Navigia*, tit. *De Statutis, & Conſuetudinibus*, Collat. 11. in *Auctenticis*, & L. *Navigia.* c. lib. 6. tit. *De furtis, & ſervo corrupto*, ſtatuit, navigantium bona, quæ navi vel rupta fluctibus, vel expugnata, in portum, vel alias ripas pervenerint, integra dominis reſervari, ſublata penitus omnium locorum contraria conſuetudine; niſi navigia illa pyraticam exercerent pravitatem, vel inimica chriſtiano eſſent nomini. Atque tranſgreſſores ſanxit bonorum publicatione multari, aliaque pœna extraordinaria puniri. Et L. *Si quando*, c. lib. 11. tit. 5. *De Naufragiis*, Imperator prohibet fiſco, ne in aliena calamitate de re tam luctuoſa compendium ſectetur, & res dominis reſtitui jubet.

ARTICULUS IV.

Regulæ morales de reſtitutione, cujus lege tenentur Fures, Raptores, Uſurarii.

REGULA PRIMA.

Fures, raptores, uſurarii reſtitutionis lege ita tenentur, ut ſacramentaliter abſolvi, & ſalutem conſequi non poſſint, niſi reſtituant, quod injuſte abſtulerunt, & acceperunt, ſi tamen reſtituere poſſint.

De Reſtitutione. Hanc Regulam, quam docet ipſa naturæ lex, confirmat *S. Auguſtinus* Epiſtola 153. alias 54. ad *Macedonium* data. „„ Peſſimum (*inquit*) hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodeſt. Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur

tur ablatum; ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert, amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet, unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere: Redde, quod abſtulisti, niſi cum eum habere credimus, & negare. *Et infra*; Illud vero fidentiſſime dixerim: Eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata reſtituat; & qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, ac non potius ſubvertit, atque opprimit... Agimus, quantum Epiſcopalis facultas datur, & humanum quidem nonnunquam, ſed maxime, ac ſemper divinum judicium comminantes. Nolentes autem reddere, quos novimus & male abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clam, quoldam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impedit, ſancti Altaris communione privamus „„.

Et infra: „„ Quid dicam de Uſuris, quas etiam ipſæ leges, & judices reddi jubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc, atque hujuſmodi male utique poſſidentur, & vellem reſtituerentur; ſed non eſt, quo judice repetantur „„. Hinc regula juris in Sexto 4. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*. Quod & divino prius jure ſancitum eſt Ezech. 33. ubi de impio dicitur; *Vita vivet, ſi egerit pœnitentiam, & pignus reſtituerit, rapinamque reddiderit*. Idem confirmatur ex cap. *Super eo*, Ext. *De Raptoribus*, *quod Eugenii III.* reſponſum eſt, quod raptori cuicunque *Pœnitentiæ beneficium penitus denegari* jubet, *niſi prius ablata reſtituat, ſi poterit, vel emendandi firmam, & plenam ſecuritatem fecerit*, Et cap. *Quamquam*, tit. *De Uſuris*, in ſexto, quod *Gregorii X.* in Concilio

Lugdunenſi decretum eſt: „„ Nullus (*inquit*) manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit; aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent ideneam cautionem „„. Quin & ipſa naturæ lex fures, raptores, uſurarios, omnes, qui damnum aliquod proximo intulerunt, ad reſtitutionem obligat, ut diximus, cum juſtitiam conſervare jubeat. „„ Reſtitutio enim eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit; & ideo reſtituere importat redditionem illius rei, quæ injuſte ablata eſt. Siç enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si vero juſte ablatum ſit, æqualitas erit; & ideo non neceſſarium erit, ut ei reſtituatur, quia juſtitia in æqualitate conſiſtit. Cum ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis; conſequens eſt, quod reſtituere id, quod injuſte ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis „„ (*inquit S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 2.*) Rei autem injuſte ablatæ nomine, non ſolum res ipſa, ſive pretium ejus, ſi forte vendita fuiſſet, ſed & fructus ex illa percepti intelligi debent, totumque lucrum, quo ratione illius factus eſt ditior, qui illam injuſte accepit, vel detinuit; necnon damna omnia emergentia, & lucra intercepta ratione injuſtæ acceptionis, vel detentionis.

REGULA II.

Fur, Raptor, Uſurarius, & quicunque alteri damnum intulerit in rebus ejus, id tantum reſtituere tenetur, quod accepit, vel ejus æquivalens; plus reſtituere non tenetur ante ſententiam judicis.

Reparatur enim æqualitas, cum tandumdem reſtituitur proximo, quantum ipſi ablatum eſt. Quod vero inſuper imponit, decernitque judex, rationem habet mulctæ ac pœnæ. Et ideo fur, raptor, uſurarius: „ Antequam ſit condemnatus per judicem, non tenetur reſtituere plus, quam accepit; ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſolvere „;

(*in-*

(*inquit S. Thom.* art. 3. qu. mox indicatæ.) Verbi gratia ſi Princeps, aut Magiſtratus ſub pœna decem aureorum prohibuerit, ne frumentum pluris vendatur, quam ſex nummis, is, qui juſtum pretium fuerit ſupergreſſus, id ſtatim reſtituere tenetur, quod ultra pretium conſtitutum accepit, alioquin abſolvi non debet; decem vero aureos mulctæ nomine impoſitos ſolvere ante non tenetur, quam fuerit ad illorum ſolutionem a judice condemnatus.

REGULA III.

Quicunque injuſte rem alienam accepit, quam actu habebat, ad æquale reſtituendum tenetur. Si vero damnum intulit impediendo conſecutionem ejus, quod in ſpe erat, & potentia, ſive quod probabiliter alius erat acquiſiturus, & poſſeſſurus, tenetur ad compenſationem pro ratione lucri intercepti faciendam ſpectatis rerum, & perſonarum circumſtantiis, ad arbitrium peritorum, proborumque virorum.

Hanc regulam tradit *S. Thom.* 2. 2. qu. 62. art. 4. „ „ Homo (*inquit*) tenetur ad reſtitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei id, quod actu habebat; & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum recompenſationem æqualis; puta, ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantum, quantum valet domus. Alio modo, ſi damnificet aliquem impediendo, ne adipiſcatur, quod erat in via habendi, tale damnum non oportet compenſare ex æquo, quia minus eſt habere aliquid in virtute, quam habere actu; qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel poteſtatem, & ideo ſi redderetur ei, ut haberet hoc in actu, reſtitueretur ei, quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum; quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis. Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere ſecundum condi-

tionem perſonarum, & negotiorum „„. Quanta igitur erat ſpes rem illam conſequendi, quanta propinquitas potentiæ, ſeu diſpoſitio cauſarum, ex quibus utilitas, vel lucrum probabiliter ſperabatur, tantum reſtituendum eſt, habita tamen ratione periculorum, quibus ejus conſecutio veriſimiliter poterat impediri; æſtimatis etiam, & deductis expenſis, quæ faciendæ fuiſſent, ut bonum, quod in ſpe tantum erat, reipſa haberetur, & poſſideretur. Unde venatores, & alii, qui ſegetes conculcant, aliove modo perdunt, non debent quidem tantum reſtituere, quanti valerent meſſis tempore, vel cum in horreum collectæ ſunt, nec tamen ſolum quanti ſecundum ſe valent gramina, frugeſque immaturæ, quando conculcantur; ſed quanti æſtimantur omnibus circumſtantiis ſpectatis, ac deductis expenſis ad meſſem neceſſariis. Pari ratione, reſtituendum lucrum eſt, quod feciſſet aliquis ex locatione rei furto ſublatæ. Et ſi fur pecuniam diripuerit negotiationi expoſitam, vel deſtinatam, vel etiam ad cenſum dandam, aut ad emptionem fundi alicujus fructuoſi; non tantum reſtituere tenetur pecuniam, quam abſtulit; ſed etiam lucrum omne, quod intercepit. Denique omnis malæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere non modo rem alienam, quam habet, ſed & fructus illius omnes integroſque, quos vel percepit ipſe, vel quos dominus percepiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet, deductis tamen expenſis neceſſariis: fructus (inquam) rei, non fructus induſtriæ. Unde ſi quis domum, vel agrum uſurpet, non ſolum res ipſas, ſed & earum fructus reſtituere tenetur domino. Res enim quælibet fructuoſa domino ſuo fructum parit. Si quis vero pecuniam furto ſublatam in negotiationem exponat, ex eaque multum lucretur, caput quidem ipſum, ſeu pecuniam furto ſublatam reſtituere tenetur, non tamen quæſtum ex ea factum, qui fructus eſt induſtriæ ſuæ. Debet autem reſtituere fructus rei non ſolum a ſe perceptos, ſed quos dominus percepiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet, ut reſpondet *Cœleſtinus III.* c. *Gravis*,

vis, Ext. *De Reſtitutione ſpoliatorum*, cujus hæc ſunt verba: „„ Mandamus, quatenus prædictum Archidiaconum, ablata prænominati monaſterii fratribus cum integritate reſtituere, damna plenarie reſarcire, & de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis, proviſuri, ut non tantum fructus a novo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos, ſi eis poſſidere fuiſſet licitum, poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem „„.

REGULA IV.

Qui damnum intulit alteri abſque omni prorſus culpa, ad reſtitutionem non tenetur.

Culpæ nomen in præſentiarum uſurpamus, non ſolum prout veri nominis peccatum ſignificat, quomodo a Theologis accipitur, ſed prout uſurpatur a juriſperitis, quatenus omiſſio eſt alicujus diligentiæ, ſive per ignorantiam, ſive per incuriam, aut inconſiderationem. Culpam ſic acceptam dividunt in latam, levem, & leviſſimam. *Lata* eſt omiſſio diligentiæ, vel conſiderationis, quam homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent in ſimili negotio; ut negligentia ejus, qui vas aureum, aut quidquam aliud ſibi commodatum foris in loco publico reliquit. *Levis culpa*, eſt omiſſio diligentiæ, quam homines ejuſdem conditionis diligentiores in ſimilibus negotiis adhibere ſolent; qualis eſt ejus, qui craterem aureum, aut librum in ſuo quidem cubiculo reliquit, ſed oſtio aperto. *Culpa leviſſima*, eſt omiſſio diligentiæ, quam adhibere ſolent homines diligentiſſimi, qualis eſt ejus, qui monile aliquod pretioſum ſibi commodatum, aut pecuniam apud ſe depoſitam in cubiculo, vel arca poſuit, recluſitque, ſed manu non tentavit, an cubiculum, & arca bene clauſa eſſent.

His prænotatis, Regula noſtra firmatur cap. *Si culpa*, Ext. *De injuriis, & damno dato*, quod *Gregorii IX.* reſponſum eſt. „„ Si culpa tua (*inquit*) datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem

opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, vel negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam: *Et infra:* Sane licet, qui occaſionem damni dat, damnum videatur dediſſe; ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omiſit „„. Si quis ergo dederit occaſionem incendio, furto, homicidio, nihil tamen, ut non contingeret, de contingentibus omiſerit, quæ a viris prudentibus obſervari, & caveri ſolent, ad reſtitutionem non tenetur; ſecus ſi negligentiæ, & inconſiderationis reus ſit. Unde Exodi 22. 6. dicitur: *Si egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.*

Præterea, nemo ad reſtitutionem tenetur, niſi ratione rei alienæ, quam apud ſe habet, injuſteque detinet, vel ratione injuſtæ acceptionis, & injurioſæ actionis, ut docet *S. Thom.* 2. 2. qu. 62. art. 6. Qui autem damnum dedit abſque omni prorſus culpa, nec rem alienam detinet, nec injuſte accepit, nec in ſuam utilitatem convertit, nec injurioſam aliquam actionem commiſit; itaque reſtitutionis lege non tenetur. Si vero non cavit, prout debebat, & prout diligentiores quique cavere ſolent, ne damnum accideret, omiſitque aliquid de contingentibus, damnum datum reſarcire tenetur. Qui ergo ex culpa lata, imo & levi, damnum alteri intulit, reſtitutionis lege tenetur.

REGULA V.

Ratione contractus, qui fit in ſolius accipientis utilitatem, lege reſtitutionis ipſe tenetur ex culpa etiam leviſſima.

Sic qui commodatum accepit, ſi res ſibi commodata pereat ſua culpa, & negligentia, tametſi levi, illam reſtituere tenetur commodanti. Poſtulat enim

enim æquitas, ut in cuſtodia rei alienæ, cujus uſum ad certum tempus gratis accepimus; diligentiam adhibeamus maximam, ne domino pereat, & quanta in rerum propriarum cuſtodia ſolet à viris prudentiſſimis & diligentiſſimis adhiberi.

REGULA VI.

Ratione contractus, qui ſit in ſolam accipientis utilitatem, verbi gratia commodati, obligatio reſtituendi ex caſu fortuito non oritur, niſi culpa ipſius contigerit, vel intervenerit pactum, vel in mora fuerit.

Cum enim unaquæque res domino ſuo pereat, ſi nulla culpa ejus, cui tradita eſt, interceſſerit, nulla pactio præceſſerit, & res commodata maneat in dominio commodantis, ipſi, non vero commodatario perit, ſi caſu fortuito pereat. Lege tamen reſtitutionis tenetur commodatarius, ſi quæ illius culpa præceſſit, tametſi fortuito res commodata perierit. Si quis, v. gr. equum commodato acceperit Lugdunum uſque, & cum eo longius profectus ſit, ubi à latronibus comprehenſus, & abductus eſt; vel ſi craterem aureum commodato acceperit quo domi uteretur, & foras extulit, ubi furto ſublatus eſt, reſtituere debet. Rebus enim commodatis uti aliter non licet, quam dominus conceſſerit. Tenetur etiam commodatarius reſtitutionis lege ex caſibus fortuitis, ſi pactum interceſſerit, ut ſi res commodata fortuito caſu periret, ipſi commodatario periret, damnumque compenſare tenetur commodanti. Cum denique mora præceſſit, interimque res commodata periit, vel deterior facta eſt, quod veriſimiliter non contigiſſet, niſi commodatarius in mora fuiſſet: Verbi gratia, ſi librum commodato acceperit ad menſem, retinuerit autem diutius, & interea furto ſublatus fuerit, vel incendio perierit, tenetur ille ad reſtitutionem.

Hanc, & ſuperiorem regulam confirmat *Gregorius IX.*

nem ex culpa lata, & levi, non tamen ex leviſſima, neque ex fortuitis caſibus.

Cum enim in locatarii utilitatem res locata concedatur, æquitatis ratio poſtulat, ut diligentem illius curam habeat, non tamen neceſſe eſt, ut diligentiſſimam, quia non ob ſolam illius utilitatem, ſed etiam ob domini commodum conceditur, eadem ratio eſt de pignore, de quo *Juſtinian.* lib. 3. *Inſt.* tit. 15. §. 4. ait: „„ Creditor, qui pignus accepit, re obligatur; quia & ipſe de ea re, quam accepit, reſtituenda, tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriuſque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur; & creditioris, quo magis ei in tuto ſit creditum; placuit ſufficere, ſi ad eam cuſtodiendam exactam diligentiam adhibeat; quam ſi præſtiterit, & aliquo fortuito caſu rem amiſerit, ſecurum eſſe, nec impediri creditum petere „„. De contractu venditionis, & emptionis idem eſto judicium, cum in gratiam, & commodum utriuſque contrahentium celebretur. Si poſt mutuam conventionem res pereat, vel deterior fiat penes venditorem, ſine ipſius culpa, damnum ad emptorem pertinet, ſecundum leges, tit. *De contrahenda emptione*, in Digeſtis, & in Codice, & tit. *De periculis, & commodo rei venditæ.* Celebrato enim venditionis contractu, res vendita jam eſt emptoris; niſi venditio conditionalis ſit, nondumque ſit impleta conditio; res autem unaquæque domino ſuo perit, niſi pereat ejus culpa, qui illam cuſtodire tenetur, vel aliter pactis conventis firmatum ſit.

REGULA IX.

Qui ad rem fragilem admodum tranſvehendam operas ſuas locat, ad damnum reſarciendum tenetur ex culpa etiam leviſſima.

Id colligitur ex lege, *Si merces*, lib. 19. *Dig.* tit. 2. *Locati conducti*, §. 7. cujus hæc ſunt verba: „„ Qui columnam tranſportandam conduxit, ſi ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta ſit, ita id peri-

periculum præſtat, ſi qua ipſius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit; culpa autem abeſt, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſſimus quiſque obſervaturus fuiſſet. Idem ſcilicet intelligemus, & ſi dolia, vel tignum tranſportandum aliquis conduxerit. Idemque etiam ad cæteras res transferri poteſt „„.

REGULA X.

In quaſi contractu, ſeu negotiorum alienorum geſtione, tenetur quis ad reſtitutionem ex dolo duntaxat, aut culpa lata, niſi ſe obtulerit, cum alter diligentior adhibendus eſſet, vel quærendus; ſi enim alius diligentior negotia illa adminiſtraturus eſſet, ipſeque ſe ingeſſerit, reſtitutionis lege tenetur etiam ex culpa levi.

Hæc regula legibus nititur, ſcilicet L. *Ait Prætor*, lib. 3. Dig. tit. *De Negotiis geſtis*, §. 9. „„ Interdum (*inquit*) in negotiorum geſtorum actione Labeo ſcribit dolum ſolummodo verſari. Nam ſi affectione coactus, ne bona mea diſtrahantur, negotiis te meis obtuleris; æquiſſimum eſſe dolum duntaxat te præſtare. Quæ ſententia habet æquitatem „„.

Et L. *Tutori*, C. eod. tit. „„ Tutori, vel curatori ſimilis non habetur, quia citra mandatum negotium alienum ſponte gerit; quippe ſuperioribus quidem neceſſitas muneris adminiſtrationis finem, huic autem propria voluntas facit. Secundum quæ ſuper his quidem, quæ nec tutor, nec curator conſtitutus ultro quis adminiſtravit, cum non tantum dolum, & latam culpam, ſed & levem præſtare neceſſe habeat, a te conveniri poteſt, & ea, quæ tibi ab eo deberi potuerit, cum uſuris compelletur reddere „„. *Item* L. *In re mandata*, lib. 4. *Cod.* tit. *Mandati, vel contra, dicitur*: „ Aliena negotia exacto officio geruntur; „ nec quidquam in eorum adminiſtratione neglectum, „ ac declinatum culpa vacuum eſt „.

Et lib. 3. *Inſt.* tit. 28. *De obligationibus quæ quaſi ex contractu naſcuntur*, §. 1. *Juſtinianus*, ait, ita

naſci iſta actiones: „„ Si ſine mandato quiſque alienis negotiis gerendis ſe obtulerit. Ex qua cauſa ii, quorum negotia geſta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque utilitatis cauſa receptum eſt; nec abſentium, qui ſubita feſtinatione coacti, nulli demandata negotiorum ſuorum adminiſtratione peregre profecti eſſent, deſererentur negotia; quæ ſane nemo curaturus eſſet, ſi de eo, quod quis impendiſſet, nullam habiturus eſſet actionem. Sicut autem is, qui utiliter geſſit negotia, dominum habet obligatum negotiorum geſtorum; ita & contra ille quoque tenetur, ut adminiſtrationis reddat rationem. Quo caſu ad exactiſſimam quiſque diligentiam compellitur reddere rationem; nec ſufficit talem diligentiam adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet; ſi modo alius diligentior eo commodius adminiſtraturus eſſet negotia„„.

REGULA XI.

Qui aliena gerit negotia, ad reſtitutionem aliquando tenetur ob caſus fortuitos, ſi abſque mandato illa geſſerit.

Sex caſus juriſperiti recenſent, in quibus ad reſtitutionem hujuſmodi negotiorum Procurator tenetur, ut habet Gloſſa legis, *Si negotia*, in *Dig.* tit. *De Negotiis geſtis*, ad verbum, *Si ſolitus*. Nota (inquit) ſex caſus, in quibus geſtor negotiorum tenetur de caſu. Primo *Si geſſit negotia pupilli*, ut L. *Pupilli*, eod. tit. in principio. Secundo, *ſi acceſſit animo deprædandi*, ibid. §. *Sed, & ſi quis*. Tertio, *ſi ad nova negotia*, eadem lege, *Si negotia*. Quarto, *ſi caſum in ſe ſpecialiter recipit*, ut L. *Negotium*, c. *De negotiis geſtis*. Quinto, *ſi culpa præceſſerit caſum*, L. *Sive*, eod. tit. Sexto, *Si fuit in mora*, L. *Cum res*, D. tit. *De Legatis*.

REGULA XII.

Ratione tutelæ, dotis dationis, & ſocietatis, ſive communionis rerum tenetur aliquis ad reſtitutionem ex culpa lata, & levi, niſi aliter conventum ſit.

Hæc

Hæc regula colligitur ex lege *Contractus*, tit. D. *De Regulis juris*, cujus hæc ſunt verba: „„ Dotis datio, tutelæ, negotia geſta, ſocietas, & rerum communio & dolum, & culpam recipit; ſed hæc ita, niſi ſi quid nominatim convenit, vel plus vel minus in ſingulis contractibus; nam hoc ſervabitur, quod initio convenit, legem enim contractus dedit „„.

REGULA XIII.

Judices, qui iniquam ſententiam, ſive dolo, ſive ex imprudentia, aut ignorantia tulerunt, ad reſarcienda damna omnia inde conſequentia parti læſæ tenentur.

Hanc regulam non aliis, quam *S. Raymundi* verbis explicabo, lib. 2. tit. *De Præſcriptionibus* §. 35. „„ Judices (*inquit*) ferunt aliquando iniquam ſententiam dolo malo, aliquando per imprudentiam; in primo caſu, ſive timore, ſive cupiditate, ſive odio, ſive amore, ſive alia aliqua cauſa iniquam tulerint ſententiam, tenentur præciſe ad omne intereſſe illi, qui ex tali ſententia læſus eſt, niſi forte poſſent inducere illum, pro quo tulerunt ſententiam, ad plenariam reſtitutionem faciendam ei, qui fuit læſus. C. *De pœna judicis, qui male judicavit*, L. *ult. cauſ.* 11. qu. 3. *Can.* 4. Debet etiam præter reſtitutionem imponi pœnitentia tanquam pro graviſſimo crimine. In ſecundo caſu, ſcilicet cum per imprudentiam tenetur ſecundum leges læſo, in quantum bonum, & æquum videbitur religioni judicantis. ff. *De extraord. cogn.* L. *ult.* In judicio tamen animæ, credo idem, quod in primo caſu ſcilicet, quod teneatur ad reſtitutionem; in culpa enim fuit, cum ſcivit, vel ſcire debuit ſe inſufficientem, & tamen judicare talem cauſam præſumpſit. Et idem, ſi erat ſufficiens, quoad ſcientiam, ſi voluiſſet libros revolvere, & ſtudere; ſed quia fuit negligens, & noluit ſtudere, quem debuit condemnare, abſolvit, & e converſo. Mitius tamen eſt agendum cum iſto, quam cum illo, qui dolo fecit „„.

REGULA XIV.

Judex, qui pecuniam accepit, ut ſententiam qualemcunque ferret, reſtitutionis lege tenetur.

Ita docet ibid. *S. Raym.* §. 26. „„ Quid ſi (*inquit*) Judex accepit pecuniam, ut ferret ſententiam? Diſtingue; aut recepit pecuniam, ut judicaret inique, aut ut judicaret bene, aut ſimpliciter ut judicaret; in primo caſu, ſi tulit ſententiam iniquè, tenetur, ut dictum eſt ſupra in illo, qui dolo malo; ſed pecuniam male acceptam, ſive tulerit ſententiam iniquam, ſive juſtam, ſive nullam, tenetur indiſtincte reſtituere, non ei, qui dedit, cum turpiter dederit, ſed ei, in cujus injuriam recepit... In aliis duobus caſibus ſimiliter tenetur reſtituere, quia cum ex officio ſuo teneretur judicare, & bene, & gratis, turpiter accepit, & crimen concuſſionis commiſit. Et idem dico, ſi acceperit pecuniam, ut judicaret, cum non deberet judicare, vel ut male judicaret. *Nam ut ait S. Auguſt. relatus cauſ.* 11. *qu.* 3. Non licet judici vendere juſtum judicium. Sed cui reſtituet? Licet quidam aliter dixerit, dico, quod illi, qui dedit, ſi bona intentione dedit, ſcilicet ut jus, & quietem ſibi conſervaret. Si dedit, ut animum judicis ſibi ſub ſpecie recti inclinaret; & ita indirecte, ac tacite intendebat ipſum corrumpere, non illi, ſed pauperibus, & illi, in cujus injuriam data fuit, juxta arbitrium Eccleſiæ reſtituenda eſt pecunia. Item ſi nullo modo voluit ferre ſententiam judex, & propter hoc pauper aliquis, vel alius amittit jus ſuum; dico, quod tenetur judex, & facit litem ſuam, id eſt, debet reſtituere æſtimationem litis ei, qui propter ejus negligentiam læſus eſt 23. *qu.* 2. Dominus, *& qu.* 5. Adminiſtratores. *Auct.* Ut differentes judices. §. *penult* „„.

REGULA XV.

Quicunque ex officio aliquod faciunt in utilitatem alterius, mercede tamen conducti, ut advocati, medici, chirurgi, pharmacopolæ, artifices, non ſolum

lum ex dolo, & lata culpa, ſed etiam ex culpa levi, ad reſtitutionem tenentur.

Cum enim opus, quod faciunt, in eorum etiam utilitatem cedat, majorem adhibere debent diligentiam, quam ſi nullum inde commodum perciperent. Præterea eorum opera nemo uteretur, niſi illos crederet artis ſuæ peritos, induſtrios, diligentes. Ad reſtitutionem ergo tenentur, ſi eorum culpa, tametſi levi, damnum datum eſt, ut confirmat cap. *Si culpa*, Ext. *De Injuriis, & damno dato*, cujus hæc ſunt verba; „„ Si culpa tua damnum eſt datum, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam „„.

Quod ſpectat reſtitutionem ab advocatis infidelibus, imperitis, negligentibus, aut rapacibus faciendam, de his audiendi ſunt *S. Auguſt. S. Thom. S. Raymundus*, & *S. Antonin.*

S. Auguſt. Epiſt. 153. alias 54. *ad Macedonium*, ubi ait; „„ Dicitur Advocato: Redde, quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, judicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti. *Et paulo poſt*: Quis tandem advocatus, aut ex advocato ita vir optimus facile reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat, recipe, quod mihi, cum tibi male adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo, quod me agente inique abſtuliſti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectiſſime pœnitet, etiam hoc facere debet, ut ſi ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem. Niſi forte reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculo aufertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventi legibus obtinetur „„.

S. Thomas 2. 2. qu. 71. art. 3. „„ Illicitum eſt (*inquit*) alicui cooperari ad malum faciendum, ſive con-

ſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercunque conſentiendo; quia conſiliando, & coadjuvans quodammodo eſt faciens. Et Apoſtolus dicit ad Romanos 1. quod *Digni ſunt morte non ſolùm, qui faciunt* peccatum, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: Unde & ſupra dictum eſt, quod omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod advocatus & auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur. Unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt „„.

Et in reſponſione ad ſecundum: „„ Advocatus, ſi in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet. Poteſt tamen, & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno „„.

S. Raymund. lib. 2. tit. *De Raptoribus*, §. 39. „„ Circa advocatos (*inquit*) in judicio animæ quatuor ſunt principaliter attendenda, ſcilicet perſona, cauſa, modus advocandi, & ſalarium... Ne aſſumat cauſam injuſtam, & ſi accepit ab initio ignoranter, & in proceſſu judicii cognoſcit eam talem, debet eam relinquere... Modus, ut non perducat falſa inſtrumenta, nec teſtes falſos, vel corruptos, nec mentiatur, nec leges falſas, vel alias juris, vel facti probationes inducat, nec dilationes non neceſſarias in gravamen partium quærat. Item, quod fideliter cauſam ſui clientuli, in quantum juſtitia permittit, foveat, nihil de contingentibus omittendo... Item non procaciter, vel dicendo convicia, vel vociferando advocet; quia per hoc impeditur proceſſus juſtitiæ... Salarium, ſcilicet ut moderatum petat. Attenditur autem hoc moderamen ſalarii circa quatuor. Primum,

quan-

quantitas cauſæ; Secundum, labor advocationis: Tertium, ſcientia, facundia, & honeſtas advocantis: Quartum conſuetudo regionis; juxta iſtorum quatuor conſiderationes majus, vel minus poteſt, & debet taxari... Caveat ante omnia advocatus, ne petat emolumentum, vel ſalarium cum gravi damno litigatoris. 3. *qu.* 7. *Arcentur* §. Item ex quo cauſa eſt incœpta, nullum faciat pactum cum litigatore, quem in propriam recipit fidem, quia poſſet eſſe occaſio magni periculi. 3. *qu.* 7. §. *Propterea non licet*... Tenetur autem advocatus ad reſtitutionem omnium, quæ illi, contra quos præſtabat patrocinium, propter ipſius pertinaciam injuſte amiſerunt; & tenetur etiam illis, quibus præſtitit patrocinium, ſi propter ſuam infidelitatem, vel negligentiam, vel imprudentiam amiſerunt cauſam. Tenetur etiam, ſi extorſit ſalarium, unde non debuit extorquere; vel ſi ultra quam debuit habere, extorſit; alias ſi abſque fraude, & dolo ipſius aliqua eſſent ſponte oblata a ſuo clientulo, ſi accipiat, non dico eum teneri ad reſtitutionem „„.

S. Antonin. 3. P. tit. 6. c. 2. §. 5. „„ De defectibus (*inquit*) & vitiis advocatorum ponit Alvarus in lib. De Planctu Eccleſiæ; peccant enim multipliciter. Et primo, cum fovent ſubdole cauſas prodendo, id eſt, decipiendo clientulum, dum ſcilicet adjuvant occulte adverſarium; & tales, qui dicuntur prævaricatores, ſunt infames. *Can. Euphemium.* 2. *qu.* 3. §. *Notandum.* Et tenentur ultra peccatum injuſtitiæ, & proditionis, ad omne damnum, & intereſſe læſo. Secundo, quia cauſas deſperatas fovent contra conſcientiam, & in hoc gloriantur, quaſi magis ſubtiles advocati, contra illud, *Can. Qui conſentit*, 2. *qu.* 3. & talis etiam tenetur parti adverſæ, quæ juſtitiam habet, de omni damno, & intereſſe, & etiam ſuo clientulo de expenſis, ſi ſuadet ſibi jus habere, ut litiget. Tertio, cum dilationes ſuperfluas nituntur obtinere ad hoc tantum, ut fugiant ſententiam, vel magis prolongetur litigium, unde plus lu-

crarentur; vel ſcienter ſine cauſa rationabili faciunt clientulum appellare; & etiam tenentur de damnis propter hoc. *Can. infamis, 3. qu. 7. §. Tria.* Quarto, in recipiendo nimis magnum ſalarium, vel paciſcendo de certa parte litis cum gravi damno litigatoris; quod prohibetur *Can. Infames, §. Arcentur, 3. qu. 7.* Quinto, quia ignorantes jura cum neſciant, quid dicant, opprobriis, & contumeliis certant. Sexto, cum informant falſos teſtes, & quærunt, ſeu faciunt poſitiones cavilloſas, vel induçunt clientulum ad dejerandum imponendo, & reſpondendo; & ideo, ut homicidæ animarum tenentur, & infamia perpetua notantur. *Can. Ille, qui hominem 22. qu. 5.* Septimo, qui recepto ſalario non curant de cauſis, nec vigilant circa eas, & ſic propter negligentiam clientulus amittit juſtam cauſam; & tunc ultra peccatum obligantur ad ſatisfactionem, argumento *Cap. Ad aures de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.* Octavo, quia cum ſciunt aliqui, vel ſcire debeant ſe ignorantes, & inſufficientes, nihilominus ſalarium recipiunt; & propter inſufficientiam ſuam, cauſam juſtam amittunt; unde in culpa ſunt, & ad reſtitutionem tenentur. Nono, quia ubi ſufficientes ſunt, ipſi, qui aſſumunt officium advocationis, aliis inſufficientibus vices ſuas committunt; unde & ipſi de læſione clientuli tenentur; niſi forte clientulus ſciens, & prudens contentus fuiſſet, quia eo invito non poteſt alteri committi hoc; quia differentia eſt inter artifices; & ſi eo inſcio hoc fecit, debuit hoc ipſum æſtimare non permiſſurum, ſi ſciret. Decimo, falſam legem allegando, unde crimen falſi incurrunt; vel falſo legem inducendo, & ejus intellectum perverțendo mentientes, & a veritate recedentes, & ad ſenſum ſuum pro parte ſua legem interpretantes, contra illud *Can. Relatum, diſt. 37.* Poſſunt tamen advocati jura variis modis exponere, dummodo ſecundum conſcientiam procedant. Nam contra conſcientiam exponentes, & inducentes ædificant ad gehennam. Et ſi cauſam deſperatam ſuſcipiant,

piant, id eſt, quæ non poſſit juſte obtineri, vel foveri, omnino debent ſalarium reſtituere. Et breviter tenentur, qualitercunque amittunt cauſam ſuam vitio ſuo; ſecus ſi ex qualitate cauſæ, vel ob defectum probationis; quia tunc vitium eſt materiæ, non artificis „ „. Ob eaſdem cauſas, propter quas advocati tenentur ad reſtitutionem, tenentur & Procuratores.

REGULA XVI.

Principes, & Magiſtratus, qui leges iniquas, vel ſtatuta injuſta tulerunt ad reſtitutionem tenentur ratione omnium damnorum inde conſequentium. Idem eſto judicium de illis, qui auctores ipſis fuerunt hujuſmodi legum condendarum.

Ita docet *S. Raymundus*, loco mox indicato, §. 43. „ „ Si aliqui (*inquit*) damnificati ſunt occaſione talis legis, vel ſtatuti, tenentur conditores, & eorum heredes ad reſtitutionem. Tenentur etiam in ſolidum, qui induxerunt Principem ad condendum leges tales. Item omnes obſervatores peccaverunt mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem eorum, quæ talium legum occaſione lucrati ſunt „ „.

REGULA XVII.

Teſtis tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, quam pro teſtimonio ferendo accepit, multo magis tenetur fallus teſtis.

Ita docet *S. Raymundus* ibid. §. 40. „ „ Tenetur teſtis (*inquit*) ad reſtitutionem omnium, quæ per ſuum falſum teſtimonium proximus ejus amiſit. Si vero accepit teſtis pecuniam pro teſtimonio ferendo, turpiter accepit; & credo eum teneri ad reſtitutionem. Si quæras, cui debet fieri reſtitutio, diſtingue, ſicut diſtinxi in judice „ „. Id confirmat ex Can. *Non ſane*, cauſa 14. qu. 1. cujus verba ex *S. Auguſt.* ſumpta ſunt: „ „ Cum (*inquit*) judicia, & teſtimonia, quæ nec juſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur; quia ſcelerate etiam quamvis a volentibus datur „ „.

REGULA XVIII.

Accuſator, qui ut alium criminis accuſaret, vel ut ab accuſatione deſiſteret, pecuniam accepit, reſtitutionis lege tenetur.

Hanc regulam ibid. tradit *S. Raymund.* §. 41. „ „ Si aliquis accuſator accepit pecuniam ob accuſandum, vel non accuſandum, crimen concuſſionis commiſit; & tenetur ad reſtitutionem faciendam ei, qui dedit, ſi non turpiter dedit; alias ei, in cujus injuriam data fuit „ „. Cauſ. 1. qu. 1. Can. *Jubemus.*

REGULA XIX.

Qui ex officio conſilium dedit, ad reſtitutionem tenetur ex culpa lata. Si mercede ſit conductus tenetur etiam ex culpa levi. Extra hos vero caſus ſolum tenetur ex dolo.

Qui enim debitam in officio ſuo fungendo diligentiam non adhibet, vel ſcientia, & prudentia, cæteriſque dotibus ad illud recte gerendum neceſſariis deſtitutus eſt, cauſa eſt damnorum inde conſequentium. Unde Epiſcopus, Parochus, Confeſſarius, Concionator, Theologus, Juriſconſultus, & quicunque pro idoneo conſiliario ſe gerit, ſi noxium conſilium dederit, tenetur ad reſarciendum omnia damna, quæ inde ſecuta ſunt. Si vero mercede, ac ſtipendio conductus conſilium dederit, tenetur ex culpa levi; majorem enim diligentiam adhibere debet, quam ſi nullum ex conſilii datione commodum conſequeretur. At ſi neque ex officio conſilium dederit, neque mercedem ad id præſtandum acceperit, ad reſtitutionem non tenetur niſi ex dolo, ſecundum Regulam juris 62. in Sexto: *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quæ regula de conſilio in contractibus, & quaſi contractibus, non autem de conſilio in maleficiis, & quaſi maleficiis, ſive delictis intelligenda eſt, ut monet Gloſ. Unde, qui dolose mihi conſilium dedit, & forte lucri ſui cauſa, ut

pecu-

pecuniam mutuo darem debitori non idoneo, tenetur mihi actione de dolo, ut colligitur ex lege, *Quod ſi cum ſcires*, tit. *De dolo malo*, in Digeſt. Qui vero conſilium dedit, de maleficio, ſive delicto, damna reſarcire tenetur, non tamen illi, cui dedit, ſed illi, contra quem conſilium dedit; nec tunc proprie tenetur actione de dolo, ſed ejus maleficii nomine. Nam ſi auctor fuit alicui, ut alterum occideret, homicida eſt, diſt. 1. Can. *Si quis viduam*, Ext. *de Homicidio*, cap. *Sicut dignum*. Si auctor fuit ſervo, ut fugeret, vel furtum faceret, tenetur furti, vel ſervi corrupti. Dig. tit. *De ſervo corrupto*, L. 1. §. *Perſuadere*. Si auctor fuit Titio, ut mihi injuriam faceret, tenetur mihi actione injuriarum, diſt. 1. *De Pœnit.* Can. *Non ſolum*. L. *Non ſolum*, tit. *De injuriis*, in Dig. ipſi autem, cui dedit conſilium, non tenetur; tum quia ſcire ille debebat id ſibi non expedire; tum quia ex improbitate ſua nullus conſequitur actionem, ut dicſtur L. *Itaque fullo*, tit. *De Furtis*, lib. 47. *Digeſtorum*.

REGULA XX.

Quamvis res furto ſublata caſu fortuito perierit, ad illius tamen reſtitutionem fur tenetur.

Hanc regulam tradit, & explicat *S. Raymund.* lib. 2. tit. *De Furtis*, §. 6. „„ Quid (*inquit*) ſi res furtiva pereat caſu fortuito, numquid tenebitur ad reſtitutionem poſtea fur? Utique, quia fuit in mora reſtituendi. Item non liberatur fur, rem deteriorem reddendo. Item tenetur reſtituere rem cum omnibus fructibus; & ſi melioravit eam, paſcendo forte equum, vel porcum furtivum, vel ſimile, non poteſt petere, vel retinere expenſas. Item cum redditur æſtimatio rei, non tantum eſt conſiderandum tempus, in quo res fuit ſubrepta, & tempus, in quo periit, ſed etiam totum tempus medium; & fiet æſtimatio ſecundum illud tempus, in quo plurimi valoris fuit res; & hæc eadem intelligo in re rapta. Probantur hæc, *Ext. De reſtitutione ſpoliatorum*, cap. *Gravis*, ubi dicitur,

quod

quod debet reddi res cum fructibus perceptis, & quos percepiſſent ſpoliati, ſi ipſi poſſediſſent. Sunt etiam hæc expreſſa, ff. *De conditione furtiva*, L. *In re furtiva*, §. 1. Generalius loquitur alia lex, quod tenetur talis ad omnia damna, & lucra percepta, & percipienda, ff. *De rei vindicatique*, L. *Si navis*, §. *Generaliter*. Eſt tamen caſus, in quo non tenetur fur de caſu fortuito, ſi obtulit rem domino loco, & tempore congruo, & dominus noluit accipere; jam enim purgavit moram. Item cum furtum eſt commiſſum in uſu rei tantum, & non ipſa re, tenetur etiam poſt reſtitutionem rei ad æſtimationem illius uſus, aliter enim non eſſet purgatum furtum. *Can.* 14. qu. 6. *Can.* Si res „ „.

REGULA XXI.

Qui rem alienam emit mala fide, tenetur eam reſtituere vero domino, etiam cum damno proprio, necnon fructus omnes perceptos, & qui intermedio tempore percipi potuerunt. Emptor vero, & poſſeſſor bonæ fidei fructus conſumptos reddere non tenetur, niſi ex illis factus ſit ditior.

Sicut malæ fidei poſſeſſor eſt, qui rem aliquam poſſidet, ſciens, aut putans non eſſe ſuam, vel etiam dubitans, an ſua ſit, & non inquirens; ita malæ fidei emptor eſt, qui emit rem, quam novit eſſe furto ſublatam, aut certe dubitat, an furto ſublata ſit, nec tamen inquirit. Is porro, cum rem alienam habeat, eamque uſurpaverit invito domino, reſtituere illi tenetur non modo rem ipſam, ſed omnes fructus illius, cum res quælibet domino fructificet. Unde *Juſtinian.* lib. 2. *Inſtitutionum* tit. 1. *De rerum diviſione*, §. 35. ait: „ „ Si quis a non domino, quem dominum eſſe crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet juſta cauſa æque bona fide acceperit; naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus eſſe pro cultura, & cura. Et ideo ſi poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vindicet,

de

de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt. Et vero, qui alienum fundum ſciens poſſederit, non idem conceſſum eſt; itaque cum fundo etiam fructus, licet conſumpti ſint, cogitur reſtituere „„.

Et L. 1. *Cod.* tit. *De Petitione hereditatis*, §. 1. dicitur: „ Fructus bonæ fidei poſſeſſores reddere co„gendi non ſunt, niſi ex his locupletiores extiterint „. Idem docet *Ulpianus* eod. tit. Dig. L. *Utrum autem*. Idem confirmat lex, *Item veniunt*, eod. tit. „„ Item eos, qui bona invaſiſſent, cum ſcirent ad ſe non pertinere, etiamſi ante litem conteſtatam fecerint, quo minus poſſiderent, perinde condemnandos quaſi poſſiderent; eos autem, qui juſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, uſque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent „„. Idem confirmat lex *Jure naturæ*, tit. *De Regulis juris*, in Dig. „ Jure naturæ æquum eſt neminem, „ cum alterius detrimento, & injuria fieri locuple„tiorem „. Et Regula juris 49. in ſexto: „ Locu„pletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel „ jactura „.

Cæterum emptor bonæ fidei jus habet repetendi pretii a ſuo venditore, ut colligitur ex L. 1. tit. *De evictione*, in Dig. Verum ſi bonæ fidei poſſeſſor ſit in mora culpabili reſtituendi, ex quo novit rem eſſe alienam, quam poſſidet, jam incipit mala fide poſſidere, ideoque reſtituere tenetur fructus exinde perceptos, tametſi conſumptos, & percipiendos a domino, necnon damna emergentia, & lucra intercepta ex eo, quod re ſua careat „„. *Nam* Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur, tunc juſte injuſtus poſſeſſor vocabitur „„; *ut* habet Canon *Si virgo*, cauſa 34. qu. 2. ex *S. Auguſt.* lib. *De Fide, & Operibus*, cap. 7. tranſcriptus. Quamdiu vero ſinceram habet reſtituendi voluntatem, nec ſua culpa in mora eſt, ſi caſu fortui-

tuito res apud ipſum pereat, nihil aliud reſtituere tenebitur; niſi id, ex quo factus fuerit locupletior.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raym.* lib. 2. tit. *De Raptoribus*, §. 21. „ „ Quando (*inquit*) mala fide emit, tenetur indiſtincte ad reſtitutionem, nec liberatur vendendo vel alias alienando rem alteri, vel etiamſi res pereat morte, vel alio caſu, vel ſi ſibi violenter auferatur, vel furtive ſubtrahatur, vel alio ſimili modo; & eſt ratio, quia furtum committit contrectando rem alienam invito domino; & fur ſemper eſt in mora reſtituendi; unde nec pretium, quod dedit, poterit repetere ab illo, cujus res eſt, nec expenſas, quas ibi fecit; & omnem utilitatem, quam ex illa habuit, tenetur reſtituere. Si reſtituat rem etiam deteriorem, quam ad ipſum pervenit, non liberatur; ſed ſi aliquo tempore medio melior fuerit res, quam tempore emptionis, ſive cum poſtea vendidit alteri, ejus, quod plurimi fuerit, erit æſtimatio facienda „ „, ff. de Furtis, L. *Qui jumenta*, ff. De conditione furti, L. *In re furtiva*, ff. Commodati, L. *Si ut certo*, §. *Sed interdum*, C. De rei venditione, L. *Certum*. Quod dixi de primo emptore (addit *S. Raymundus*) intelligo de ſecundo, & milleſimo, ſi per tot manus tranſiret res talis cum mala fide. „ „ Si vero emit aliquis bona fide a raptore, vel ab alio rem de rapina, vel furto, bona ſcilicet intentione, non ut ſibi lucraretur, ſed ut ſpoliato reſtitueret, poteſt a ſpoliato repetere illud, quod dedit pro ipſa re bona fide, & etiam quidquid expendit poſtea ad conſervationem illius rei, niſi forte cum re illa lucrabatur aliqua, unde poteſt facere dictas expenſas; & breviter quidquid ſibi adeſt ex illa re, ut penſio, merces, fructus, vel ſimile tenetur reſtituere; quidquid ſibi abeſt, ut pretium, & moderatas expenſas, poteſt repetere, vel cum eo, quod ex ipſa re ſibi advenit, uſque ad concurrentem compenſare quantitatem. Ratio autem, quare iſta poteſt repetere, eſt, quia geſſit utiliter negotium abſentis ſpoliati „ „.

Et

Et tit. *De furtis*, §. 7. „„ Circa bonæ fidei poſſeſſorem, dico, quod poterit repetere pretium a venditore, *ut colligitur ex Canone* Vulteranæ, *cauſa* 12. *qu.* 2. Item poteſt retinere expenſas, quas exiſtens bonæ fidei ratione fecit circa rem conſervandam, vel meliorandam; & non tenetur de fructibus perceptis durante bona fide „„. (Ext. de reſtitutione in integrum, cap. Requiſivit. Ext. de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non, cap. Ad noſtram, ff. tit. De acquirendo rerum dominio, L. Bonæ fidei emptor.) „„ Item ſi durante bona fide ipſius perit res, non tenetur. Idem credo, ſi alienavit durante ſimiliter bona fide. In utroque caſu propter bonam fidem; in primo etiam, quia non erat in mora; in ſecundo, quia non deſiit dolo poſſidere, & quia pretium ex re furtiva redactum non eſt furtivum, *ut dicitur* 1. Qui vas, *tit.* De furtis, §. Cum fur, *in Dig.* In ſumma ergo nota, quod malæ fidei poſſeſſor, re perdita, vel in alium translata, tenetur ad rerum pretium, cum circumſtantiis ſupradictis. Bonæ fidei vero poſſeſſor tenetur reſtituere rem, ſi habet; ſin autem, de lucro tenetur tantum, in quantum locupletior factus eſt „„, ff. De petitione hæreditatis, L. *Si poſſeſſor*, §. *Reſtituere*, & L. *Si rem*, & L. *Utrum.*

Libellus ſynodicus Eccleſiæ Nemaucenſis anno 1284. editus hanc regulam de malæ fidei emptoribus, & poſſeſſoribus confirmat, tit. De Pœnitentia: „„ Tenentur etiam ad reſtitutionem (*inquit*) omnes illi, qui ſcienter rem raptam, vel alienam emerunt cum mala fide, ſcilicet animo ſibi retinendi eam domino ſuo; nec taliter ementes poſſunt recuperare, ſeu repetere pretium, quod dederunt pro ipſa, nec poſſunt recuperare, ſeu retinere expenſas, ſi quas fecerunt ipſam rem cuſtodiendo, vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo. Debet etiam reſtitui res aliena, ſive rapta, non deteriorata; ſed ſi deteriorata fuerit, vel caſu fortuito perierit, vel reſtitui non poſſit, reſtituatur integre, quantum va-

valeat, cum omni utilitate, quam conſecuti ſunt ex ipſa re, ſi cum mala fide pervenerit ad eoſdem „ „.

REGULA XXII.

Reſtitutionis lege tenetur, quiſquis alterius damno efficaciter cooperatus eſt aliquo ex modis ſuperius recenſitis.

Scilicet mandato, conſilio, conſenſu, participatione, receptione, auxilio, favore, diſſimulatione, &c. *Ad reſtitutionem ſemper obligat juſſio*, niſi fuerit revocata, & revocatio ſignificata fuerit ei, cui datum erat injuſtum mandatum. „ „ Ille *enim*, qui jubet eſt principaliter movens; unde ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum. *Secundo*, Conſenſus, in eo ſcilicet, ſine quo rapina, *vel furtum*, fieri non poteſt. *Tertio*, Recurſus, quando ſcilicet aliquis eſt receptor latronum, & eis patrocinium præſtat. *Quarto*, Participatio, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda. *Quinto*, Tenetur ille, qui non obſtat, cum obſtare teneatur; ſicut Principes, qui tenentur juſtitiam cuſtodire in terra; ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur; quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra. In aliis autem caſibus enumeratis non ſemper obligatur aliquis ad reſtituendum. Non enim ſemper conſilium, vel adulatio, vel aliquid hujuſmodi, eſt efficax cauſa rapinæ. Unde tunc ſolum tenetur conſiliator, aut adulator ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta „ „ (*inquit S. Thomas*, 2. 2. qu. 62. art. 7.)

Addit angelicus Doctor in reſponſione ad primam, & ſecundam objectionem, illum in primis ad reſtitutionem teneri, cujus præcipuæ in illatione damni partes fuerunt: *Principaliter quidem præcipientem; ſecundario vero exequentem; & conſequenter alios per ordinem.* Si tamen unus reſtituerit illi, cui damnum da-

datum eſt, alios non teneri ad reſtituendum eidem; ſed præcipuos auctores facti, & ad quos res pervenit obligari ad reſtituendum aliis, qui in eorum defectum jam reſtitutione functi ſunt. „ „ Quando autem aliquis præcipit injuſtam acceptionem, quæ non ſubſequitur, non eſt reſtitutio facienda; cum reſtitutio principaliter ordinetur ad redintegrandam rem ejus, qui injuſte eſt damnificatus. *Reſpondet etiam, quod* Non ſemper ille, qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit; ſed ſolum, quando incumbit alicui ex officio, ſicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim poteſtate publica potiuntur, ut ſint juſtitiæ cuſtodes „ „.

Cæterum cum plures communi conſpiratione, & quaſi una manu ad damnum inferendum concurrunt, in ſolidum tenentur ad damnum reſarciendum, & ad reſtitutionem, ut declaratur in Dig. tit. *De furtis*, L. *Vulgaris*, §. *Si duo*, cujus hæc ſunt verba: „ „ Si duo, pluresque unum tignum furati ſunt, quod ſinguli tollere, non potuerunt; dicendum, omnes eos furti in ſolidum teneri; quamvis id contrectare, nec tollere ſolus potuit; & ita utimur. Neque enim dici poteſt, pro parte furtum feciſſe ſingulos, ſed totius rei univerſos; ſic fiet ſingulos furti teneri „ „.

Idem confirmat *S. Raymund.* L. 2. tit. *De Raptoribus*, §. 21. ubi caſum ſic proponit: „ „ Quid ſi plures fuerunt raptores quaſi pares, quia nullus induxit alium ad eundum, nec erat aliquis dominus alterius, ſed quilibet per ſe ivit? *Et reſpondet:* Ad hoc credo dicendum, quod ſi vadunt inſimul, quaſi ſint unus exercitus, quilibet teneatur in ſolidum; quia in tali caſu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores. Iſti enim poſſunt dici ſquammæ ſeſe prementes, de quibus loquitur Job 41. *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquammis ſe prementibus.* Facit ad hoc *Ext. De Homicidio*, cap. *Sicut dignum*; & omnes ſunt cooperatores; quare quilibet tenetur in ſolidum. Alias

ſi non iverunt ſimul, ſed quilibet per ſe ſeparatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo, quod fecit. Vel forte in utroque caſu poſſet tolerari, quod quilibet ſatisfaceret de his, quæ habuit, & induceret alios pro poſſe ad ſatisfaciendum; ſed primum dictum eſt tutius. Illi autem, qui nec adjuvant, nec in aliquo conſentiunt, ſed datur eis aliquid, & accipiunt, vel comedunt inde, & induunt, vel in alios uſus ponunt, tenentur reſtituere, ſed diverſimode; nam qui dono accipiunt, præcipue tenentur ad reſtitutionem; qui vero comedunt, vel bibunt, vel in uſus neceſſarios expendunt, ut uxor, vel cæteri familiares, tenentur de omnibus, quæ ſic expendunt; niſi in caſu, cum agunt cauſam ſpoliatorum, monendo, & inducendo pro poſſe ipſum raptorem ad reſtitutionem faciendam, tunc enim non tenetur; nam qui alterius negotium gerit utiliter, etiam ignorantis, & abſentis, licite recipit expenſas; & hoc, ſive fuerit ſecuta utilitas, ſive non „ „.

„ „ Quid ergo faciet uxor, vel familia, ſi nec habetur ſpes de correptione raptoris, vel videt virum vergere ad inopiam, & quaſi fit non ſolvendo? Ad hoc dico: Quod ſi ibi ſunt aliqua de juſto, de illis ſeparatim poteſt expendere; ſi vero non ſunt aliqua ibi niſi de rapina, nullo modo comedat, ſed aliunde ſibi victum quærat, vel ab amicis, & conſanguineis ſuis, vel laborando manibus ſuis, vel alio quocunque modo, honeſto tamen Idem dico, ſi ibi ſunt aliqua de juſto, ſed ita mixta ſunt, quod non poſſunt diſcerni; vel, licet poſſint diſcerni, maritus iniquitate plenus non permittit eam comedere niſi de rebus raptis. Quid ergo faciet, ſi nihil invenit? Nunquid morietur fame? Non, ſed ſubeſt ei triplex auxilium. Unum, ſi poteſt habere de dote, vel ſponſalitio. Secundum, ut denuntiet talibus, qui poſſint prodeſſe, & non obeſſe; & ſi neceſſe eſt, & probari poteſt, etiam Epiſcopo, ut ipſe compellat eum eam paſcere de juſto, vel tradat ei ſponſalitium, vel partem; vel committat alicui perſonæ honeſtæ, quæ

de

de honeſto lucro provideat ei. Tertium, ſi eſſet in arcto poſita, quod nec inveniret, quid comederet, nec eleemoſynas, nec poſſet ulterius ſine periculo ſuſtinere neceſſitatem famis; tunc enim, ſi aliud non poſſet, & de rapina, & de aliis undecunque poſſet vivere, quia neceſſitas non habet legem. Quidquid tamen expenderit, doleat in animo, & proponat firmiter, quam cito poterit, quidquid inde expendit, reſtituere „„.

Ex his patet, quam merito damnata ſit ab *Innoc. XI.* Pontif. maximo hæc Propoſitio: „ Qui alium „ movet, aut inducit ad inferendum grave damnum „ tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni „ illati „. Quam merito etiam confixa ſit olim a Vicariis generalibus eminentiſſimi Cardinalis de Rets Archiepiſcopi Pariſienſis iſta propoſitio: „„ Etiamſi donatario perſpectum ſit bona ſibi donata a quopiam, ea mente, ut creditores fruſtrentur, non tenetur reſtituere, niſi eam donationem ſuaſerit, vel ad eam induxerit „„. Quam merito Clerus gallicanus in generalibus Comitiis an. 1700. utramque propoſitionem hac Cenſura notaverit: „ Hæ propoſitiones falſæ ſunt, temerariæ, fraudibus, & dolis patrocinantur, & juſtitiæ regulis repugnant „. Propoſitiones damnatæ.

REGULA XXIII.

Reſtitutio facienda eſt ei, a quo aliquid injuſte eſt acceptum, ſi dominus illius erat, ſive juſtus poſſeſſor, vel adminiſtrator, aut cuſtos.

Nam per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ juſtitiæ, ut loquitur *S. Th.* 2. 2. qu. 62. art. 5. Hujuſmodi autem adæquatio fieri non poſſet, niſi ei, qui minus habet, quam quod ſuum eſt, ſuppleretur, quod deeſt. Et ad hoc ſupplementum: *Neceſſe eſt, ut ei fiat reſtitutio, a quo acceptum eſt.* Si vero dubium ſit, an is, a quo res ablata eſt, ſive injuſte accepta, ſit verus ejus dominus, aut poſſeſſor, ſeu cuſtos, aut adminiſtrator legiti-

gitimus, nihilominus illi facienda eſt reſtitutio, quia in dubiis potior eſt conditio poſſidentis. Quamobrem ſi quid ablatum eſt ab eo, qui fur eſſe putatur, debet ei reſtitui, niſi certum, & exploratum ſit furem eſſe, ut colligitur ex cap. *In literis*, Ext. *De Reſtitutione ſpoliatorum*, cujus hæc ſunt verba: *Prædoni etiam eſt ſecundum rigorem juris reſtituendus*; in petitorio ſcilicet judicio, ubi nondum probatum eſt, ipſum eſſe prædonem, ſed res in quæſtione verſatur.

REGULA XXIV.

Res aliena non eſt reſtituenda ei, a quo injuſte ablata eſt, ſi reſtitutio illi, vel alteri ſit vehementer nocitura.

De Reſtitutione.

Hanc regulam tradit *S. Thom.* loco mox laudato in reſponſione ad primam objectionem. „„ Quando (*inquit*) res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur... nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam ſibi appropriare, ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alii tradere tutius conſervandam „„.

REGULA XXV.

Quod injuſte acceptum eſt ab eo, qui contra legem dedit, illi reſtitui non debet, ſed in pios uſus erogari.

Ita docet *S. Thom.* ibid. in reſponſione ad ſecundum: „„ Aliquis (*inquit*) dupliciter aliquid illicite dat. Uno modo, quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit; & talis meretur amittere, quod dedit; unde non debet ei reſtitutio fieri de his; & quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed in pios uſus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipſa datio non ſit illicita; ſicut cum quis dat meretrici propter

pter fornicationem. Unde & mulier poteſt ſibi retinere, quod ei datum eſt. Sed ſi ſuperflue aliquid per fraudem, vel dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere „„. Sic judex accuſator, teſtis, qui contra legum prohibitionem aliquid ad judicium, vel teſtimonium ferendum, aut accuſationem faciendam receperunt, id reſtituere tenentur, non illis, qui dederunt, ut juſtitia, veritas, & charitas violarentur, ſed pauperibus, ut ſuperius diximus... Si autem receperit judex, ut juſtam ſententiam ferret; teſtis, ut verum teſtimonium diceret; accuſator, ut ſecundum ordinem juris officium ſuum impleret, reſtituere tenetur ei, a quo acceperunt. Unde *S. Auguſt.* Epiſt. ad *Macedonium* ſuperius laudata, ait: „ Ille ſolet tanquam „ male ſibi ablatam pecuniam repetere, qui juſtum „ judicium emit, quoniam venale eſſe non debuit „. Quamvis autem meretrix contra legem ſe proſtituat, non tamen contra legem accipit pretium proſtitutionis ſuæ, ut ait Ulpianus L. *Idem* tit. *De conditione ob turpem cauſam*, in Digeſt. §. 3. „„ Quod meretrici datur (*inquit*) repeti non poteſt, ut Labeo, & Marcellus ſcribunt; illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix; non turpiter accipere, cum ſit meretrix „ „.

Eamdem regulam rurſus confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 32. art. 7. „„ Tripliciter (*inquit*) poteſt aliquid eſſe illicite acquiſitum: Uno enim modo id illicite ab aliquo acquiritur, quod debetur ei, a quo eſt acquiſitum, nec poteſt ab eo retineri, qui acquiſivit; ſicut contingit in rapina, & furto, & uſuris. Et de talibus cum homo teneatur ad reſtitutionem, eleemoſyna fieri non poteſt. Alio vero modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia quidem ille, qui acquiſivit, retinere non poteſt, nec tamen debetur ei, a quo acquiſivit; quia ſcilicet contra juſtitiam dedit; ſicut contingit in ſimonia, in qua dans, & accipiens contra juſtitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari. Et eadem ratio eſt in ſimilibus, in quibus ſcilicet & datio, & acceptio eſt contra legem. Tertio

modo eſt aliud illicite acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſitio ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium; & hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; ſed in eo, quod accipit, non injuſte agit, nec contra legem. Unde quod ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt „„.

REGULA XXVI.

Defuncto rei injuſte acceptæ domino, reſtitutio fieri debet ejus heredibus; ſi nulli compareant heredes legitimi poſt diligentem inquiſitionem, in pios uſus, maximeque ad pauperum neceſſitatem ſublevandam converti debet. Bonorum etiam, quorum incertus eſt, vel ignotus dominus, reſtitutio facienda eſt pauperibus.

Ita docet *S. Thom.* 2. 2. qu. 62. art. 5. in reſponſione ad tertiam objectionem. „„ Si ille (*inquit*) cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſive ſit mortuus, ſive vivus; præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt reſtitutio facienda. Si vero ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui heredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo „„. Si quis aliena bona penes ſe habeat, quorum incertus eſt, vel ignotus dominus, diligenter inquirere debet, cujus ſint, pro rei magnitudine, vel qualitate; ſi poſt inquiſitionem diligentem, prudentumque judicio ſufficientem ignoretur, ad quem pertineant, pauperibus eroganda ſunt, vel in alios pios uſus convertenda. Si nulla, aut minime ſufficienti inquiſitione facta in pios uſus illa convertit, is, penes quem ſunt, vel qui illa injuſte accepit, reſtitutionis onere non eſt liberatus, ſed poſtea cognito domino illa nihilominus in integrum reſtituere te-

tenetur; ut colligitur ex cap. *Sicut dignum*, Ext. *De Homicidio*, §. *Eos inſuper*, ubi *Alexander III.* de illis loquens, qui bona *S. Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi poſt ejus Martyrium occupaverant, ait: „ „ Quæ occuparunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum reſtituere; ſi habent in facultatibus, unde poſſint ea reddere; quia licet quædam ex his, quæ occupaverunt, fateantur ſe pauperibus erogaſſe, non tamen aliena, cum ipſa potuiſſent eis, quorum fuerint, reſtituere, debuerunt pauperibus erogare „ „.

Id confirmat lib. Synodicus Eccleſiæ Namauſenſis anno 1284. editus tit. De Pœnitentia. „ „ Facienda eſt (*inquit*) domino rei reſtitutio, vel ejus heredibus; ſi poterunt inveniri; ſed ſi diligenter inquiſiti, & exſpectati non invèniuntur, vel ignorantur, tunc cum conſilio Sacerdotis pœnitentialis res illa diſtribuatur in pias cauſas, & maxime in pauperum ſuſtentationem, pro anima illius, cujus fuerit res illa. Verum ſi perſona ſcitur, cui eſt ſolutio, vel reſtitutio facienda; ſed ſi tamen eſt in remotis partibus, nec ſperatur, quod debeat redire, mittatur ei, ſi commode fieri poſſit, & ſecure, alioquin pro anima ejus, cum conſilio Eccleſiæ pauperibus erogetur, & hoc fiat, ſi res ſit modica, quæ reſtitui debet in expenſis; ſi res eſt magni valoris, mitti debet in expenſis detentoris ad illum abſentem, cui eſt reſtitutio facienda „ „.

Dupliciter autem contingit bonorum aliquorum dominium eſſe ignotum, vel in particulari duntaxat, quia ſcilicet ignoratur, cujus ſint determinate, ſed tamen ſcitur eſſe alicujus, aut aliquorum ex tali communitate, vel oppido, vel pago; vel ignotus eſt dominus etiam in univerſali, ut caſuum arbitri loquuntur, ita ut ne disjunctive quidem cognoſci poſſit, utrum ad hos, vel illos pertineant. In primo quidem caſu bonorum hujuſmodi diſtributio facienda eſt illis, quibus probabile eſt damnum eſſe illatum. Sic milites, qui oppidum aliquod injuſte deprædati ſunt, aut plurimos ex oppidanis, apud quos

hoſpitio ſunt excepti, concuſſerunt, nec ſciunt, aut meminerunt, de quibus prædam fecerint, tenentur ad reſtitutionem illis oppidanis faciendam adhibito Epiſcopi, vel Parochi conſilio, ut his, quibus majus damnum illatum fuiſſe videbitur, major etiam compenſatio fiat. Si mercator minuatim vendens merces emptores fraudaverit, reſtituere debet illis, qui ad ejus officinam confluere ſolebant, prout quiſque plus, vel minus emere ſolitus fuerit. In ſecundo vero caſu, ſive bona illa ex delicto, ſive ex contractu habeantur, aut habita ſint, pauperibus diſtribuenda ſunt, vel in alios pios uſus eroganda, ut colligitur ex cap. *Cum.* Ext. *De uſuris*, quod *Alexandri III.* reſponſum eſt, de manifeſtis uſurariis Salernitano Archiepiſcopo datum. „ „ Sive ante (*inquit*) ſive poſt interdictum noſtrum uſuras extorſerint, cogendi ſunt per pœnam, quam ſtatuimus in Concilio, eas his, a quibus extorſerunt, vel eorum heredibus reſtituere; vel his non ſuperſtitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipſis poſſint eas reſtituere; cum juxta verbum beati Auguſtini, non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum „ „. Si conſtat, ex qua civitate ſit, aut fuerit dominus jam ignotus, conveniens erit, ut reſtitutio fiat pauperibus illius civitatis; quod etiam præſtandum eſt ab illis, qui civitatem aliquam, aut provinciam deprædati ſunt, concuſſerunt, aut aliquo damno affecerunt, auctore *S. Thoma* in 4. *Sententiarum*, diſt. 15. qu. 1. art. 5. Quæſtiunc. 3. in reſponſione ad tertiam objectionem: „ „ Qui illo modo accipit (*inquit*) debet pauperibus illius villæ reſtituere; vel in alios uſus communitatis illius civitatis expendere, ſecundum arbitrium Epiſcopi, vel illorum, ad quos pertinet cura illius civitatis „ „. Idem confirmat Doctor angelicus Opuſculo *De Regimine Judæorum*, ad Ducissam Brabantiæ: „ „ Cum (*inquit*) ea, quæ Judæi per uſuras ab aliis extorſerunt, non poſſint licite retinere, conſequens eſt, ut ſi etiam vos hæc acceperitis ab eis, non poſſitis licite retinere, niſi for-

forſan eſſent talia, quæ a vobis, vel anteceſſoribus veſtris hactenus extorſiſſent. Si qua vero habent, quæ extorſerunt ab aliis, hæc ab illis exacta illis debetis reſtituere, quibus Judæi reſtituere tenebantur. Unde ſi inveniuntur certæ perſonæ, a quibus extorſerunt uſuras, debent eis reſtitui; alioquin debent in pios uſus, ſecundum conſilium Diœceſani Epiſcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem terræ utilitatem, ſi neceſſitas immineat, vel expoſcat communis utilitas, erogari „„. Et *S. Raymund.* lib. 2. tit. *De Raptorib.* §. 44. „„ Si non inveniuntur ſpoliati (*inquit*) vel etiam ignorantur, tunc cum conſilio, & auctoritate ſuæ Eccleſiæ, ſive pœnitentialis, diſtribuat in pias cauſas, & maximè in alimoniam pauperum, vel redemptionem captivorum; & hoc in villa, vel ſi villa neſcitur, ſaltem in illa Diœceſi, ubi rapina facta eſt, de conſilio Epiſcopi illius Diœceſis, vel Capellani in villa, ſi diſcretus eſt „„.

Caſum reſtitutionis rerum incertarum ſibi reſervare poteſt Epiſcopus.

Caſum reſtitutionis rerum incertarum reſervare ſibi poteſt Epiſcopus, prout reſervatus eſt in provincia Mediolanenſi ex Decreto Concilii Mediolanenſis 4. ſub *S. Carolo Borromæo*, tit. *De Sacramento pœnitentiæ*, ut ſcilicet ejus conſilio, & mandato reſtitutio fiat. Quod quidem Decretum de rerum incertarum reſtitutione *S. Carol.* in Synodo Diœceſana 11. ita explicat. „„ Ut quod ad judicium faciendum attinet, locum etiam habeat in reſtitutione rerum, quæ caſu inventæ, nec furto ſubtractæ, aliove dolo ſublatæ, aut alio modo male partæ reſtituendæ ſunt „„. Ad cujus „ Decreti faciliorem executionem ſtatuit, ut in Ba„ ſilica Metropolitana, & in unaquaque Eccleſia „ Diœceſis plebana, certo loco conſpicuo, & di„ ſtincto, capſa perpetuo conſtituatur, quæ lite„ ris grandiuſculis a fronte inſcribatur: Capſa in„ certorum. Ea capſa clavibus duabus inter ſe di„ verſo opere fabrili diſtinctis claudatur; quarum una „ apud Cancellarium Archiepiſcopalem, altera apud „ depoſitarium Archiepiſcopi auctoritate conſtitu„ tum aſſervetur. Certis præterea ſignis eadem capſa

„ ita ab aliis diſtinguatur, ut ab omnibus etiam ru-
„ dibus facile dignoſci poſſit; collocetur autem ita
„ commodo loco, ut eo tam mares, quam feminæ facile
„ accedant. Quæ vero in capſam conjici non poſſunt,
„ apud depoſitarium cuſtodiantur. Res vero inventæ,
„ quæ pecunia non conſtant, ne in capſa ante re-
„ ponantur, quam diligenter inveſtigatum ſit de do-
„ mino earum rerum. Cum quod inventum eſt, vere
„ reſtituitur; vel ſi qui invenit, præ paupertate, alia-
„ ve cauſa reſtituere non poteſt, idonea ſponſione
„ caveat, ſe menſium ſaltem ſex ſpatio reſtituturum;
„ tunc parocho, aliique confeſſario, quibus ſcripta
„ facultas data erit, ab hujuſmodi caſu pœnitentem
„ abſolvere licebit. Ob paupertatem, vel ob aliam
„ cauſam, quæ confeſſario videbitur, facultatem dat
„ *S. Carolus*, ut Archiepiſcopi auctoritate remittere
„ poſſit debitam reſtitutionem rei inventæ, quæ plu-
„ ris non valeat viginti ſolidis. Statuit inſuper, ut
„ depoſitarius rei inventæ, & conditionem, & ven-
„ ditionem, & reſtitutionem (ſi quæ vero unquam
„ domino fiet) & erogationem in uſum pium deſcri-
„ bat diligenter, & præterea ſi quid juſſu Archiepi-
„ ſcopi deprometur ad uſum item pium. Liber præ-
„ terea rerum incertarum, quæ inventæ ſunt, in Can-
„ cellaria Archiepiſcopali conficiatur, & aſſervetur;
„ in quo notatis perpetuo ordine diebus, menſibuſ-
„ que, & res inventæ in capſam conjectæ deſcriban-
„ tur; & quæ item inde depromptæ in uſum pium
„ erogatæ ſunt. Cui libro adjunctus ſit index Alpha-
„ beti ordine in ſingulas plebes diſtinctus. Hujus
„ capſæ inſtitutum, & locus, ubi illa conſtituta eſt,
„ bis in ſingulos annos, ſemel initio Adventus, ite-
„ rum Quadrageſimæ principio, in unaquaque paro-
„ chiali Eccleſia a parocho denuntietur.

Statuta Synodalia Trecenſis Eccleſiæ a L. *Bochello* relata, lib. 11. *Decretorum Eccleſ. Gallic.* pag. 231. Bonorum incertorum reſtitutionem, de conſilio Epiſcopi fieri jubent, ſi res ſit magni valoris; ſi autem ſit parvi valoris, in eleemoſynas expendi de conſilio pro-

providi confeſſarii. „ Si ſit magni valoris, tunc Epi„ ſcopus vel ſuam poteſtatem habens, conſulatur. „ Quia circa reſtitutiones faciendas pericula multa la„ tent „. Idem ſtatuit Concilium Senonenſe anno 1524. „„ De conſilio (*inquit*) providi confeſſoris, ſi res ipſa ſit parvi valoris, ſcilicet infra ſummam ſexaginta ſolidorum Turonenſium, in pios uſus exponatur; in cæteris vero ad nos, aut Vicarios noſtros, ſeu Pœnitentiarios remittantur „ „.

REGULA XXVII.

Reſtitutionis lege tenentur, qui ludo lucrantur aliquid ab illis, qui res proprias non habent, aut liberam rerum ſuarum adminiſtrationem ſecundum leges; item, qui alios ad ludendum compellunt, & trahunt; qui denique fraude lucrati ſunt.

Hanc regulam tradit *S. Thom.* 2. 2. qu. 32. art. 7. in reſponſione ad ſecundam objectionem. „„ Circa illa (*inquit*) quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex divino jure, ſcilicet, quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt; ſicut ſunt minores, & furioſi, & hujuſmodi; & quod aliquis trahat alium, ex cupiditate lucrandi, ad ludum; & quod fraudulenter lucretur; & in his caſibus tenetur ad reſtitutionem. Aliquid autem videtur eſſe ulterius illicitum ex jure poſitivo civili, quod prohibet univerſaliter tale lucrum. Sed quia jus civile non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubjecti, & iterum per diſſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos, qui ſunt hujuſmodi legibus obſtricti, tenentur univerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur, niſi forte contraria conſuetudo prævaleat; aut niſi aliquis lucratus ſit ab eo, qui traxit eum ad ludum. In quo caſu non tenetur reſtituere, quia ille, qui amiſit, non eſt dignus recipere. Nec poteſt licite retinere tali jure poſitivo durante; unde debet de hoc eleemoſynam facere in hoc caſu „ „. De Reſtitutione.

Sy-

Synodalis liber Nemauſenſis Eccleſiæ anno 1284. editus, reſtitutionem in Pœnitentiali judicio illi injungendam eſſe docet: *Qui voluntarius, & cauſa cupiditatis lucratus fuerit aliqua in ludo.*

Non ſolum in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro civili reſtitutioni obnoxii ſunt, qui a filiisfamilias, & minoribus aliquid aleæ ludo lucrantur, ut conſtat ex L. *Quod in convicio*, tit. *De Aleatoribus*, in Digeſtis. *Si ſervus* (inquit) *vel filiusfamilias victus fuerit, patri, vel domino competit repetitio.* Carolus IX. Rex chriſtianiſſimus in Conſtitutione Molinenſi anno 1566. pecunias, & bona ludis aleatoriis a minoribus perdita, ab iiſdem, vel ab eorum parentibus, tutoribus, & curatoribus repeti poſſe ſtatuit. Idem ſanxit *Ludovicus XIII.* Conſtitutione edita anno 1629.

In eos, qui ad ludum aleæ alios cogerent, ſive ab initio, ſive victi, romano jure veteri animadvertebatur, & actio dabatur. L. *Prætor*, tit. *De Aleatoribus*, in Digeſtis: „ Prætor ait, in eum, qui aleæ „ ludendæ cauſa vim intulerit, uti quæque res erit, „ animadvertam „. In colluſores, qui fraudem fecerint, velut in raptores actio conceſſa. „ Si rapinas „ fecerint inter ſe colluſores, vi bonorum raptorum „ non denegabitur actio „.

Juſtinianus Imperator ſanxit: „„ Victum in aleæ luſu, non poſſe conveniri; & ſi ſolverit, habere repetitionem tam ipſum, quam heredes ejus adverſus victorem, & ejus heredes, idque perpetuo, & etiam poſt triginta annos. Quod ſi vel ipſe, vel ejus heredes repetere neglexerint; liceat cuicunque volenti, & præcipue civitatis, in qua, id factum eſt, Primati, vel Defenſori repetere; & in opera civitatis id expendere. Data autem ſuper aleæ luſu cautio ſit irrita, & condici poſſit „„. Verba ſunt legis, *Victum*, C. tit. *De Aleatoribus.* Et L. *Alearum*, ibidem: „„ Hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie; & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum

tum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, a Patre, aut Defenſoribus illius civitatis, non obſtante niſi quinquaginta annorum præſcriptione. Epiſcopi vero locorum hoc providentibus, & Præſidum auxilio utentibus „ „.

Qui a Monachis lucratus aliquid alea, aut ludo quocunque fuerit, reſtituere tenetur Conventui, cujus membra ſunt. Proprium enim Monachus, ſeu quicunque voto paupertatis obſtrictus vir religioſus non habet, nec habere poteſt; & ſi quid ipſi a Superioribus conceditur, in uſus religioſos duntaxat, non ad ludum permittitur.

Reſtitutioni pariter obnoxius eſt, qui a beneficiario lucratur aliquid aleæ ludo; ſiquidem beneficiarius diſpenſator eſt duntaxat, non dominus bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt *Oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Debet autem reſtitui pecunia ex hujuſmodi ludo proveniens, non ipſi beneficiario, qui ludo illicito, & Clericis ſpeciatim per ſacros Canones prohibito illam amiſit, ſed pauperibus. Obnoxii ſunt etiam reſtitutioni, qui a muliere conjugata ſine mariti ſui licentia ludente ſummam notabilem lucrantur. Cum enim uxor abſque mariti ſui licentia ex bonis familiæ, quorum dominium, & adminiſtratio penes maritum eſt, eleemoſynam erogare non poſſit, ut *S. Auguſt.* docet Epiſt. ad *Ecdiciam*, multo minus illa in ludos impendere poteſt.

Hanc regulam confirmat *S. Anton.* P. 2. tit. 2. c. 4. §. 17. „ „ Qui decipit in ludo (*inquit*) ut per falſos taxillos, per falſas chartas, aut dicendo mendacium, ſi vincit, tenetur reſtituere decepto. 2. Quando vincit eos, qui alienare non poſſunt, ut ſunt ſervi, filiifamilias, præcipue pupilli, uxores, Religioſi, & hujuſmodi, hæc oportet reſtituere his, qui habent curam illorum. 3. Quando vincit eum, quem induxit, vel traxit ad ludendum multa importunitate, cum non vellet ludere, vel volentem a ludo recedere invitum detinet, tenetur reſtituere „ „.

REGULA XXVIII.

Qui reſtitutioni obnoxius eſt ratione delicti, furti ſcilicet, rapinæ, uſuræ, &c. rem alienam reſtituere debet eo loco, ex quo injuſte ablata eſt, & ubi degit ille, cui damnum eſt illatum, idque propriis ſumptibus, etiamſi illi excedant rei ablatæ valorem.

Æquitas enim poſtulat; ut qui læſus eſt, ſervetur indemnis, & reſtituatur in integrum; contra, qui damnum fecit, gravetur, ſibique imputet, & ſumptus, quos ad reſtituendum facere debet, ſecundum regulam juris 86. in ſexto: „ Damnum, quod „ quis culpa ſua ſentit, ſibi debet, non aliis imputare „. Hanc Regulam confirmat Canon *Redintegranda*, cauſa 3. q. 1. Quod *Joannis* Pontificis maximi reſponſum eſt: „ Redintegranda ſunt omnia exſpoliatis.. & in „ eo loco, unde abſceſſerant, funditus revocanda „.

REGULA XXIX.

Qui ratione ſolius rei acceptæ obnoxius eſt reſtitutioni, quia videlicet rem alienam invenit, collegitque, ne domino periret, aut bona fide emit, vel poſſedit, & poſtea cognovit eſſe alienam, tenetur reſtituere, in eo duntaxat loco, ubi res illa extat.

Cum enim nullius damni cauſa fuerit, nullamque fecerit injuriam, æquum non eſt, ut gravetur. Dominum itaque moneat, ut ſignificet, quid de re ſua fieri velit, aut ad eum tranſmittat, ſed ejus ſumptibus. „ „ Si vero ille ſit multum diſtans, debet ſibi tranſmitti, quod ei debetur, & præcipue ſi ſit res magni valoris, & poſſit commode tranſmitti; alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conſervetur, & domino ſignificari „ „ (*inquit S. Thom.* 2. 2. qu. 62. art. 5. in reſponſione ad tertiam objectionem.)

REGULA XXX.

Qui reſtitutioni obnoxius eſt ratione contractus, reſtituere debet in loco, de quo conventum eſt, aut in quo voluiſſe dominum, ut ſibi reſtitueretur, eſt verſimile.

De Reſtitutione.

Ut enim habet regula juris 85. in ſexto, *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* In contractibus commodati, & depoſiti, ubi res eadem numero reſtituenda eſt, res aliena reddi debet in loco, ubi eſt accepta, & quidem ſumptibus commodatarii in commodato, ſumptibus autem deponentis in depoſito. Jus enim poſtulat, ut is, in cujus utilitatem res accipitur, onus ferat ſumptuum, qui ſunt ad ejus reſtitutionem neceſſarii. Commodatum porro eſt in utilitatem commodatarii, depoſitum accipitur in utilitatem deponentis. Qui ergo librum, vel equum acceperit commodato, debet eum ſuis ſumptibus remittere domino ad locum, ubi accepit, non tamen in locum longe diſtantem, quo forte dominus tranſmigraverit, niſi aliter fuerit conventum. Qui vero depoſitum gratis cuſtodiendum accepit, ſumptibus deponentis illud reſtituat, ubi deponens ipſe voluerit; non enim æquum eſt, ut ferat expenſas, qui nihil commodi ex depoſito accipit. Mutuum vero ibi ſolvendum eſt, ubi fuit acceptum; & ſimiliter pretium rei emptæ, ubi empta eſt, niſi aliter conventum fuerit. Quæ quidem conventio, ut juſta ſit, compenſandum eſt onus, ſi quod alteri parti imponitur. Non licet enim obſtringere creditorem, ut quod mutuo accepit Pariſiis, ſolvat Lugduni ſuis ſumptibus, quia ſic creditor lucrum perciperet ex mutuo, adeoque uſuram committeret. Si ergo iſtud onus imponatur debitori alio contractu, illud compenſari poſtulat æquitas.

REGULA XXXI.

Qui per internuntium reſtituit, reſtitutionis onere non ſemper liberatur, cum res aliena perit, antequam in manu domini repoſita fuerit.

Si

Si enim ratione injuſtæ acceptionis, ſive retentionis, damnive illati aliquis reſtitutionis lege teneatur, ac rem injuſte acceptam, vel detentam reſtituere velit legitimo domino; ad id porro internuntii opera utatur, verbi gratia parochi, viri religioſi, Concionatoris, Confeſſarii, aut alterius cujuſpiam internuntii, qui probus, & fidelis habetur; interim vero ſi res pereat in ejuſdem internuntii manibus, ſive illius dolo, ſive fortuito caſu, nullatenus liberatur debitor ab onere reſtitutionis. Ubi enim culpa, vel mora debitoris præceſſit, caſus etiam fortuitus illi imputatur, ut reſpondet *Gregorius IX.* cap. *Bona fides*, Ext. *De Depoſito.* Idque confirmat *S. Antoninus*, P. 2. tit. 2. cap. 4. §. 1. „ „ Si vitium (*inquit*) uſuræ, vel furti, vel alterius damni eſt occultum, & reſtitutio occulto modo per ſe, vel per alium facienda eſt, ut non detegatur perſona, caveat etiam diligenter, quod cum per alium facit, ita faciat caute, quod is recipiat, cui debet, & non ille ſibi retineat; quia non eſſet propter hoc liberatus; nec confidat de Prædicatoribus, & Confeſſoribus, & Quæſtuariis, qui quærunt pecunias, non animarum ſalutem „ „.

Si quis obnoxius ſit reſtitutioni ratione rei acceptæ, vel contractus, non ratione delicti, & res eadem numero reſtitui debeat, ut commodatum, locatum, depoſitum; ejus porro reſtitutionem internuntio, qui fidelis habebatur, demandaverit; qui tamen non reſtituat, ſive ex dolo, ſive fortuito caſu, tunc debitor culpa vacans a reſtitutionis onere liberabitur. Quoties enim abſque debitoris culpa res aliena perit, domino ſuo perit, ut ex legibus compertum eſt, ſcilicet L. *Ad eas*, tit. *Commodati, vel contra*, in Digeſtis: „ „ Ad eos (*inquit*) qui ſervandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt, damnum injuria ab alio datum non pertinere, procul dubio eſt. Qua enim cura, aut diligentia conſequi poſſumus, ne aliquis nobis damnum injuria det? *Et L.* Argentum, *ibidem*? Argentum commodatum ſi tam idoneo ſervo meo tradidiſſem ad te perferendum, ut non debuerit

quis

quis æſtimare futurum, ut a quibuſdam malis hominibus reciperetur, tuum non meum detrimentum erit, ſi id mali homines intercepiſſent „„. Et L. *Si mea cauſa*, *Ulpianus ait*: „„ Commodatam rem miſſus, qui repeteret, cum recepiſſet, aufugit: Si dominus ei dari juſſerat, domino petit; ſi commonendi cauſa miſerat, ut referretur res commodata ei, cui commodata eſt „„. Denique ſi reſtitutionis internuntius electus eſt a commodatario, nec a commodante probatus, res commodatario perit; ſi electus, ac miſſus eſt a commodante, ipſimet perit res ſua, ut conſtat ex L. *Eum*, ibidem, §. 1. „„ Sed etſi, dum refertur, periit, ſiquidem ego mandaveram, per quem remitteret, periculum meum erit; ſi vero ipſe, cui voluit, commiſit, æque culpam mihi præſtabit, ſi ſua cauſa accepit „„.

Si vero res non debetur eadem numero, id eſt, non ſecundum individuam, ac determinatam, ſeu ſingularem ſubſtantiam, ſed eadem ſecundum genus duntaxat, & ſecundum pondus, numerum, aut menſuram, ut nummi, triticum, vinum, oleum, &c. reſtituenda eſt periculo debitoris; adeoque debitor, quantumvis culpæ expers, qui rem hujuſmodi internuntio etiam fideliſſimo reſtituendam commiſit, reſtitutionis onere non eſt liberatus, ſi is forte in itinere ſpolietur. Caſus enim fortuiti debitorem non abſolvunt, ut conſtat ex L. *Incendium*, tit. *Si certum petatur*, Cod. lib. 4. cujus hæc ſunt verba: *Incendium aere alieno non exuit debitorem.* Si tamen res illa, quæ eadem numero reſtituenda eſt, debeatur ex culpa, vel in ea reſtituenda interceſſerit mora noxia domino, debitor eam ſuo periculo reſtituere tenebitur; ejuſque damno peribit, ſi pereat contingat, antequam reddatur domino, ſeu cui dominus voluerit.

REGULA XXXII.

Prælatus, qui res Eccleſiæ uſurpavit, eas Eccleſiæ reſtituere, vel iis, quibus ab Eccleſia conceſſus illarum uſusfructus eſt, relinquere tenetur.

Hanc regulam tradit *S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 5.* „„ Prælatus (*inquit*) poteſt rem Eccleſiæ ſurripere tripliciter. Uno modo, ſi rem Eccleſiæ, non ſibi, ſed alteri deputatam uſurparet, puta, ſi Epiſcopus uſurparet ſibi rem capituli, & tunc planum eſt, quod debet reſtituere ponendo in manus eorum, ad quos de jure pertinet. Alio modo, ſi rem Eccleſiæ ſuæ cuſtodiæ deputatam in alterius dominium transferat, puta, conſanguinei vel amici. Et tunc debet reſtituere Eccleſiæ, & ſub ſua cura habere, ut ad Succeſſorem perveniat. Tertio modo, poteſt Prælatus rem Eccleſiæ ſurripere ſolo animo; dum ſcilicet incipit habere animum poſſidendi eam ut ſuam, & non nomine Eccleſiæ; & tunc debet reſtituere, talem animum deponendo „„

REGULA XXXIII.

Non ſolum ex injuſta rei alienæ acceptione, vel detentione, ſed etiam ex injuſta boni alteri obventuri interceptione, & impeditione, reſtituendi oritur obligatio.

Damnum enim infert proximo, qui bonum illi obventurum intercipit, vel impedit. Tres autem debent concurrere conditiones, ut alterius bonum impediens reſtituere teneatur. Prima, ut ſic impeditus potuiſſet rem obtinere tali impedimento non poſito. Secunda, ut rem juſte conſequi potuiſſet. Si enim juſte rem obtinere non poterat, reſtituere non tenetur is, qui impedivit, cum jus alterius non violaverit; ut ſi vir indignus, & incapax conſecutione beneficii, vel officii prohibitus fuerit, tametſi, qui impedivit, impulſus ad id fuerit ex odio, aut alio pravo affectu. Tertia conditio eſt, ut impediverit dolo, fraude, aut mendacio, aliave qualibet actione juſtitiæ oppoſita, qualis eſt calumnia, detractio, detentio perſonæ, ne compareat; literarum illius interceptio, ne rem ſperatam proſequi poſſit; vis illata, aut minæ intentatæ ei, qui bonum illud erat collatu-

turus. Solæ vero preces, blanditiæ, promiſſa non injuſta, minime ſufficiunt, ut quis reſtituere teneatur, cum non ſint cauſæ efficaces damni. Unde reſtitutionis onus non incumbit illi, qui precibus, blandiſque officiis, ac frequenti adhortatione, citra vim, ſic mendacium, alicujus animum avertit ab inſtituendo illum heredem, quem prius inſtituere decreverat, aut a relinquendo legato, vel donatione facienda, vel a beneficii eccleſiaſtici collatione.

Quicunque vero alterum impedit injuſte, ne rem conſequatur, vel poſſideat, in qua, vel ad quam jus habebat per juſtam promiſſionem, ſtipulationem, aliumve contractum, aut per electionem, præſentationem, aliumve titulum legitimum, quo datur actio ad rem petendam, reſtitutionis lege tenetur, quamvis ſolas preces, aut ſuaſiones, non vim, aut fraudem adhibuerit: peccavit enim contra juſtitiam, cum jus alteri quæſitum ſine legitima cauſa fruſtraverit.

Hinc colligitur, lege reſtitutionis illum non teneri, qui ſine vi, vel fraude auctor fuit alteri, ut teſtamentum revocaret, & alium heredem inſtitueret; quia heredes, & legatarii jus non habent ad ſucceſſionem, quamdiu teſtator vivit, cum liberam habeat teſtamenti ſui revocandi poteſtatem. Sicut ergo teſtator poterat teſtamentum ſuum ſine cujuſquam injuria revocare, ita potuit alius perſuadere modis non illicitis, ut illud revocaret. Verum ſi vi, minis, aut calumniis teſtamenti, aut legati alicujus revocationem extorſerit; aut volentem condere teſtamentum, vel codicillum, per vim, vel fraudem impediverit, impediendo, v. g. Notarii, aut teſtium acceſſum, reſtitutionis lege tenetur, cum juſtitiam violaverit.

REGULA XXXIV.

Obligatio reſtituendi rem alienam ad heredes furum, raptorum, uſurariorum, ac cæterorum, qui vel ratione injuſtæ acceptionis, vel rei acceptæ, vel contractus, reſtitutioni obnoxii ſunt, ita tranſit,

ut reſtituere ſinguli teneantur pro rata ſaltem hereditatis portione, quæ ad illos pervenerit. Idem onus legatariis, & donatariis incumbit in ſupplementum.

Heres enim, & defunctus cenſentur in jure una eademque perſona; & ſicut heres ſuccedit in jura, ita & in onera realia defuncti, ſecundum legem, *Heres in omne*, tit. *De acquirenda hereditate*, in Digeſtis. Eaque ratione perſolvere tenetur realia debita defuncti, quantum ferre poſſunt vires hereditatis, ubi accuratum Inventarium bonorum omnium ad hereditatem pertinentium confecerit, ut ſancitum eſt L. *Scimus*, C. tit. *De jure deliberandi, & de adeunda, vel acquirenda hereditate.* Quod & regula juris 149. in Digeſtis confirmat: *Ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet.* Et lex, *Litigator*, C. tit. *De fructibus, & litium expenſis*, cujus hæc ſunt verba: *Heredis quoque ſuccedentis in vitium par fortuna habenda eſt.* Heres in vitium ſuccedere dicitur, qui tametſi furtum, rapinam, uſuras, fraudes non approbaverit, nec illorum criminum particeps fuerit, & conſcius, aut bona male parta eſſe ignoraverit, cum adit hereditatem, illa tamen hereditatis jure poſſidet: reſtitutionis (inquam) lege tenetur, ſicut ille, cujus ad ipſum pervenit hereditas, ut explicat Gloſ. legis mox prolatæ. „ Si heres (*inquit*) ſuccedat in bonis defuncti, ſive heres idem crimen committat, ſive non, ſemper tenetur reſtituere uſuras, quas defunctus extorſit, in quantum ſe extendit illius hereditas „. Idque optime colligit ex L. *Cum heres*, tit. *De diverſis temporalibus præſcriptionibus*, lib. 44. Digeſtorum, cujus hæc ſunt verba: „ Cum heres „ ejus omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua de„ functi vitia non excludit „.

Idem confirmat cap. *Tua nos*, Extra, *De uſuris*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum, cujus hæc ſunt verba: „ Tua nos duxit fraternitas, conſulendos, quid de uſurariorum filiis obſervandum, qui eis in cri-

crimine uſurarum defunctis ſuccedunt; aut extraneis, ad quos bona uſurariorum aſſeris devoluta. Tuæ igitur quæſtioni reſpondemus, quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum „„.

Et cap *In Literis*, Ext. *De Raptoribus*, idem Pontifex interrogatus, an incendiarius, ab excommunicatione ante obitum abſolutus, eccleſiaſtica Sepultura donari debeat, reſpondet: „„ Si ita res ſe habet, mandamus, ut corpus ejuſdem, appellatione ceſſante, facias in cæmeterio ſepeliri; & heredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant, ut ſic a peccato valeat liberari „„; *id eſt a Pœnis* pro peccato in Purgatorio luendis.

Idem confirmat *Greg. IX.* Quæſtioni ſimili reſpondens, cap. *Parochiano*, Ext. *De Sepulturis*, cujus hæc ſunt verba: „„ Sed ejus heredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, Cenſura ſunt eccleſiaſtica compellendi „„.

Si heredum unus ſolvendo non ſit, tenentur alii, non quidem in ſolidum, ſed in illud totum, quod ſingulis obvenit de hereditate, ubi ex bonis male partis tota conſtat hereditas. Si autem hereditatis bona non ſufficiunt, legatarii, & donatarii ad integram reſtitutionem ſupplendam tenentur ex eo, quod ad ipſos pervenit donatione, vel teſtamento ejus, cujus bona reſtitutioni erant obnoxia, ſive ex delicto, ſive ex contractu, ſive ex rei alienæ poſſeſſione. Non enim eis licet cum alterius damno, & jactura locupletari; neque teſtator, aut donator plus juris in illos transferre potuit, quam ipſe habebat. Sed etſi bona hereditatis ad debita diluenda ſufficiant, legatarius reſtituere tenetur rem alienam, quæ ipſi in propria ſpecie legata eſt. Quin & dos data filiæ obnoxia eſt reſtitutioni rapinarum, & uſurarum patris, defectu aliorum bonorum, maxime ſi conſtet, patrem omne

patrimonium ex furtis, rapinis, fraudibus, vel uſuris conflaſſe. Dos enim, & legitima filiorum conſtituuntur, & aſſignantur, habita ratione bonorum patris, & deducto omni ære alieno, ut colligitur ex L. *Pugnianus*, tit. *De inofficioſo teſtamento*, in Digeſtis. Et in computatione hereditatis facienda, deduci primum debent debita teſtatoris, ut colligitur ex L. *Scimus*, §. 9. C. tit. *De jure deliberandi, & de adeunda, vel acquirenda hereditate.* Et ex L. *Si univerſi*, C. tit. *De legatis.* Neque vero grave filiis videri debet, ſi tantum priventur acceptis a patre, ut animam patris liberent ſatisfactione; reſtituentes, quæ dantis non fuerunt; cum aliunde, ſi probi filii ſint, nihil prætermittere debeant, quo putent animam patris juvandam, a quo vitam acceperunt. Sic etiam pium, gratumque animum in parentes oſtendent, & ſeipſos a maledictione, qua participes uſurarum irretiuntur, liberabunt.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, lib. II. tit. *De Raptoribus*, §. 24. „ De heredibus autem raptorum (*inquit*) licet ſecundum leges aliter diſtinguatur, dico jure canonico eos teneri ad omnia debita defunctorum, in quorum locum ſuccedunt, perſolvenda, ſive fuerint ex contractu, vel quaſi; ſive ex maleficio, vel quaſi; ſive pervenit res illa, pro qua debitum fuit contractum, ad eum, ſive non; ſive lis fuerit conteſtata cum defuncto, ſive non. *Can.* 16. *qu.* 6. *Si Epiſcopum. Ext.* De Pignoribus. *Ex præſentium*, & de Solutionibus c. 1. *Et* De Uſuris, *Tua nos*, & de Raptoribus, *In literis*, & De Sepulturis, *c. ult.* Hanc opinionem tenuerunt omnes Doctores mei... Quid ſi non ſufficit hereditas ad debita perſolvenda? Videtur, quod ſi non fecit Inventarium, nihilominus teneatur ad omnia, ſi vero fecit, tunc non teneatur, niſi in quantum hereditas ſufficit, C. *De jure deliberandi*, &c. L. *Scimus.* Ego credo, quod in judicio animæ non tenetur, niſi in quantum ſufficit hereditas. Diſtinguo tamen inter debita, & legata, & relicta: quia debita tenetur ſolvere abſque de-

detractione legitimæ, ſi neceſſe eſt, quantum poteſt ſufficere hereditas; de legatis autem poteſt detrahere ſuam legitimam, ſi tot ſunt, quod illis ſolutis non remaneret ſibi legitima. Nam in legitima pater filium gravare non potuit. *Et* §. 26. Quid ſi plures ſunt heredes? Nunquid quilibet tenetur in ſolidum creditoribus, an pro hereditaria portione? Reſpondeo: Regulariter tenetur quilibet heres pro parte hereditaria. C. *De hereditariis actionibus*, L. 1. & 2. „„ Et certe ſi heredes tenerentur in ſolidum reſtituere, ac ſolvere debita defuncti ex delicto provenientia, nempe ex furto, rapina, uſuris, & lucris quibuſvis illicitis, bona defuncti eſſent hypothecata creditoribus, quibus damnum intulit, ſeu furtis, ſeu rapinis, ſive uſuris, concuſſionibus, aut aliis delictis Obligationis enim in ſolidum fundamentum eſt hypotheca, qua bona debitoris creditori pro debito manent obligata ex mutua conventione. Bona porro defuncti obligata non manent debitoribus pro debitis provenientibus ex delicto, cum nulla conventio ea de re interceſſerit, ex qua duntaxat hypotheca expreſſa acquiritur; nec ulla lex civilis, nullum juris municipalis, ſive conſuetudinarii caput, nulla Conſtitutio regia hypothecam debitoribus concedat in bona creditorum pro debitis provenientibus ex delicto; imo nec ullo Canone, aut juris pontificii Decreto tacita hujuſmodi conſtituitur hypotheca. Ad reſtituendum igitur, aut ſolvendum hujus generis debita in ſolidum non tenentur heredes, ſed ſolum pro rata parte hereditatis, quæ ad illos pervenit.

REGULA XXXV.

Reſtituere tenetur uſurarius quidquid lucratus eſt per uſuram ex rebus, quarum uſus non eſt ipſarum conſumptio; non vero, quod lucratus eſt ex rebus, quæ ipſo uſu conſumuntur.

Hanc Regulam tradit *S. Thom.* 2. 2. qu. 78. art. 3. „„ Res quædam ſunt (*inquit*) quarum uſus

eſt ipſa earum rerum conſumptio, quæ non habent uſumfructum, ſecundum jura; & ideo ſi talia fuerint per uſuram extorta, puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum niſi id, quod accepit; quia id, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus hujuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ; niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus amittendo aliquid de bonis ſuis; tunc enim tenetur ad compenſationem nocumenti. Quædam vero res ſunt, quarum uſus non eſt earum conſumptio; & talia habenti uſumfructum, ſicut domus, ager, & alia hujuſmodi. Et ideo ſi quis domum alterius, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolum teneretur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos; quia ſunt fructus rerum, quarum alter eſt Dominus, & ideo ei debentur „ „.

Dominium quidem rei ex uſuris comparatæ tranſit ad uſurarium ementem, neque uſuraria res illa eſt, ſicut *Neque nummus ex re furtiva redactus furtivus eſt*, ut dicitur L. *Qui vas*, tit. *De Furtis*, in Digeſtis; ſed tamen obligata manet iis, a quibus uſuræ ſunt acceptæ. Succedit enim hæc res loco pretii; ſicut e contra pretium ſuccedit loco rei. Unde *Alexander III.* c. *Cum tu*, Ext. *De Uſuris*, reſpondet: „ „ Poſſeſſiones vero, quæ de uſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum pretia his, a quibus uſuræ ſunt extortæ, reſtitui; ut ſic non ſolum a pœna, ſed etiam a peccato poſſint, quod per uſurarum extorſionem incurrerant, liberari „ „.

Idem confirmat *S. Thom.* ibidem in reſponſione ad ſecundam objectionem: „ „ Poſſeſſiones (*inquit*) quæ de uſuris ſunt comparatæ, non ſunt eorum, quorum ſunt uſuræ, ſed illorum, qui eas emerunt; ſunt tamen obligatæ illis, a quibus fuerunt uſuræ acceptæ, ſicut & alia bona uſurarii. *Et* ideo non præcipitur, quod aſſignentur illæ poſſeſſiones his, a quibus fuerunt acceptæ uſuræ, quia forte plus valent, quam uſuræ, quas dederunt; ſed præcipitur, quod vendantur

tur poſſeſſiones, & earum pretia reſtituantur, ſcilicet ſecundum quantitatem uſuræ acceptæ „ „.

REGULA XXXVI.

Quicunque uſurarum exactioni cooperati ſunt, ad reſtitutionem tenentur, in ſubſidium illorum, qui uſuras acceperunt, ſi illi non reſtituerint.

Quicunque enim damni cauſa eſt, reſtitutionis lege tenetur; principaliter quidem, qui damni præcipuus auctor fuit; alii vero in ſubſidium, ſi ille damnum illatum non reſarciat. Quamobrem Notarii, & Tabelliones, qui inſtrumenta conficiunt ad palliandas uſuras, tenentur ad reſtitutionem uſurarum acceptarum ratione inſtrumenti ab illis confecti, maxime ſi uſurarii ob inopiam reſtituere non poſſint. Idem eſto judicium de advocatis, & procuratoribus, qui contractus fœneratitios defendunt; item de principibus, & magiſtratibus, qui legibus ſuis, ſtatutis, vel ſententiis, uſuras approbant, & fœnerationibus eas exigendi, vel non reſtituendi dant auctoritatem, earumque repetitionem prohibent; item de confeſſariis, qui manifeſtum uſurarium ad confeſſionem recepe-rint, & abſolverint, contra formam capitis *Quamquam*, tit. *De Uſuris*, in ſexto. Item de conſcientiarum moderatoribus, & doctoribus, qui de caſibus uſurarum interrogati, reſpondent, uſurarios contractus non eſſe, qui ſecundum probabiliorem Theologorum ſententiam, legique magis, quam cupiditati faventem, uſurarii ſunt, & cenſentur; & reſtitutioni obnoxios non eſſe, qui contractus illos iniverunt.

Ad reſtitutionem tenentur & fidejuſſores uſurariorum, qui pro ipſis in uſurarum reſtitutionem fidejuſſerunt. Et quidem ſi ante ceſſionem bonorum ab illis factam pro illis ſe obligaverunt, in omnem eventum fidejuſſiſſe cenſebuntur; & quamvis uſurarius deſtituatur facultatibus, deſinat eſſe ſolvendo, vel cedat bonis, nihilominus fidejuſſor tenebitur ex facultatibus ſuis ſolvere. Nam, ut ait *Juſtinianus* lib. 4. *Inſt.* tit.

14. Quædam exceptiones, quæ debitoribus dari ſolent, fidejuſſoribus non dantur: „ Ecce enim debitor, ſi bonis ſuis ceſſerit, & cum eo creditor experiatur, defenditur per exceptionem, ſi bonis ceſſerit; ſed hæc exceptio fidejuſſoribus non datur; ideo ſcilicet, quod qui alios pro debitore obligat, hoc maxime proſpicit, ut cum facultatibus lapſus fuerit debitor, poſſit ab iis, quos pro eo obligavit, conſequi „. Quod ſi non ſimpliciter fidejuſſit aliquis pro uſurario, ſed pro reſtituendis uſuris mortui, qui ſine illa cautione ſepeliri non poterat; tenetur ſolum reſtituere, in quantum vires hereditatis uſurarii tempore fidejuſſionis valebant.

Tenentur etiam ad reſtitutionem proxenetæ, ſeu mediatores uſurarum acceptarum, ſi pro creditore operas præbuerint, ut quærerent, cui mutuum cum uſuris daret. Illi enim ſceleris participes, ac fautores ſunt, ac proinde tenentur ad reſtitutionem in ſubſidium uſurarii, ſi is non reſtituerit, ut colligitur ex L. *Si ſciente*, Ad legem Pompejam *De Parricidiis*, lib. 48. Digeſtorum; cujus quidem legis Gloſſa ad verbum *caverint*, ſic habet: „ Nota argumentum contra „ proxenetas, ut teneantur reddere uſuras, ſecundum „ Eccleſiam, ac ſi ipſi accepiſſent „. At vero ſi proxeneta, ſeu mediator ex parte tantum mutuum accipientis intervenit ad inveniendum creditorem, qui pecuniam mutuo daret, reſtitutionis lege non tenetur, etiamſi duxerit ad eum, qui ſolitus non erat niſi cum uſuris mutuum dare, modo nullam habeat cum uſurario ſocietatem, nullumque munus, aut lucrum ab eo percipiat, ut ducat ad ipſum eos, qui mutua pecunia indigent, & ad uſuram accipere parati ſunt.

Ad reſtitutionem pariter tenentur negotiorum uſurarii geſtores, qui pro eo dant mutuum ad uſuram, eamque recipiunt, aut contractus uſurarios ejus nomine ineunt; aut uſurario ſerviunt ad uſuras exigendas, vel recipiendas, vel præſunt menſæ fœnebri, vel mutuum ferunt, quod ad uſuram dari non ignorant, vel pignora accipiunt ad uſurarum uſque ſolu-

tio-

tionem cuſtodienda, non in debitorum utilitatem, ſed in commodum, & gratiam fœneratorum. Item qui domos ſuas publicis uſurariis locant. Hi enim omnes uſurarum exactioni cooperari cenſentur.

Ad reſtitutionem etiam tenentur tutores, & curatores, qui uſuras exigunt, & recipiunt nomine pupillorum, ſi ſolvendo non ſunt illi, quorum nomine illas acceperunt. Quamobrem Canone *Sicut non ſuo*, diſt. 46. qui ex S. *Leone* ad Epiſcopos Campaniæ ſcribente ſumptus eſt, non minus damnatur fœnus, quod alieno nomine Clerici exercent, quam quod ſuo. *Indecens eſt enim* (inquit) *crimen ſuum commodis alienis impendere.* Ubi Gloſſa obſervat, hinc argumentum ſumi: „ Quod ſi aliquis quaſi procurator, vel tutor quandoque recipit uſuras, non poteſt petere, ut ſibi reddantur uſuræ. Unde ſi aliquis tutor a me recipit uſuras nomine pupilli, finito officio poſſum petere uſuras a tutore; quia pro eo peccare non debuit; ſecus in aliis contractibus, quia finito officio non convenitur tutor, vel curator; *ut colligitur ex* L. Si non ſubſcripſiſti, C. *tit.* De Adminiſtratione tutorum, & L. 1. C. *tit.* Quando tutores, & curatores eſſe deſinant „. Id confirmat S. *Raymundus* lib. 2. tit. *De Uſuris*, §. 18. „ Sicut (*inquit*) prohibetur aliquis recipere uſuras nomine ſuo, ita & alieno. Et ſi accipit alieno nomine, ſive ſit tutor, ſive ſit curator, vel quicunque alius, tenetur ad reſtitutionem, ſi ille, cujus nomine accepit, vel non eſt ſolvendo, vel non vult reſtituere. Nam facientes, & conſentientes par pœna conſtringit, *Cauſa* 2. qu. 1. *Canone* Notum „. Idem docet S. *Antoninus* P. 2. tit. 2. cap. 4. §. 3.

REGULA XXXVII.

Creditoris condonatio a reſtitutionis obligatione liberat debitorem.

Juris enim, bonorumque ſuorum quiſque dominus eſt, & condonatione debiti facta, non detinetur aut- Tres conditiones neceſſariæ, ut

condonatio creditoris debitorem in foro conſcientiæ liberet ab obligatione ſolvendi, vel reſtituendi.

amplius res aliena invito domino. Sed ut condonatio creditoris debitorem in foro conſcientiæ liberet ab obligatione ſolvendi, aut reſtituendi, tres conditiones concurrant neceſſe eſt. Prima eſt, ut condonatio facta ſit ab eo, qui condonare poterat; cujus conditionis defectu invalida eſt condonatio, quam faciunt filiifamilias, peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe non habentes, pupilli, minores, religioſi profeſſi, ſtulti, furioſi, prodigi magiſtratus ſententia declarati, & bonorum ſuorum adminiſtratione excluſi, & alii, qui donandi, atque adeo condonandi poteſtatem legitimam non habent. Quamobrem ſi vir religioſus, aut Sanctimonialis alicui ex conſanguineis ſuis, vel amicis condonaverint debitum ex penſionis vitalitiæ, donationis, aut fundationis contractu proveniens, aut ex eo, quod mutuum inconſulto forte Superiore ipſis dederint, non liberantur illi ab obligatione ſolvendi Conventui; quia monachus nihil proprium habet, adeoque nihil donare poteſt. Unde Canone *Abbati*, diſt. 54. ex *S. Iſidoro Hiſpalenſi*, dicitur: „„ Abbati, vel monacho monaſterii ſervum non licebit facere liberum. Qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non poteſt. Nam ſicut etiam ſeculi leges ſanxerunt, non poteſt poſſeſſio alienari niſi a proprio domino „„ Sed neque Clericus, nulla alia bona habens præter bona eccleſiaſtica, remittere poteſt conſanguineo ſuo, vel alteri, qui ſolvendo ſit, debita ex illis bonis provenientia, aut reſtitutionem condonare; quia bonorum hujuſmodi dominium non habet, ſed ſolam diſpenſationem, ut colligitur ex Can. *Epiſcopi*, cauſa 12. qu. 1. qui ex Concilii Agathenſis Can. 48. & ex Can. *Placuit*, eadem cauſa, qu. 3. qui eſt Concilii Carthaginenſis 3. 49. Ex cap. *Inveſtigandum*, & aliis, Ext. *De Peculio Clericorum*, & cap. *Relatum eſt*, 2. Ext. *De Teſtamentis*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum. Quod quidem & de bonis ipſis ex portione Clerico ſingulatim aſſignata, & addicta reſervatis, & reſiduis intelligendum eſſe cenſent *Innocentius IV.* in cap.

Cum

Cum in officiis. De Teſtamentis, *Panormitanus* in cap. *Cum eſſes*, ſub eod. tit. *Joannes Andreas* in Capone *Res Eccleſiæ*, cauſa 12. qu. 1. Gloſſa in eumdem Canonem, & *Gratianus* in eadem cauſa, & quæſtione, ubi & ad hujus confirmationem ſententiæ illud *S. Auguſtini* profert ex illius Epiſtola ad *Bonifacium* Comitem alias 50. nunc 185. „ „ Si privatim, quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus „ „.

Secunda conditio ad condonationem legitimam neceſſaria eſt, ut ſpontanea ſit, non dolo, non fraude, non vi, non minis extorta. Unde ſi quis; ad condonationem debitorum, aut reſtitutionis obtinendam, paupertatem ſimulet, ſeque ſolvendo non eſſe mentiatur, aut multo graviora damna paſſum, quam revera paſſus ſit; aut creditores totum debitum amiſſuros minetur, niſi partem condonent, non eſt liber a reſtitutionis onere: *Fraus enim, & dolus nemini debent patrocinari.* Caſum iſtum elucidat *S. Antoninus* P. 2. tit. 2. cap. 4. §. 1. „ „ Ubi (*inquit*) certum eſt, & clarum debitum, & ratio uſurarum, vel alterius uſurpationis, niſi creditor liberaliter remittat illud, quod remittit; etiamſi de mille decem tantum remitteret, ſi hoc facit, quia putat, ſe aliter non poſſe reſiduum habere, nil valet illa remiſſio facta ex publico pacto quoad animam. Unde cum mercator infortunia paſſus fallit, & occultans multa de bonis ſuis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compoſitionem cum eis de minori quantitate, quam debeat; puta, promittit reſpondere ſingulis creditoribus ad rationem quindecim ſolidorum pro libra, cum tamen poſſet totum dare, vel cedere bonis, cui compoſitioni aſſentiunt creditores, & ita recipientes liberant eum de reſiduo; certum eſt, quia quoad Deum adhuc tenetur de reſiduo; cum illi non ſponte, ſed coacte fecerint illam remiſſionem, volentes potius illa parte carere, quam toto. Quinimo

&

& ſi cederet bonis totaliter, nil ſibi reſervando, & non ſufficiunt bona illa ad ſatisfaciendum, ſi poſtea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de reſiduo. *Ext.* De Solutionibus, *cap.* Odoardus „ „.

Tertia conditio requiſita, ut condonatio ab obligatione reſtituendi in foro conſcientiæ liberet, eſt, ne jure vetita ſit, ſive ne debitor poſitiva lege declaratus ſit incapax condonationis. Hinc Viſitator Eccleſiarum, ſi ab eis, quos viſitat, vel quorum vice ſacram viſitationem obit, aliquid accipiat præter ſumptus neceſſarios, duplum reſtituere tenetur, etiam ante ſententiam judicis: *Nulla ei in hoc damnum remiſſione, liberalitas, ſeu gratia valitura*, ut habetur cap. *Exigit*, tit. *De Cenſuris*, in ſexto. Similiter judex delegatus, ſi quid a partibus acceperit, niſi forte eſculentum, aut poculentum meta liberalitate oblatum, quod paucis diebus poſſit conſumi, vel ſi propter cauſam ſibi commiſſam extra domicilium profectus acceperit aliquid præter expenſas moderatas; vel a partibus pauperibus aliquid expenſarum etiam nomine exegerit, ad reſtitutionem integram tenetur: *Nulla eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſionem ullatenus profutura eidem*, ut habetur cap. *Statutum*, tit. *De Reſcriptis*, in ſexto. Item ſi inquiſitores officii ſui ratione pecuniam extorſerint, reſtituere jubentur iis, a quibus acceperunt: *Nullis privilegiis, pactis, aut remiſſionibus ſuper hoc valituris*; ut habetur in Clementinis, cap. *Nolentes*, tit. *De hæreticis.* Denique Canonici, qui divinis officiis non interſunt, reſtituere tenentur diſtributiones, etiamſi illi, quibus accreſcunt, eas condonent, ut ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſ. 24. *De Reformatione*, cap. 12. „ Diſtributionem vero (*inquit*) qui ſtatis „ horis interfuerint, recipiant; reliqui quavis collu„ ſione, aut remiſſione excluſa his careant „ „.

REGULA XXXVIII.

Præſcriptio reſtituendi obligationem perimit.

Hæc regula ut intelligatur, ſupponendum eſt, quid ſit præſcriptio, & quot ad illam conditiones requirantur. De præſcriptionibus.

Præſcriptio eſt acquiſitio dominii utilis, vel directi per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.

Ad legitimam præſcriptionem quinque ſimul conditiones concurrant, neceſſe eſt. Conditiones ad præſcriptionem requiſitæ.

Prima eſt continuata poſſeſſio. Nam *ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit*, ut habet Regula juris 3. in ſexto.

Secunda eſt rei capacitas, ut præſcribi poſſit; qualem non habent res ſacræ, & publicæ, juraque eccleſiaſtica. Unde laici præſcribere non poſſunt jus cognoſcendi, ac judicandi cauſas Eccleſiæ, jura decimarum, primitiarum, aliaque bona ſpiritualia; ut conſtat ex cap. *Cauſam*, Ext. *De Præſcriptionibus.*

Tertia eſt bona fides. Ut enim dicitur cap. *Vigilanti*, ſub eod. tit. „ Nulla antiqua dierum poſſeſſio juvat „ aliquem malæ fidei poſſeſſorem, niſi reſipuerit, poſt„ quam ſe noverit aliena poſſidere; cum bonæ fidei „ poſſeſſor dici non poſſit „. Tametſi enim jure civili poſſeſſor malæ fidei tutus ſit præſcriptione triginta annorum (L. *Sicut*, *Cod. De Præſcriptione* 30. *vel* 40. annorum) non tamen tutus eſt jure divino; ut colligitur ex eodem cap. *Vigilanti*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum: „„ Epheſinus (*inquit*) Legislator ſolum propter vitandam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem, & confuſionem, primus triennali, vel quadragenali præſcriptioni vigorem legis impoſuit. Nobis autem tam in rebus cognitis, quam latentibus, placuit non habere vigorem „„. Id eſt, neque in rebus, quas dominus ab aliis poſſideri cognoſcit, nec in rebus, quas verus dominus ad ſe pertinere neſcit, ut explicat Gloſſa. Idem confirmat cap. *Quoniam omne*, ſub eod. tit. quod eſt *Innocentii III.* Decretum in Concilio Lateranenſi 4. „„ Quoniam (*inquit*) omne quod

quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica, quam civilis; cum generaliter ſit omni Conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari. Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ „ „. Hinc regula juris 2. in ſexto: *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.*

Quarta conditio legitimæ præſcriptionis eſt titulus probabiliter præſumptus; nam ſi certus eſſet, transferret certe dominium non expectata præſcriptione. Id conſtat ex cap. *Si diligenti*, Ext. *De Præſcriptionibus*, cujus hæc ſunt verba: *Cum in præſcriptione rerum eccleſiaſticarum bona fides, & juſtus titulus exigantur.* Nunquam porro juſtus eſt titulus, ſi res ſit vitioſa, id eſt furtiva, vel vi poſſeſſa; ideoque non ſolum fur, vel raptor, ſed nec ullus alius, quamvis ab eis emerit, vel alias bona fide acceperit, præſcribere, vel uſucapere poteſt, ut habetur in inſtitutionibus Juſtiniani, tit. *De Uſucapione.* §. *Et furtivæ*, & §. *Quod autem.*

Quinta denique conditio præſcriptionis legitimæ eſt tempus lege definitum, quod eſt triennium in uſucapione mobilium; in præſcriptione autem bonorum immobilium privatorum, cum titulo anni decem inter præſentes, & viginti inter abſentes; ſed ſine titulo anni triginta, modo non conſtet rem fuiſſe mala fide aequiſitam. Ad præſcribendas res Eccleſiæ immobiles anni requiruntur quadraginta, tam jure civili, Auctent. *Quas actiones; Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis*, quam jure canonico, cap. *De quarta*, cap. *Ad aures*, cap. *Iſtud*, cap. *Quia judicante*, & cap. *Accedentibus*, Extra, *De Præſcriptionibus.* Soli romanæ Eccleſiæ competit privilegium, ne adverſus eam niſi centum annis præſcribatur.

Tempus autem ad præſcriptionem requiſitum fuerit pacificum neceſſe eſt, neque ulla litis conteſtatione interruptum, ut reſpondet *Alexander III.* cap. *Illud.*

Ex-

Extra. *De præſcriptionibus*, cujus hæc ſunt verba: „„ Si de præſcriptione, & interruptione inter partes fuerit mota quæſtio, ab utraque parte teſtes recipi debent; & ſi probata fuerit interruptio, præſcriptio non tenebitur „„. Civili tamen Gallorum jure conteſtatio litis triennii lapſu interrupta ita perimitur, ut vim non habeat prorogandi actionem, & præſcriptionem impediendi, ut conſtat ex Conſtitutionis Ruſcinonenſis art. 15. modo conteſtatio litis bonam fidem poſſeſſoris non concuſſerit. Sed præſcriptionem duntaxat bonorum privatorum conſtitutio illa ſpectat, non bonorum Eccleſiæ, quæ ſolo jure canonico judicatur.

His poſitis, evidens eſt, obligationem reſtituendi præſcriptione perimi, ſiquidem præſcriptione legitima vere transfertur dominium, quod ita ſtatuerunt leges, tum ne rerum dominia in incerto eſſent; tum ut aliquis litium finis eſſet, & privatarum familiarum quieti conſuleretur, quæ juſtæ poſſeſſionis titulos, & inſtrumenta, probationeſque, ac defenſiones actorum petitionibus oppoſitas, privatis, aut publicis calamitatibus quandoque amiſerunt; tum denique, ut negligentia domini rei ſuæ poſſeſſionem non curantis puniatur. Præſcriptione igitur conſummata dominium transfertur in præſcribentem; adeoque rem præſcriptam priori domino reſtituere ille non tenetur; ſed illam velut ſuam retinere poteſt, quamvis poſt lapſum temporis ad præſcriptionem conſtituti certo intelligat, rem non fuiſſe ſuam. Id utroque jure ſancitum, confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 12. qu. 16. art. 2. Quærit *Utrum ille, qui mala fide præſcripſit, teneatur ad reſtitutionem?* Reſpondet circa hoc diſſenſionem eſſe inter jus civile, & jus canonicum. „„ Quia ſecundum jus civile talis præſcriptio tenet; ſecundum jus canonicum talis præſcribere non poteſt; & ratio hujus contrarietatis eſt, quia alius eſt finis, quem intendit civilis Legislator, ſcilicet pacem ſervari, & ſtare inter cives, quæ impediretur, ſi præſcriptio non curreret; quicunque enim vellet, poſſet

venire, & dicere, iſtud fuit meum, quocunque tempore; finis autem juris canonici tendit ad quietem Eccleſiæ, & ad ſalutem animarum; nullus autem in peccato ſalvari poteſt, nec pœnitere de damno, vel de alieno, niſi recompenſet. Et ideo dicendum eſt, quod ſi quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem; etiamſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem; quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere; ſed qui mala fide præſcribit, tenetur emendare, & ſatisfacere, reddendo damnum, quod intulit „.

Idem confirmat *S. Raymundus*, lib. 2. tit. *De Præſcriptionibus*, §. 33. Quærit, quando præſcriptio completa eſt cum bona fide continua, & juſto titulo, & aliis circumſtantiis, & poſtea incipit poſſeſſor habere conſcientiam rei alienæ, utrum ad reſtitutionem teneatur. Quæſtionem diſceptat in utramque partem. Affirmans niti videtur præcepto Domini, Exod. 20. dicentis: *Non concupiſces rem proximi tui.* Item his *S. Auguſtini* verbis, libro *De Fide, & Operibus*, cap. 7. „ Bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur, tunc juſte injuſtus vocabitur „. Idem probari poſſe, ait ex cap. *Vigilanti*, Extra, *De Præſcriptionibus*. Negantem vero ſententiam, ſcilicet, quod reſtituere non teneatur, niti ait utroque jure. „ Poſſidet ergo iſte auctoritate juris (*inquit*) ergo „ non alienum, ſed ſuum poſſidet, ergo non peccat „. Unde *S. Auguſt.* Epiſtola ad *Macedonium* ait: „ Hoc „ certe alienum non eſt, quod jure poſſidetur. Hoc „ autem, quod jure, juſte, & hoc quod juſte, bene „. *Item*: „ Jure humano dicitur, hæc villa mea eſt; „ tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, hæc „ villa mea, meus eſt iſte ſervus, mea eſt hæc do„ mus? *Diſtinctione* 8. Quo jure „. *Item*. „ „ Cum Papa, & Imperator, quibus commiſſum eſt a Deo regimen, & diſpoſitio mundi, ſtatuerint hoc ex cauſa uti-

utili, & honeſta, & propter publicam utilitatem, quis audet contradicere? Cauſa enim fuit triplex; una, bona fides poſſidentis; ſecunda, odium negligentis petere rem ſuam; tertia, ne dominia rerum eſſent incerta, & confuſa, & inde poſtea poſſent ſequi multa mala „„. Quæſtione ſic in utramque partem diſceptata, ſubdit *S. Raymundus*, varias eſſe circa illam, repugnanteſque ſententias. Theologos fere omnes affirmantem propugnare; quod ſcilicet reſtituere teneantur; Juriſperitos contrariam aſſerere, nempe quod reſtituere minime teneantur. Ipſe vero mediam ſententiam eligit: „„ Mihi videtur (*inquit*) ſalvo meliori judicio, aliter diſtinguendum; quia aut iſte poſſeſſor poſt completam præſcriptionem habet conſcientiam remordentem, aut non. In primo caſu, dicam ei præciſe, quod reſtituat rem; quia qui facit contra conſcientiam etiam erroneam, ædificat ad gehennam. 11. *Qu.* 3. *Cui eſt illata. Extra. de Simonia. Per tuas.* 2. In ſecundo caſu, ſi dicat, quod credit juſte poſſidere juris auctoritate, nec habet conſcientiam ſuper hoc remordentem; vel etiam ſi habuit aliquo tempore poſt completam præſcriptionem, conſilio peritorum depoſuit omnem ſcrupuloſitatem conſcientiæ, tunc conſulerem ei, ut reſtitueret, ſaltem propter ambiguum duplicitatis; & quia vix poterunt concurrere omnia, quæ exiguntur ad præſcriptionem. Si nollet acquieſcere, non audeo ſibi dare ſecuritatem, quod ſit in ſtatu ſalvandorum propter jura pro prima parte inducta; non audeo etiam præciſe definire eum teneri, vel eſſe propter hoc in ſtatu damnandorum, propter jura pro ſecunda parte inducta, præſertim cum ſic videatur ſervare per univerſum orbem, quocunque ſe diffundit, Eccleſia „„. Sententia Eccleſiæ eſt, teſte *S. Raymundo*, eum, qui bona fide præſcripſit, ad reſtitutionem non teneri, quamvis completa præſcriptione tandem cognoſcat rem, quam poſſidet, non fuiſſe ſuam.

REGULA XXXIX.

Qui probabiliter perſuaſus rem eſſe ſuam, ejus poſſeſſionem cepit, & medio tempore dubitavit, an ſua eſſet, vel aliena, reſtituere illam non tenetur completa præſcriptione.

Dubitatio namque ſuperveniens bonam fidem, ſemel habitam non perimit, adeoque nec bonæ fidei poſſeſſionem interrumpit. Unde quamvis malæ fidei poſſeſſor ſit, qui dubitans, utrum res ſua eſſet, vel aliena, ejus poſſeſſionem adiit, malæ tamen fidei poſſeſſor non eſt habendus, qui probabiliter perſuaſus rem eſſe ſuam, non craſſa deceptus ignorantia, non avaritia excæcatus, aut impulſus, poſſeſſionem ejus cepit, poſtea nihilominus dubitavit, an ſua res, vel aliena eſſet. Unde poſtquam *Innocentius III.* cap. *Quoniam*, Extra. *De Præſcriptionibus*, declaravit, quod „„ Nulla valet abſque bona fide præſcriptio tam canonica, quam civilis: *Subdit*: Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ „„. Ex quibus evidenter colligitur, ſolam conſcientiam, quod res ſit aliena, tollere bonam fidem, non vero dubitationem. Idem confirmat Canon, *Si virgo*, cauſa 34. qu. 1. „ In jure præ„ diorum (*inquit*) tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſ„ ſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat „ alienum „. At qui dubitat, is certe ignorat ſe poſſidere alienum, nec rei alienæ conſcientiam habet; manet itaque bonæ fidei poſſeſſor. Idem confirmat cap. *Dominus*, Extra. *De ſecundis Nuptiis*, quo *Lucius III.* decernit, ut mulier, „„ ſi de morte prioris conjugis adhuc exiſtimat dubitandum, ei, qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti „„. Cum igitur debitum conjugale reddi non poſſit niſi bona fide, ſequitur, bonam fidem dubitatione non tolli. Denique ſi is, qui bona fide poſſeſſionem inivit, nata poſtmodum dubitatione non præſcriberet, ſed reſtituere teneretur, falſa eſſet juris regula: *In dubiis potior eſt conditio poſſidentis.*

RE-

REGULA XL.

Reſtitutio ſtatim, & abſque mora facienda eſt, ſi fieri poſſit. Certis tamen caſibus differri poteſt, ſi nimirum id poſtulet grave periculum imminens vitæ, famæ, innocentiæ, ac ſalutis debitoris, aut familiæ ipſius, vel etiam rerum legitime partarum, ſtatuſque juſte acquiſiti notabile detrimentum ex ſubita reſtitutione emergens; nec ſimile damnum imminęat creditori.

Hanc regulam firma ratione probat *S. Thomas*, ſecunda ſecundæ, qu. 62. art. 8. „„ Sicut (*inquit*) accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc, quod aliquis retinet rem alienam invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere, ſecundum illud Eccl. 21. *Quaſi a facie colubri fuge peccatum*; & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt; vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere „„.

Et in reſponſione ad primam objectionem ait, quod „„ Præceptum de reſtitutione facienda, quamvis ſecundum formam ſit affirmativum, *ſeu affirmative exprimatur*; implicat tamen, *& involvit* in ſe negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere „„. Præceptum autem negativum obligat ſemper, nulloque tempore prætermitti ejus obſervatio poteſt, nullam moram patitur ejus executio.

Addit in reſponſione ad ſecundam objectionem: „„ Quando aliquis non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſolvit eum ab inſtanti reſtitutione facienda; ſicut etiam totaliter a reſtitutione abſolvitur, ſi omnino ſit impotens; debet tamen remiſſionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per ſe, aut per alium „„.

Ex his patet, reſtitutionem ſtatim faciendam eſſe, ſi fieri poſſit; poſſe tamen differri, cum neceſſitas,

& præſens impotentia reſtituendi moram poſtulat; unde *inanis actio creditoris* a juriſconſultis dicitur, *quam inopia debitoris excludit.* Et Gregorius IX. cap. *Odoardus*, Extra. *De ſolutionibus*, de Clerico propter quædam debita, quæ ſolvere omnino non poterat, excommunicato ſic reſpondet: „„ Si conſtiterit, quod vel in totum, vel pro parte ſolvere non poſſit debita ſupradicta, ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis; recepta prius ab ipſo idonea cautione, ut ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat „„. Præſens igitur impotentia reſtituendi excuſat a reſtitutione ſtatim facienda. Impotentiam dico, non ſolum phyſicam, ut Theologi loquuntur, quando ſcilicet nihil omnino habet debitor, unde reſtituat; ſed etiam moralem, cum nempe reſtituere abſque gravi ſui, vel aliorum nocumento non poteſt; v. g. ſi debitor extrema, aut valde gravi neceſſitate prematur, cui aliunde ſuccurrere non poſſit, quam ex re aliena injuſte poſſeſſa. Item ſi abſque gravi periculo vitæ, famæ, innocentiæ, aç ſalutis ſuæ, vel ſuorum reſtituere non valeat. Item, qui ſine magno detrimento rerum ſuarum juſte partarum, aut ſtatus juſte acquiſiti, ſtatim reſtituere non poteſt, is ſolutionem abſque peccato differt; modo tamen creditor ſimile damnum non patiatur. Nam & civili jure ſancitum eſt, ut induciæ debitoribus indulgeantur, qui ſolvendo ſtatim non ſunt abſque ſua culpa, aut qui ad egeſtatem redigerentur, ſi creditores immiſericordes ipſos nimium urgerent. Hinc regula juris 173. in Digeſtis: „„ In condemnatione (*inquit*) perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant „„.

Præterea, *Impoſſibilium nulla eſt obligatio.* Impoſſibile porro cenſetur, moraliter loquendo, homini, ut ſtatim reſtituat, ſi reſtituere non poſſit abſque gravi detrimento rerum ſuarum juſte partarum, aut abſque ruina ſui ſtatus juſte acquiſiti; verbi gratia, ſi

is,

is, qui debet centum aureos, ſtatim eos ſolvere non poſſit, niſi domum ſuam, vel prædium multo minoris vendat, quam valet; ſi vir nobilis reſtituere ſtatim non poſſit, niſi ad ſtatum plebejum, & mechanicum redigatur. Statum tamen ſuum imminuere tenetur, quantum ſalva externa honeſtate, & decentia, famaque ſua poteſt, & expenſas domus ſuæ, ac familiæ moderari, ut ſolvat debita, & res alienas quam primum reſtituat. Si vero ſimile detrimentum immineat creditori ex mora ſolutionis, vel reſtitutionis, debitor ſtatim reſtituere tenetur, etiam cum gravi damno rerum, vel ſtatus ſui; quia extra caſum neceſſitatis extremæ, aut velut extremæ, in pari cauſa damni potior eſſe debet conditio creditoris. Verum grave damnum, quod a reſtitutione ſtatim facienda excuſet, nequaquam cenſendum eſt, cum magna pecuniæ ſumma, ſeu res quævis aliena magnæ quantitatis, & valoris reſtituenda eſt, adeoque magna imminutio facienda rei familiaris, cui immixta erat, & (ut ita loquar) incorporata; aut cum grande lucrum ſubita reſtitutio interceptura eſt; id enim non eſt amittere ſuum, ſed alienum relinquere, ſeu alieno non uti, ſecundum Regulam juris 83. in Digeſtis: *Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.*

Hinc ſequitur, illum cujus bona injuſte parta ſunt, vel ſtatus injuſtus acquiſitus, a reſtitutione ſtatim facienda non excuſari, etiamſi ſtatim reſtituere non poſſit abſque gravi rerum ſuarum detrimento, aut ſtatus everſione; nec etiam excuſari illum, qui ludis, compotationibus, meretriciis amoribus, aliiſve ſumptibus iniquis, ac ſuperfluis, bona ſua decoquendo, ad eas anguſtias redactus eſt, ut abſque gravi ſuo damno reſtituere ſtatim non poſſit. Hic (inquam) reſtituere nihilominus tenetur, ſi abſolute poteſt, niſi a creditoribus ſuis inducias obtineat, quas non meretur.

Hanc Regulam *S. Antoninus* confirmat, P. 2. tit. 2. cap. 8. „ Quidam (*inquit*) circa materiam iſtam

dicunt, & meo judicio ſatis rationabiliter, quod in certis caſibus non tenetur quis ad ſtatim reſtituendum actualiter, etiamſi habeat modum aliquem ad reſtituendum, & ab eo, cui tenetur, invenire non poſſit, nec remiſſionem, nec dilationem, ſed ſubitam velit ſibi fieri reſtitutionem; quando videlicet ſtatim inde ſequeretur, vel probabile damnum ſpirituale, vel temporale damnum notabile ipſius reſtituentis, vel aliorum, quod præponderaret damno ejus, qui debet habere ex carentia illius rei. Poteſt autem tale damnum eſſe triplex, ſcilicet periculum mortis, infamia gravis, ſeu ſcandalum notabile, vel damnum, & periculum probabile mortalis culpæ. Ratio hujus eſt, ſcilicet, quod talis reſtitutio poſſit differri, quia creditor magis debet velle in hujuſmodi caſibus, ut maximum incommodum, ſeu damnum ejus, qui habet reſtituere, evitetur modica reſtitutionis dilatione, quam ſuum incommodum modicum, vel damnum ex carentia ad tempus ſuæ rei... Eſt ergo unus caſus, cum imminet ex hujuſmodi reſtitutione ſubita periculum damni incomparabiliter prævalentis damno, quod inde habet creditor ex carentia rei ſuæ; puta, cum ipſe creditor habendo illam rem, ſeu pecuniam, quam quis de ſuo retinet, magis poſſet repugnare, & prævalere contra bonum commune. Nam tunc non tenetur reſtituere illi, ſed fideliter reſervare, ut reſtituat ſibi, vel heredibus ſuis, quando hoc fieri poterit ſine præjudicio boni communis. Idem videtur dicendum, cum quis male uteretur re ſua, puta, gladio ad occidendum ſe, vel alium. Idem videtur dicendum, cum ex ſubita reſtitutione ille, qui reſtitueret rem ablatam per furtum, vel aliud vitium, detegeretur, & infamaretur; cum fama ſit quid nobilius, quam ſubſtantia temporalis. Cum ergo quilibet debeat providere conſervationi famæ ſuæ, poteſt talis differre reſtitutionem uſque ad tempus, quo non deprehendatur in crimine, & diffametur, ſi aliter provideri non poteſt. Idem dicendum, quando mulier habuit filium per adulterium, neſciente viro,

vel

vel ſuppoſuit ſibi alienum partum, qui nutritur de bonis viri, vel heres etiam admittitur, ut filius proprius; cum teneatur mater talis de omnibus, quæ percipit filius ille putatitii patris, non tamen debet revelare factum, quando ex hoc ſequeretur, ſeu ſequi probabiliter poſſet mors ſua, vel prolis talis, vel etiam notabilis infamia, vel alia gravia ſcandala, ſecundum Raymundum, & Joannem de Napoli in Quodlibetis „„.

„„ Alius caſus eſt, quando ex hujuſmodi reſtitutione ſubita ſequi poſſet mors ſpiritualis, ſeu peccatum mortale probabiliter in reſtituente, vel familia ejus; puta reſtituendo, quæ habet aliena, ad tantam venit paupertatem, vel miſeriam, quod non poteſt vivere, vel providere filiis de victu, & veſtitu; & cum ſint nobilis conditionis, mendicare nimis erubeſcunt; ab amicis ſuis ad ſufficientiam non inveniunt; laborare neſciunt, vel non poſſunt, quia parvuli, vel infirmi; & ſic reſtituendo exponitur periculo ipſe cum familia ſua furandi, vel proſtituendi filias, vel deſperationis; ubi retinendo alienum, cum ipſe ex induſtria ſua providet, & parcit ſibi, & familiæ, & diſponitur ad ſatisfaciendum paulatim. Idem videtur dicendum, cum quis habet inſtrumenta artis ſuæ, unde ex labore ſuo gubernat ſe, & ſuos, & vendendo, vel tradendo ea, ut reſtituat ſuis creditoribus, non poterit laborare, & inde lucrari. Laborando autem cum prædictis ultra ſuſtentationem ſuam, poterit paulatim ſatisfacere. Nec credo eſſe contra hoc, quod dicit B. Thomas, quod ſtatim reſtituendum eſt alienum ſimpliciter. Non enim ita amare verba accipienda ſunt, ut dicit lex, ſed civiliter, & in ſacra Scriptura dicitur ſtatim fieri, quod fit prolixo tempore, ut patet Malachiæ 3. *Statim venit ad Templum ſanctum ſuum*, &c. & præcipue cum ex cauſa ita urgenti differunt. Poteſt etiam multipliciter accipi in jure, & non ſolum pro potentia facti, ſed & juris, & commoditatis. Hæc non ſunt prædicanda, ne pateretur via detentioni alienorum, ad quod nimis pro-

ſonæ ſunt inclinatæ; ſed cum magna diſcretione in confeſſione, & conſiliis tractanda, & cum multis circumſtantiis conſideranda, quæ honeſtent factum „„.

Quærit ſubinde *S. Antoninus*, Utrum illi, qui ſtatim reſtituere poteſt male ablata, ſufficiat ad ſalutem relinquere teſtamento, quod heredes reſtituant? Reſpondet cum *Joanne de Napoli*: Id non ſufficere, niſi in duobus duntaxat caſibus: Primus eſt, quando habens male ablata credit vere, & pro certo, quod talis retentio non ſit contra voluntatem domini. Talis ſiquidem retentio non eſt injuriosa, ſeu injuſta. Nullus enim patitur injuſtitiam volens. Secundus caſus eſt, quando talis retentio rei alienæ eſt contra voluntatem domini, ſed inordinatam, puta, cum non redditur gladius furioſo, hoc enim juſte fit. „„ Et ſimiliter hoc eſt, quando aliquis vult rem ſuam ſtatim habere, quam retinens non poteſt dare ſine notabili damno ſuo, & e contra ille, cujus eſt, poteſt ſine damno ſuo, & incommodo carere ad tempus. Extra iſtos caſus non ſufficit ad ſalutem, niſi ſtatim reſtituat. Ratio eſt, quia de neceſſitate ſalutis eſt vitare peccatum mortale; ſed non ſolum auferre alienum, ſed etiam retinere extra prædictos caſus, eſt peccatum mortale, & contra juſtitiam, cum faciat injuriam proximo; & hoc cum poteſt reſtituere; unde non ſufficit ad ſalutem tali relinquere per teſtamentum, quod heredes reſtituant; ſed de neceſſitate ſalutis eſt ſtatim reſtituere, ſi poteſt. Sed ſi ille, cujus eſt res, non poteſt illa carere ſine incommodo ſuo, etiam ad tempus, tunc oportet, quod reſtituat etiam cum magno incommodo ſuo, nec ſufficeret dimittere per teſtamentum. Tertius caſus excuſans a reſtitutione ſubita eſt, cum ex hoc immineret periculum mortis corporalis „„.

Et poſt multa, colligit illos, quibus reſtitutionis onus incumbit: „„ Etſi retineant ſibi quodammodo neceſſaria pro ſuſtentatione ſui, & familiæ, ad vitandum multa pericula animæ, & corporis, quæ veriſimiliter ſequi poſſent bonis ſuis cedendo, & omni-

nibus ſe ſpoliando pro reſtitutione facienda (quod forte tutius eſſet, ſcilicet reſtituere, & in Deo confidere, etiamſi oporteret mendicare ſecundum Raymundum) ad hoc tamen non teneri de neceſſitate ſalutis „„. Non teneri, inquam, ad ceſſionem omnium bonorum, & ad ſpoliandum ſe omnibus, retenta ſibi duntaxat veſte, & baculo. „„ Tamen (*inquit S. Antoninus*) non debent tales ita laute vivere, & pompoſe veſtiri cum familiis ſuis, & filias ſuas cum magnis dotibus nuptui tradere, ſicut ſi non eſſent obligati ad reſtitutionem, ſed parce vivere, & parvas dotes tradere; & ſi non poſſunt nobili, vel mercatori nuptui dare, artifici, & plebejo debent tradere; & alia luperflua reſecare. Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum eſt; cum efficaciter videntur facere, quod poſſunt, ad reſtituendum, & in aliis ſe bene habere, & cum timore Dei, credo poſſunt abſolvi, & communicari. Qui autem & de eo, quod poſſunt, ſemper procraſtinant, & annuatim reperiuntur promittere confeſſori reſtituere, & poſtea non faciunt, non videntur abſolvendi, niſi prius faciant, vel diſponant efficaciter negotium, ut habeat executionem „„.

REGULA XLI.

In reſtitutione facienda neceſſario ſervandus eſt ordo legibus civilibus, & jure etiam municipali præſcriptus; cujus quidem ordinis violatio grave peccatum eſt injuſtitiæ, debitoreſque obligat ad reſarciendum damnum creditoribus hinc emergens.

Certa prius reſtituenda ſunt, quam incerta.

I. Et quidem certa prius reſtituenda ſunt, quam incerta, quorum creditores ignorantur, ut docet *S. Antoninus* P. 2. tit. 2. cap. 7. Cum ſcitur (*inquit*) bona illius, qui reſtitutioni eſt obnoxius, non ſufficere ad certorum, incertorumque reſtitutionem, vel dubitatur, an ſufficiant ad utrumque: *Tunc reſtituenda ſunt plane prius, & integraliter certa.* Rationem ordinis iſtius affert S. Archipræſul: „„ Non enim ſuc-

ſuccedit in pauperibus ipſe Chriſtus, niſi quando non reperiuntur perſonæ certæ, quibus reſtitui debent certa, ut quaſi per ſubſtitutionem ſuccedere videatur; ac ſi diceret teſtator, dimitto meos heredes tales, & tales, quibus debeo, vel etiamſi non debeo; ſed ſi eos non reperiri contingat, ſubſtituo mihi Chriſtum cum pauperibus. *Accedit, quod* Pauperibus non tenentur heredes dare pro reſtitutione incertorum, niſi unica ratione, ſcilicet in foro Dei; ſed creditoribus certis tenentur duplici ratione, ſcilicet in foro Dei, & in foro mundi; quia heredes poſſunt a creditoribus in judicio conveniri „ „.

Ordo in reſtitutione certorum debitorum ſervanda.

II. In reſtitutione vero certorum prius reſtituenda ſunt, quæ per violentiam ablata ſunt, furto ſcilicet, ac rapina, quam uſuræ, & alia debita; quia furto, & rapina gravior injuria illata eſt, cum illam paſſus ſit proximus repugnante omnino voluntate: uſuram vero ſolvit volens, voluntate ſaltem conditionata, & *propterea minorem injuriam* ſapit in proximum. Alia vero debita mutua voluntate contrahuntur, nempe quod ratione emptionis, aut mutui liciti, locationis, & conductionis, aut ſimilibus nominibus debetur. „ „ Et ideo rapina, & furtum prius reſtitui debent, quam ipſa uſura, & alia debita licito modo contracta; eadem ratione prius rapina, quia gravior in ea violentia, & injuria, quam in furto „ „. Cum tamen debitoris bona ſunt legitime parta, & debitis honeſte, juſteque contractis obnoxia, prius debita illa ſolvenda ſunt, quam quæ ratione delicti debentur, ſi reſtitui utrumque non poſſit. „ „ Sicut enim injuſte acciperetur ab aliquo divite, ut daretur eleemoſyna pauperi, ut dicitur 14. quæſt. 5. Can. *Forte*: ita & injuſtum videtur de eo, quod juſte debetur alteri, puta honeſti mutui, vel emptionis, vel alicujus liciti contractus, reſtituere alienum; & non ſunt facienda mala, ut eveniant bona „ „. Sic etiam, quamvis uſuræ prius reſtituendæ videantur, quam ſolvenda debita honeſte contracta, ſi ad utrumque bona debitoris ſufficiant, prius tamen ſolvenda ſunt illa,

quam

quam uſuræ, ſi non ſufficiunt facultates debitoris: „„ Quia indecens videtur uſuram reſtitui de re juſte alteri obligata. Nam per hoc non tollitur injuria facta proximo, & Deo, ſed additur nova, quia alienum aufertur; nec enim tenetur Deo, & proximo ratione uſuræ perpetratæ, vel alterius male ablati, niſi in quantum poteſt de jure; nemo enim ad impoſſibile obligatur. Si igitur non poteſt reſtituere uſuram, niſi ſubtrahendo jus alterius, pro tunc excuſatur a reſtitutione. *Itaque* Uſurarius reſtituat uſuram, cum poterit de ſuo, *& non de alieno; quia* non debet aliquis locupletari cum alterius injuria, vel jactura „„; ut habet regula juris in ſexto. Si tamen jus commune, & municipale aliter decernant, omnia *ſervanda ſunt. Nam jure humano poſſeſſiones, & alia ut propria poſſidentur*, inquit S. Antoninus.

III. Prius reſtitui debent quæcunque certa debita, quam quæcunque ad pias cauſas relicta, atque donata. Ratio eſt: „„ Quia donatio ad pias cauſas, & largitio ſunt ex ſupererogationis conſilio, vel ſunt forte bona incerta; reſtitutio autem male ablatorum, ſeu aliorum debitorum certorum eſt ex obligatione, & præcepto „„ (*inquit idem S. Archipræſul.*)

Prius reſtitui debent certa debita, quam quæcunque ad pias cauſas relicta.

IV. Debita oneroſa, ut ex emptione, locatione, permutatione, debitis gratuitis, ut ex gratuita promiſſione, præferenda ſunt, priuſque ſolvenda.

Debita oneroſa præferenda gratuitis.

V. Prius ſolvenda ſunt debita realia, pro quibus res debitoris pignori, & hypothecæ obligata eſt, debitis perſonalibus, ſive chirographariis, pro quibus nullum pignus datum, vel hypotheca conſtituta. L. *Eos*, *Cod.* tit. *Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur*, cujus hæc ſunt verba: „ Eos qui accepe„runt pignora, cum in rem actionem habeant, pri„vilegiis omnibus, quæ perſonalibus actionibus com„petunt, præferri conſtat „„. Ubi vero una, eademque res pluribus eſt oppignorata, præferendi ſunt creditores anteriores in hypotheca non privilegiata, ſecundum Regulam juris 54. in ſexto: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Ex L. *Si fundum* Cod. Te

Debita realia præferenda perſonalibus, ſive chirographariis.

Qui

Qui potiores in pignore habeantur, dicitur: *Si fundum pignori accepiſti, antequam reipublicæ obligaretur, ſicut prior es tempore, ita potior es jure.* In hypotheca vero, quibus privilegium a jure conceſſum eſt, hæc Regula ſuas exceptiones habet.

Ordo, & privilegia hypothecarum.

VI. Prima vero eſt inter hujuſmodi hypothecas illa, quam jus concedit ei, qui tuam credidit pecuniam ad ædificandam, vel reparandam domum, vel navim alterius, aut aliquid ſimile. Hic enim creditor ſingularem habet, potioremque a jure indultam hypothecam, qua res illa, ita ipſi obligatur, ut cæteris creditoribus etiam hypothecariis præferatur, ſive generalem, ſive etiam ſingularem habeant in re illa hypothecam. Ratio eſt, quia ſine tali mutuo res non extitiſſet, vel certe periiſſet; atque ita prior creditor, vel nihil vel parum commodi ex ea re habuiſſet. Id confirmant L. *Interdum*, & L. *Hujus* Dig. tit. *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur*, quare hæc ſunt verba: „ „ Interdum poſterior potior eſt priori; ut puta ſi in rem iſtam conſervandam impenſum eſt, quod ſequens credidit; veluti ſi navis fuit obligata, & ad armandam eam, vel reficiendam ego credidero: Hujus enim pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam; quod poterit quis admittere, & ſi in cibaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus navis ſalva pervenire non poterat. *Pari ratione* Si quis in merces ſibi obligatas crediderit, vel ut ſalvæ fiant; vel ut naulum exſolvatur; potentior erit, licet poſterior ſit; nam & ipſum naulum potentius eſt. Tantundem dicitur, & ſi merces horreorum, vel areæ, vel vecturæ jumentorum debetur; nam & hic potentior erit. *Et L.* Qui in navem, *tit.* De rebus auctoritate judicis poſſidendis, *in Digeſtis*: Qui in navem extruendam, vel inſtruendam credidit, vel etiam emendam, privilegium habet „ „

VII. Secundo loco privilegium habet hypotheca ejus, qui pecuniam mutuo dedit, ut alter rem aliquam emeret; æquum enim eſt, ut in eam rem hypothecæ jus habeat ſupra anteriores creditores hypothe-

thecarios; quia abſque tali mutuo rem illam debitor non haberet. L. *Licet*, Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*, cujus hæc ſunt verba : „„ Licet iiſdem pignoribus multis creditoribus diverſis temporibus datis priores habeantur potiores; tamen eum, cujus pecunia prædium comparatum probatur, quod ei pignori eſſe ſpecialiter obligatum ſtatim convenit, omnibus anteferri juris auctoritate declaratur „„.

VIII. Tertio loco, illi, qui pro mercium vectura domino earum mutuum dedit, & ei, qui domum locavit, in quam merces, aut ſupellex a conductore comportatæ ſunt, in illis mercibus, & ſupellectili a jure tribuitur hypotheca, cujus ratione creditoribus reliquis generalem, vel ſpecialem hypothecam habentibus antefertur. L. *Hujus*, D. tit. *Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur*, §. *Si quis*.

IX. Quartum locum obtinet hypotheca pro dote, qua bona omnia viri ſic tacite afficiuntur, & obligantur, ut in dotis reſtitutione uxor, ejuſque heredes, reliquis creditoribus generalem hypothecam anteriorem habentibus præferantur, L. *Aſſiduis*, *Cod.* Qui potiores in pignore habeantur : „„ Sancimus ex ſtipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote inſtituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus ineſſe hypothecam, potiora jura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris ſint temporis privilegio vallati „„. Creditoribus tamen anteriorem hypothecam expreſſam habentibus non præfertur poſterior hypoheca dotalis. Iniquum enim eſſet, ſi omnes anteriores creditores per nuptias debitoris ſupervenientes exciderent jure ſuo, quod expreſſe pacti fuerant. Verum ſi dubitetur, an cæteræ hypothecæ priores ſint dotali, reſtitutio dotis prius facienda eſt, quam reliquis creditoribus, quam expreſſam hypothecam habentibus ſatisfiat, ſecundum Regulam juris 80. in Digeſtis : *In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt*.

X. Quintum locum obtinet hypotheca conſtituta in favorem fiſci, cujus debitor omnia bona ſua fiſco ob-

obligata habet. L. ſecunda, *Cod.* tit. *De Privilegio fiſci.*

Debita privilegiata.

XI. Penſio alimentaria pupillorum, aut adultorum etiam filiorum honeſtæ conditionis, ſed corpore, vel mente impotentium, ex bonis paternis, aut etiam maternis ſolvenda; præferenda eſt aliis creditoribus quibuſcunque præcedentibus; quia nimirum *Alimenta neceſſaria dilationem non juſtinent.* Idem eſto judicium de medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum expenſis in ultima ægritudine factis. L. *In reſtituenda*, C. tit. *De petitione hereditatis*, cujus hæc ſunt verba: „ In reſtituenda hereditate compenſatio ejus habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inque ſumptum funeris bona fide ex proprio tuo patrimonio erogaſſe probaveris „. Ad quam legem *Baldus* Jurilconſultus ait: „ Impenſa facta in infirmum præfertur cuique creditorum, poſt tamen funeris impenſam „, de qua variæ leges extant tit. Digeſtorum *De Religioſis, & ſumptibus funerum.*

XII. In debitis realibus, ſive hypothecariis creditor anterior aliis ejuſdem ordinis creditoribus poſterioribus ita præterendus eſt, ut ei debitum in ſolidum ſolvendum ſit, quamvis bona non ſuppeterent, quæ reliquis creditoribus hypothecariis ſolvendis ſatis eſſent. Illi enim, quorum poſterior eſt hypotheca, bonorum defectu ſæpe coguntur propriis juribus in totum excidere, ne creditores, quorum anterior eſt hypotheca, ex parte fraudentur. Quamobrem paupertas poſterioris creditoris non eſt legitimus titulus, cur priorem hypothecam habenti præteratur, niſi neceſſitas illius extrema ſit, vel gravis; quo caſu præferendus eſt ea duntaxat ratione, ut ejus neceſſitas ſublevetur. Ordo igitur juſtitiæ in reſtitutione ſervandus eſt, quæ nec perſonam pauperis, nec vultum divitis reſpicit; in beneficentia vero ſervandus eſt ordo charitatis, ut ei prius ſubveniatur, cæteris paribus, qui magis indiget. Non licet igitur debitori, qui omnibus ſolvendo non eſt, ſponte ſua gratificari alicui creditori in præjudicium anteriorum, aut haben-

bentium potiorem hypothecam. Alioquí, niſi ipſum juris, & facti ignorantia excuſet, tenebitur de damno, & expenſis creditoris potius jus habentis, ut colligitur ex L. *Scimus*, Cod. tit. *De jure deliberandi, &c.*

XIII. Quod ſpectat perſonalia debita, nullus in eorum ſolutione ex neceſſitate juſtitiæ ſervandus eſt ordo; nullum alteri præferri, ſi jura eorum, & nomina æqualia ſint, juſtitia, & leges jubent; neque ulla in partitione bonorum debitoris ſervanda eſt inter eos inæqualitas, ſi ad ſingulorum ſolutionem non ſufficiant, ubi creditoribus hypothecariis fuerit ſatisfactum. Quod enim reliquum erit facultatum debitoris, inter chirographarios creditores, & illos etiam, quorum jura, & nomina certa erunt, ſive debitoris ipſius, ſive teſtium fidè dignorum aſſertione; dividetur ſine ullo diſcrimine anteriorum, aut poſteriorum obligationum; ita ut ſinguli pro rata, & partem lucri ſortiantur, & partem jacturæ ſubeant. Verbi gratia, ſi poſtquam ſatisfactum eſt hypothecariis creditoribus, ſuperſint ex bonorum diſcuſſione mille aurei, reſtentque decem chirographarii creditores, quibus ſingulis ducenti aurei debeantur, ſingulis aſſignabitur portio centum aureorum. Si autem eorum nomina, & jura inæqualia ſint, ſervabitur in diviſione pro rata proportio inæqualitatis. Obſervandum tamen creditorem perſonalem ſua in petendo diligentia jus conſequi prælationis in debiti ſolutione, præ aliis creditoribus ejuſdem ordinis, etiam tempore prioribus, ut jure civili ſancitum eſt, L. *Pupillus*, 24. tit. *Quæ in fraudem creditorum facta ſunt*, libro 43. Digeſtorum, & L. *Si non expedierit*, tit. *De bonis auctoritate judicis poſſidendis*, lib. 42. Ipſe vero debitor ad hujuſmodi creditorum uno, aliis ſilentibus, ſive in judicio, ſive extra judicium interpellatus, illi tuta conſcientia ſatisfacere poteſt, quamvis cæteris poſteriori. Ordo ſervandus in debitis perſonalibus.

XIV. Regulam, in cujus explicatione verſamur, confirmat *S. Antoninus*, P. 2. tit 2. cap. 7. „ „ Cæteris paribus (*inquit*) ſervanda eſt regula: *Qui prior*

eſt tempore, potior eſt jure. Ubi autem ſunt privilegia paria, ſcilicet perſonarum, & actionum, in ſimul æqualiter ſatisfaciendum eſt, niſi de aliquo illorum probetur, quod alteri præferendus ſit, ſecundum legem pacti, vel ſcripti, ſeu uſus approbati. Cum ergo mercator, vel alius frangit, vel (ut vulgo dicitur) fallit, non ſufficiens ſatisfacere creditoribus ex integro, venientibus cunctis, ut ſibi ſatisfiat, hic ordo ſervatur: Primo debet ſatisfieri dominis rerum, verbi gratia deponentibus, ſi depoſita erant ſibi facta. Secundo, ſatisfit mercium venditori, ſi extant merces; hoc eſt, ipſæ merces reſtituuntur, tanquam ſingulariter pro pretio obligatæ. Si autem plus valerent, illud plus redditur ad commodum creditorum. Si autem ipſæ merces non extant, ſed venditæ ſunt, & loco earum aliæ ſubrogatæ, tales ſubrogatæ non reddunter loco earum, quia non ſunt pro pretio obligatæ. Tertio, cæteris paribus præfertur uxor, quia hypothecam cenſetur habere; & ideo prætertur nedum prætendentibus perſonalem obligationem, ſed etiam prætendentibus tacitam hypothecam; non tamen præfertur creditoribus habentibus anteriores hypothecas, & expreſſas. Fiſcus quoque ſimile habet privilegium cum muliere. Quarto, poſt hypothecas veniunt deponentes, ſi non extat depoſitum. Tali privilegio non gaudent, qui mutuant ad uſuras. Hypotheca autem potior eſt; quia pertinet ad rem ipſam. Quinto, veniunt ſimplices privilegiati, id eſt, habentes privilegia perſonalia, non realia. Sexto, & ultimo veniunt chirographarii pro rata non attenta prioritate contractuum; quia licitum eſt debitori pro cumulo creditorum facere deteriorem cauſam creditorum priorum, non dominium, nec hypothecam, nec privilegium habentium. Et iſta ratio, quare in chirographariis creditoribus non attenditur tempus „„ Hæc *S. Antoninus* ex *Baldo* Juriſconſulto ad legem Cod. *Pro debito*, tit. *De bonis auctoritate judicis poſſidendis*; ubi has regulas de reſtitutionis, & ſolutionis debitorum ordine legibus confirmat. Addit ſanctus

Ar-

Archipræſul: „„ Verum ubi lex municipalis, ſeu ſtatutum civitatis aliter diſponeret, illi eſt ſtandum, etiam in foro conſcientiæ, ſi non ſit expreſſe contra Deum. Unde in aliquibus civitatibus ut Florentiæ, fallente mercatore, per Syndicos inſtitutos a communitate, ubi non ſufficiunt bona mercatoris fallentis ad plene reſtituendum omnibus, ſatisfit unicuique pro rata, ſecundum facultatem bonorum illius, & non prius uni quam alteri, niſi aliquibus perſonis privilegiatis in hoc, ut mulieribus pro dotibus „„.

CAPUT V.

De octavo Decalogi præcepto.

Cum juſtitia poſtulet non ſolum, ut nulla fiat injuria proximo, verum etiam, ut pro illata injuria ſatisfiat, ad eam ſatisfactionem imperandam, & exigendam tribunalia erecta ſunt, judiceſque conſtituti. Verum cum malitia hominum publica etiam judicia perverti contingat, octavo Decalogi præcepto ſanxit Deus optimus maximus, ne quis publici judicii perverſioni cooperaretur. Quamvis enim quilibet homo judex eſſe non poſſit, ideoque omnibus non dicatur, ne injuſte judices (quod publica quidem judicia ſpectat) poteſt tamen quilibet perverſioni judicii cooperari, falſum teſtimonium dicendo; quamobrem omnibus hoc præceptum datur: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Exod. 20.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis ſit hujus præcepti ſenſus; id eſt, quid prohibeat, vel jubeat.

Hoc præcepto duas leges contineri docet Concilii Tridentini Catechiſmus; unam prohibentem, ne falſum dicatur teſtimonium; alteram jubentem, ut ſimulatione, fallaciiſque ſublatis, dicta, & facta noſtra ſimplici veritate metiamur. Cujus officii

De falſo teſtimonio, & mendacio.

Apoſtolus Epheſios admonuit cap. 4. Epiſtolæ ad illos datæ: *Veritatem* (inquit) *facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia... Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo; quoniam ſumus invicem membra.*

II. Quamvis porro falſi teſtimonii nomine ſignificetur, quidquid in bonam, vel in malam partem de altero conſtanter dicatur, ſive in judicio, ſive extra judicium, præcipue tamen prohibetur illud teſtimonium, quod in judicio falſo dicitur a jurato, quia periculoſius eſt. Juratos enim teſtes, niſi exceptionibus legitimis excludantur, aut eorum ſit aperta improbitas, atque perverſitas, ne judex quidem ipſe poteſt rejicere, ſiquidem *In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum.* Nomine proximi, in quem falſum teſtimonium dicere non licet, intelligitur omnis, qui eget opera noſtra, ſive ille propinquus ſit, ſive alienus, ſive civis, ſive advena, ſive amicus, ſive inimicus. Unde & in hoſtes falſum teſtimonium dicere nefas eſt, quos diligere Chriſtus Deus, & Dominus noſter jubet. Nec etiam in ſeipſum falſum teſtimonium dicere licet; quod qui committunt, ſibi ipſis notam inurunt ignominiæ, ac turpitudinis, & ſeipſos, Eccleſiamque lædunt, cujus ſunt membra.

Deut. 19. Matth. 18.

III. Ut vero teſtium vanitas, mendacia, & perjuria hoc præcepto prohibentur, ſic & accuſatorum, & reorum, & patronorum, cognitorum, & procuratorum, advocatorum, & omnium, qui judicia conſtituunt (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.)

IV. Prohibetur etiam hoc præcepto mendacium omne, etiam extra judicium, id maxime, quod alteri incommodum, aut detrimentum poſſit afferre; de quo & Levitici 19. dictum eſt: *Non facietis furtum, non mentiemini, non decipiet unuſquiſque proximum ſuum.* Et Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Apocalypſis 21. *Timidis autem, & incredulis, & homicidis, & fornicatoribus... & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

V.

V. Hoc etiam præcepto prohibetur obtrectatio, contumelia, calumnia, ſuſurratio, de quibus diximus lib. 2. cum de invidiæ, & iræ filiabus ageremus; item hypocriſis, & jactantia, de quibus etiam ſermonem fecimus agendo de filiabus inanis gloriæ; item irriſio, ac adulatio.

VI. Prohibetur denique hoc præcepto judicium temerarium, & opinio quævis, vel ſuſpicio prava de proximo ex levibus indiciis. Nam & cogitatio quædam locutio eſt, ſecundum illud Pſalmi 14. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* Octavo Decalogi præcepto prohibetur nobis loqui falſum teſtimonium adverſus proximum ore cordis pariter, ac corporis.

ARTICULUS II.

Mendacium in omni lege divina prohibitum, per ſeque illicitum, ac malum eſt.

Mendacium triplex vulgo diſtinguitur, ſcilicet *officioſum, jocoſum & pernicioſum.* Officioſum eſt, quod ſine alterius injuria fit pro ſalute, vel commodo alicujus. Jocoſum, quod ſola placendi, ſeu delectandi voluntate. Pernicioſum, quod grave detrimentum infert proximo, cujuſmodi ſunt mendacia calumniatorum, & obtrectatorum, & quæ in contractibus, pactis, forenſi judicio, doctrina, ea maxime, quæ ad religionem pertinet, committuntur. De triplici iſto mendacii genere *S. Auguſt.* in Pſal. 5. legendus. „ Ideo (*inquit*) perdes omnes, qui loquuntur mendacium, quia recedentes ab eo, quod eſt, ad id, quod non eſt, declinantur. *Et infra:* Duo ſunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa, cum aut jocamur, aut ut proſimus, mentimur. Illud primum in jocando ideo non eſt perniciouſſimum, quia non fallit. Novit enim ille, cui dicitur, joci cauſa eſſe dictum. Secundum autem ideo mitius eſt, quia retinet nonnullam benevolentiam „. Tale fuit obſtetricum Ægyptiarum mendacium, quæ Pha-

Mendacia officioſa, & joçoſa, peccata ſunt, tametſi venialia.

ranoni falſum renuntiaverunt, ut infantes filiorum Iſrael ab internecione ſervarent. „ „ Sed iſta non re, ſed indole laudantur (*inquit S. Auguſt.*) quoniam qui tantum hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Nam iis, qui perfecti ſunt, nec iſta mendacia inveniuntur. Quibus dictum eſt: *Sit in ore veſtro, eſt, eſt; Non, non; quod amplius eſt, a malo eſt* „ „.

Exod. 1. 19. Matth. 5

Vel ex hac una Chriſti Domini noſtri ſententia compertum eſt, omne mendacii genus illicitum eſſe; idemque ex illo Eccleſ. 7. conſtat: *Noli velle mentiri omne mendacium.*

Idem confirmat *S. Auguſt.* libris duobus, *De Mendacio*, & *contra Mendacium*, & *Enchiridii* cap. 22. ubi hæc habet: „ „ Omne mendacium, ideo dicendum eſt eſſe peccatum, quia homo non ſolum quando ſcit ipſe, quod verum ſit, ſed etiam ſi quando errat, & fallitur ſicut homo, hoc debet loqui, quod animo gerit, ſive illud verum ſit, ſive putetur, & non ſit. Omnis autem, qui mentitur, contra id, quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ ſe homines invicem fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt. Nec ideo ullum mendacium putandum eſt non eſſe peccatum, quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo; poſſumus enim, & furando, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum; nec ideo tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum. Poſſumus & adulterando, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura, & ſi vixerit, pœnitendo purganda; nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito nobis placet caſtitas, quid oſtendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur iſta mentiendo? Plurimum quidem ad bonum profeciſſe homines, qui nonniſi pro ſalute hominis mentiuntur,

tur, non eſt negandum; ſed in eorum tali profectu merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoſcatur ſat eſt, non ut etiam prædicetur, maxime in heredibus Teſtamenti novi, quibus dicitur: *Sit in ore veſtro, Eſt eſt; Non, non; Quod enim amplius eſt, a malo eſt.* Propter quod malum, quia ſubrepere in hac mortalitate non deſinit, etiam ipſi coheredes Chriſti dicunt; *Dimitte nobis debita noſtra* „„. Ex hoc *S. Auguſt.* loco patet, mendacium quodvis etiam officioſum, per ſe, & natura ſua eſſe peccatum, ſicut furtum, & adulterium; ita ut mentiri non liceat pro ſalute alterius, ſicut pro alterius ſalute furari, vel adulterium committere non licet. Secundo, ſi qui laudati, vel temporaliter remunerati leguntur in Scripturis, a quibus mendacium officioſum prolatum eſſe conſtet, in iis laudari *Benignitatem mentis*, non *iniquitatem mentientis*; remunerari *Benevolentiam*, non *fallaciam*; quæ propter bonitatem indolis excuſatur, non prædicatur, vel approbatur. Sic Ægyptiis obſtetricibus ob affectum benevolentiæ in Judæos, Deique reverentiam, ac timorem, Deus benefecit, ac domos ædificavit (*Exod.* 1. 20.) Duo ergo in cauſa obſtetricum ſunt conſideranda: *Factum miſericorditer, & factum fallaciter*; primum, quod bonum erat, remuneravit Deus; & propter hoc bonum, alterum, quod malum erat, ignovit. Idem de *Rahab* meretrice dicendum, quæ mentiri maluit, quam Iſraelitas exploratores prodere (*Joſue* 6.) Ita *S. Auguſt.* reſpondet libro *Contra Mendacium*, cap. 15. Idem de *Judith*, quæ Holoferni mentita eſt (*Judith* 15.) non enim propter mendacium laudatur, ſed propter affectum ad ſalutem populi Dei, pro qua periculis ſe expoſuit. Tertio, conſtat, mendacium quidem pernicioſum eſſe peccatum mortale, ſecundum illud Pſalmi 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & illud Sapientiæ 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sed mendacium officioſum eſſe duntaxat peccatum veniale, & ſimiliter mendacium jocoſum; nullum au-

tem omnino mendacium non esse peccatum. „ „ Multum *quidem* fatendum est, propinquare justitiæ, & quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe, atque indole animum esse laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, qua vult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cum quærimus, sit ne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Jerichum, vel ad Babyloniam pertinentem, vel adhuc ad ipsam Jerusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis, quæ sursum est libera mater nostra æterna in cœlis. Et respondetur quærentibus nobis: *Omne mendacium non est ex veritate*: Filii autem illius civitatis, filii sunt veritatis. Ejus civitatis filii sunt, de quibus scriptum est: *In ore eorum non est inventum mendacium*... Hi filii supernæ Jerusalem, & sanctæ civitatis æternæ, si quando ut hominibus obrepit qualecunque mendacium, poscunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam „ „ (*inquit S. Augst.* libro *Contra Mendacium*, cap. 16.)

1. Joan. 2.

Apoc. 14.

Errarunt, qui mendacii patrocinium ex Scripturis sanctis susceperunt. Genes. 20. & 26. Genes. 27. 42. & 44.

Fœde porro errarunt, qui mendacii patrocinium ex Scripturis sacris suscipere non dubitarunt, *Abrahæ*, & *Isaac* Patriarchas esse mentitos contendentes, cum ille Saram, iste Rebeccam uxorem suam, sororem suam esse dixit; *Jacob*, cum Isaac Patri ait: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; Joseph cum dixit fratribus: *Exploratores estis*; & scyphum sibi ablatum esse ait, in quo augurari solitus esset. Proferuntur & alia ex Scripturis sacris testimonia, quibus probari videatur, mendacium omne non esse peccatum. Quæ quoniam singilatim examinare prolixioris esset operæ, cum S. Aug. respondere sufficiat: Nonnulla, quæ putantur in Scripturis sacris esse mendacia, non esse, quod putantur, si recte intelligantur; deinde, si qua ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse; quia referuntur duntaxat historice, non laudantur, non approbantur, uti nec alia, quæ in iisdem scripturis narrantur peccata. Abrahami responsio, dicentis, Saram esse sororem suam,

men-

mendacium non eſt. Tacuit quidem, quod uxor eſſet; vere dixit, quod ſoror eſſet, ut & vitæ ſuæ, & illius pudicitiæ conſuleret. Erat enim illius neptis ex fratre Aram. Quis autem neſcit, fratres, ſive ſorores generali nomine conſanguineos appellari ſolere in Scripturis ſacris? Eo etiam ſenſu Iſaac Rebeccam conſanguineam ſuam ſororem vocavit.

De facto, dictoque Jacob, variæ ſententiæ ſunt Patrum, & Theologorum catholicorum. Quidam textui Scripturæ ſacræ magis inhærentes, mentitum fuiſſe Jacob aſſerunt; alii ipſum a mendacio excuſant, præſertim *SS. Aug.* & *Thomas*; ſecundum quam opinionem dicendum, fraudem fuiſſe, mendaciumque ſpecietenus, revera autem myſterium. „ Nam ſi non eſt mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio ſignificantia referuntur, profecto non ſolum id, quod fecit, aut dixit Jacob patri, ut benediceretur; ſed neque illud, quod Joſeph velut illudendis locutus eſt fratribus, neque quod David ſimulavit inſaniam, nec cætera hujuſmodi mendacia judicanda ſunt; ſed locutiones, actioneſque Propheticæ, ad ea, quæ vera ſunt, intelligenda referendæ. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut ſenſum pie quærentis exerceant, & ne nuda, ac prompta vileſcant. Tamen vera non falſa dicuntur, quoniam vera non falſa ſignificantur, ſeu verbo, ſeu facto; quæ ſignificantur enim, utique ipſa dicuntur. Putantur autem mendacia, quoniam non ea, quæ vera ſignificantur, dicta intelliguntur, ſed ea, quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur (*inquit S. Auguſt. lib.* contra mendacium, c. 10.) *Subditque*: Id ut exemplo fiat planius, idipſum, quod Jacob fecit, attende. Hædinis pellibus membra contexit; ſi cauſam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit, ut putaretur eſſe, qui non erat. Si autem hoc factum ad illud, propter quod ſignificandum revera factum eſt, referatur, per hædinas pelles peccata, per eum vero, qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portavit.

Verax ergo ſignificatio nullo modo mendacium recte dici poteſt. Ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cum ei Pater dixiſſet: *Quis es tu, fili?* Ille reſpondit: *Ego ſum Eſau primogenitus tuus.* Hoc ſi referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur. Si autem ad illud, propter quod ſignificandum iſta geſta, dictaque conſcripta ſunt. Ille hic eſt intelligendus in corpore ſuo, quod eſt ejus Eccleſia, qui de hac re loquens, ait: *Cum videritis Abraham, Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno; & ecce ſunt noviſſimi, qui erant primi, & ſunt primi, qui erant noviſſimi.* Sic enim quodammodo minor majoris primatum frater abſtulit, atque in ſe tranſtulit fratris. Cum igitur tam vera, tamque ſignificentur veraciter, quid hic debet putari factum, dictumve mendaciter „ „?

Luc. 13. 28.

Itaque non eſt mentitus Jacob, cum ſe *primogenitum Eſau* aſſeruit; primogenitus enim erat, ſi jus ſpectetur; non autem ſi perſona. Sic vere Chriſtus Matth. 11. 14 de Joanne Baptiſta dixit: *Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*; quia in ſpiritu Elias erat, quamvis in perſona Elias non eſſet, ut explicat *S. Auguſt.*

Quæ vero dixit, fecitque Joſeph, ad tentandum, probandumque fratres fecit, non ad fallendum, proindeque non eſt mentitus.

Non minus errant, qui mentalium reſtrictionum artem Patriarchis, Prophetis, Angelis, ipſique Chriſto Domino tribuunt.

Raphaelem Archangelum, a Deo veritatis miſſum ad Tobiam, mentitum eſſe, aut reſtrictione mentali, vel æquivocatione uſum, cum dixit: *Ego ſum Azarias magni Ananiæ Filius* (Tob. 5. 18.) inſipiens eſt, qui dixerit. Nam Angelus Azariæ formam, & effigiem forte induerat, ejuſque perſonam repræſentabat; & hac ratione ſe Azariam figurata locutione vere dicere potuit, ſicut imaginem S. Petri ſine mendacio, aut æquivocatione S. Petrum vocamus, & ſimulacrum Regis Regem appellamus figurata locutione. Sic Angelus vere, ait Jacob Geneſi 31. 13. *Ego ſum Deus Bethel* & Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quia Dei perſonam gerebat, & ejus vice, ac mandato lo-

gens

gem dabat, ut ejus Legatus. Addiderim, hæc nomina figuratam habere ſignificationem, ſed tamen veriſſimam. *Azarias* enim ſignificat *Auxilium Dei*, & *Ananias*, ſive *Hananeel*, ſignificat *Gratiam, & donum Dei.* Figurata itaque reſponſione Tobiæ ſignificavit *S. Raphael*, ſe a Deo miſſum eſſe, ut illum adjuvaret, plurimaque Dei dona illi procuraret. Angelorum enim nominibus ſignificatur etiam in operatione, quid valeant, ut loquitur *S. Gregorius.* Hoc itaque Tobiæ loco abutuntur, qui ex eo colligunt ſanctos Angelos æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſos eſſe.

Tandem mendacii Patroni nulla de Teſtamento novo mentiendi exempla protulerunt, ſed ſolum de veteris Teſtamenti libris, in quibus non ſolum dicta, verum etiam facta multa figurata conſcripta ſunt, quia & figurate geſta ſunt. Sed „ „ cum *ea ſive dicta, ſive facta* referuntur ad eas res, propter quas ſignificandas, ita facta, vel dicta ſunt, reperiuntur ſignificationes eſſe veraces, ac per hoc nullo modo eſſe mendacia. Mendacium eſt quippe falſa ſignificatio, cum voluntate fallendi Non eſt autem falſa ſignificatio, ubi etſi aliud ex alio ſignificatur, verum eſt tamen, quod ſignificatur, ſi recte intelligatur „ „ (*inquit S. Aug. lib. contra mendacium*, cap. 12.) Subdit cap. ſequenti: Eſſe etiam quædam hujuſmodi Salvatoris in Evangelio, quia & ipſe Dominus Prophetarum Propheta eſſe dignatus eſt. Talia ſunt illa, ubi de muliere, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, ait: *Quis me tetigit?* Et de Lazaro, *Ubi poſuiſtis eum?* Sic quippe interrogavit, quaſi neſciens, quod utique ſciebat: „ Ac per hoc neſcire ſe finxit, ut aliquid aliud „ illa velut ignorantia ſua ſignificaret; quæ ſignifi„ catio, quoniam verax erat, mendacium profecto „ non erat „. Sic etiam Dominus, cum duobus diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam ambulans, cum appropinquaret caſtello Emmaus, prophetice, & figurate *Finxit ſe longius ire.* Quiſquis autem vult intelligere, quid præfiguraverit, id fingendo, attendat, quid

Luc. 8. Joan. 11.

quid agendo perfecerit, „ „ Longius namque poſtea profectus ſuper omnes cœlos, non tamen deſeruit diſcipulos ſuos. Propter hoc ſignificandum futurum divinitus factum, ad præſens illud eſt humanitus fictum. Et ideo ſignificatio verax in illa eſt ſignificatione præmiſſa, quia in hac profectione illius, eſt ſignificationis veritas ſubſecuta. Ille igitur contendat Chriſtum mentitum eſſe fingendo, qui negat eum, quod ſignificavit, impleviſſe faciendo „ „ (*inquit S. Auguſt.*) Sive, *Finxit ſe longius ire*, ad ſignificandum, quod ipſe ab eorum fide longe erat. Quamobrem diſcipuli illi apertis oculis mentis tandem cognoverunt, Chriſtum non ad fallendum, ſed ad erudiendum illos ita finxiſſe, id eſt, externam longius ire volentis ſpeciem præſetuliſſe.

Nec etiam mendacio, aut æquivocationibus, ſive reſtrictionibus mentalibus ullatenus favet, quod Chriſtus ait, Marci 13. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater*: aut quod ait, Joannis 7. *Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum.* Primo enim loco veritas præciſe, & abſque ullis ambagibus, æquivocatione, aut mentali reſtrictione enuntiatur; ſiquidem Chriſtus diem judicii neſciebat, ut homo, ſive humana ſcientia; quamvis ſcientia infuſa, ſeu divina revelatione ſciret. Neſcire ſe præterea dixit figurata locutione, quia diſcipulos neſcientes faciebat, diem illum, & horam ipſis utiliter occultando; & Patrem ſolum ſcire ait, quia Filium ſcire faceret, non autem homines, non Angelos in cœlo. Similibus enim locutionibus figuratis, ſed tamen veris humana conſuetudo abundat, cum dicimus lætum diem, qui nos lætos facit, &c. Et Scripturis etiam ſacris familiaris eſt mos iſte loquendi, ut *Geneſ.* 22. ubi Deus ait Abrahamo: *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*; id eſt, nunc palam feci, oſtendique, quanta reverentia, ac religione me colas. Et Joannis 15. Chriſtus diſcipulis ait: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et tamen omnia abſolute, & abſque

que exceptione illis non indicaverat, ſiquidem cap. 16. ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Dixerat igitur illis omnia, quæcunque audiverat a Patre, ut illis ante Paſſionem ſuam revelaret. Denique diem illum ſe neſcire, non in perſona ſua, ſed in perſona corporis ſui, id eſt, Eccleſiæ, membrorumque ſuorum, vere dicebat. Multa enim, quæ de Chriſto dicuntur, intelligi de corpore, & membris ejus, non de capite, norunt quicunque in Scripturis ſacris ſunt exercitati. Et hæc ergo figurata, non mendax, aut amphibologica locutio eſt, vel æquivocatio, aut reſtrictio mentalis. Quælibet harum explicationum Patres auctores habet.

S. Gregor. Nazianz. Orat. S. Cyrillus lib. 9. Theſauri. Epiphanius in Ancorato. Chryſoſt. & Hieron. in cap. 24. S. Matth. Ambroſ. in c. 27. Lucæ, & lib. 5. de Fide c. 8. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 12. & lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, c. 22. S Greg. lib. 4 Ep. 4. ad Eulogium.

Locus alter præciſo etiam ſenſu, quem verba præferunt verus eſt. Ego non aſcendo modo, vobiſcum, palam, ad diem feſtum; licet opportuno tempore abſque propinquorum comitatu, *non manifeſte, ſed quaſi in occulto aſcenſurus* eſſet. Unde non ait, *Non aſcendam*, ſed, *Non aſcendo.*

Ex his perſpicuum eſt, nullum ex Scripturis ſacris patrocinium mendacio quæri poſſe, cum ad juſtitiam homines erudiant; de juſto autem ſcriptum ſit Proverb. 13. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur.* Et cap. 12. *Abominatio eſt Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei;* & inter ſex, quæ odit Dominus, *linguam mendacem* Sapiens enumerat; & Spiritus veritatis, qui in Scripturis ſacris loquitur, docere non poſſit eſſe aliquando mentiendum; ſiquidem *Omne mendacium non eſt ex veritate*, ut dicitur 1. Joannis 2. Contra vero mendacii magiſter, & pater diabolus eſt, ut dicitur Joannis 8. *Vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio; & in veritate non ſtetit; quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Quæ verba *S. Auguſtinus* expendens Tract. 42. in Joannem, ait:

Diabolus mendacii pater, ac magiſter.

„„ Non omnis, qui mentitur pater mendacii ſui eſt. Si enim ab alio mendacium accepiſti, & dixiſti; tu quidem mentitus es proferendo mendacium; ſed pa-

ter

ter mendacii ipſius non es, quia ab altero accepiſti mendacium. Diabolus autem a ſeipſo mendax fuit; mendacium ſuum ipſe genuit, a nemine audivit. Quomodo Deus Pater genuit filium veritatem; ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium mendacium „ „ Hinc *Euſebius* lib. 6. *Præparationis Evangelicæ* cap. 6. Numinum, quæ gentiles colebant, falſitatem demonſtrat, ex eo, quod mentirentur, fatente *Porphyrio*; cum homines probi a mendacio ita abhorreant, ut malint mori, quam mentiri. „ „ Qui fieri poſſit (*inquit*) ut vel numen, quod natura ſua ab omni vanitate ſejunctum eſt, ſiquidem ejuſmodi numen per ſe eſt, aliquando mentitur; vel bonus Genius mendaciis in fraudem eos, a quibus conſulatur, inducat? Nam homo quidem mortalis licet, qui modo virtutis aliquid ſtudio tribuat, nulla vi ad mentiendum adduci unquam poterit, quod ſemel veritatem omni conditione potiorem habere ſtatuerit. Nec jam fati neceſſitatem, aſtrorumve motum vanitati prætexet ſuæ; at ignem licet corpori, ferrumve admoveris, ſtabit ille contra, & libera, conſtantique voce exclamabit: Occurrat ignis, gladius occurrat, ſeca, exure corpus, ſanguine ardentem ſitim reſtingue noſtro. Sidera in terra prius labentur; ante ſidereum tellus plagam invadet, ore quam tibi noſtro excidat vox ulla mendax „ „.

Numinum, quæ gentiles colebant, falſitas inde demonſtratur, quod mendacia eorum eſſent oracula.

Præclare *Lactantius* lib. 6. cap. 18. chriſtiani hominis officia explicans: „ „ Cætera (*inquit*) quæ obſervare cultor Dei debet, facilia ſunt, illis virtutibus comprehenſis; ut non mentiatur unquam decipiendi, aut nocendi cauſa. Eſt enim nefas, eum, qui veritati ſtudeat, in aliqua re eſſe fallacem; atque ab ipſa, quam ſequitur, veritate diſcedere. In hac juſtitiæ, virtutumque omnium via nullus mendacio locus eſt. Itaque viator ille verus, ac juſtus non dicet apud Lucilianum: Homini amico, familiari, non eſt mentiri meum; ſed etiam inimico, atque ignoto exiſtimat non eſſe mentiri ſuum; nec aliquando committet, ut lingua interpres animi a ſenſu, & cogitatione diſcordet „ „. Con-

Concludamus igitur cum *S. Auguſtino* : Nullum mendacii genus unquam licitum eſſe. Octo ille mendaciorum genera enumerat libro *De Mendacio*. Cap. 14. „ „ Primum eſt capitale mendacium, longeque fugiendum, quod ſit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione debet quiſquam adduci. Secundum autem, ut aliquem lædat injuſte, quod & tale eſt, ut nulli proſit, & obſit alicui. Tertium, quod ita prodeſt alteri, ut obſit alteri, quamvis non ad immunditiam obſit corporalem. Quartum, quod ſit ſola mentiendi, fallendique libidine, quod merum mendacium eſt. Quintum, quod ſit placendi cupiditate de ſuaviloquio. Sextum, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; velut ſi quiſpiam pecuniam alicujus injuſte tollendam, ſciens ubi ſit, neſcire ſe mentiatur quocunque interrogante. Septimum, quod & nulli obeſt, & prodeſt alicui; excepto ſi judex interrogat: velut ſi nolens hominem ad mortem quæſitum prodere mentiatur; non ſolum juſtum, atque innocentem, ſed & reum. Octavum eſt genus mendacii, quod & nulli obeſt, & ad hoc prodeſt, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur „ „. *Et cap.* 21. *ſic colligit* : „ „ Non eſt igitur mentiendum in doctrina pietatis; magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacii. Non eſt mentiendum ſecundo genere; quia nulli facienda eſt injuria. Non eſt mentiendum tertio genere; quia nulli cum alterius injuria conſulendum eſt. Non eſt mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per ſeipſum vitioſa eſt. Non eſt mentiendum quinto genere; quia nec ipſa veritas fine placendi hominibus enuntianda eſt; quanto minus mendacium, quod per ſeipſum, quia mendacium eſt, utique turpe eſt? Non eſt mentiendum ſexto genere: neque enim recte etiam teſtimonii veritas pro cujuſquam temporali commodo, ac ſalute corrumpitur. Ad ſempiternam vero ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio. Neque ſeptimo genere mentiendum eſt; non enim cujuſquam commoditas, aut ſalus temporalis perficien-

Nullum mendacii genus unquam licitum eſt. Octo mendacii genera.

da

dæ fidei præferenda eſt. Nec ſi quiſquam in recte factis noſtris tam male movetur, ut fiat etiam animo deterior, longeque a pietate remotior, propterea rectæ facta deſerenda ſunt; cum id nobis præcipue tenendum ſit, quo vocare, atque invitare debemus, quos ſicut noſmetipſos diligimus. Nec octavo genere mentiendum eſt, quia & in bonis cauſitas animi, pudicitia corporis; & in malis id, quod ipſi facimus, eo quod fieri ſinimus, majus eſt. In his autem octo generibus tanto quiſque minus peccat, cum mentitur, quanto emergit ad octavum, tanto amplius, quanto demergit ad primum. Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum. Aut ergo cavenda ſunt mendacia recte agendo, aut confitenda ſunt pœnitendo; non autem cum abundent infeliciter vivendo, augenda ſunt & docendo „„.

His adde locum inſignem *S. Gregorii* lib. 18. *Moralium* cap. 4. in illa verba Job: *Donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*, explicantis: „„ Quod prius iniquitatem (*inquit*) hoc poſtmodum repetens, mendacium dicit; nam omne mendacium iniquitas eſt. Sed inter hoc, quod ait, loqui, & poſtmodum ſubdit, meditari, magna diſtantia eſt. Nonnunquam enim pejus eſt mendacium meditari, quam loqui. Nam loqui plerumque præcipitationis eſt, meditari vero ſtudioſæ pravitatis. Et quis ignoret, in quanta diſtantia culpa diſtinguitur, utrum præcipitatione aliquis, an ſtudio mentiatur? Sed vir ſanctus, ut perfecte adhæreat veritati, nec ſtudio ſe perhibet, nec præcipitatione mentiri „„.

Propoſitio damnata.

Ex his patet falſitas iſtius Propoſitionis: „„ Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti, & Sancti, æquivocationibus, ſive amphibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt „„. De qua Clerus gallicanus ita judicavit anno 1700.

„„ Hæc

„ „ Hæc Propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria, myſtice, prophetice, parabolice, ſive œconomice ad inſinuandam altius veritatem dicta; vel tacita cum vulgaribus geſtis confundit. Sanctorum Patrum acta ludibrio vertit; ipſis etiam Angelis injurioſa; ergo Chriſtum contumelioſa, & impia „ „.

ARTICULUS III.

Regula Moralis chriſtianæ circa falſum teſtimonium & mendacium.

REGULA PRIMA:

Falſum teſtimonium lethale peccatum eſt, & quidem graviſſimum.

De falſo teſtimonio.

Hæc Regula verbo Dei nititur; Proverb. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus: Proferentem mendacia, teſtem fallacem:* Et cap. 19. *Teſtis falſus non erit impunitus; & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Cap. 21. *Teſtis mendax peribit.* Et cap. 25. *Fatulum, & gladius, & ſagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.* Et v. 28. *Teſtis iniquus deridet judicium; & os impiorum devorat iniquitatem.* Injuriam igitur Deo irrogat falſus teſtis, ſiquidem cooperatur ad perverſionem judicii, quod a Deo inſtitutum eſt, ipſumque mendacii graviſſimi teſtem appellat pejerando. Juſtitiam quoque, & charitatem proximo debitam violare non veretur.

Eadem Regula confirmatur, cap. *Falſidicus*, Extra *De Crimine falſi*, quod ex *S. Iſidoro* libro 3. *De Summo bono*, cap. 59. ſumptum eſt: „ „ Falſidicus teſtis (*inquit*) tribus perſonis eſt obnoxius; primum Deo, cujus præſentiam contemnit; deinde judici, quem mentiendo fallit; poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Porro uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat „ „.

Item ex *Theodulfo* Aurelianenſi Epiſcopo in Capitulari, cap. 27. „ „ Dicendum eſt eis (*inquit*) ut a

falſo etiam teſtimonio abſtineant, ſcientes & hoc graviſſimum ſcelus eſſe, & ab ipſo Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino: *Non fa-ſum teſtimonium dixeris;* ſive: *Teſtis falſus non erit impunitus.* Sciat ſe, etiam quiſquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentia purgandum, ut ſupra dictum eſt de perjurio, aut tali damnatione, & excommunicatione damnandum, ſicut ſuperius interdum eſt. Dicendumque illis eſt, quod ſumma, non dicam, ſtultitia, ſed nequitia eſt, pro cupiditate argenti, & auri, aut veſtimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod creberrime contingere ſolet, propter ebrietatem in tam grande ſcelus corruere, aut ut ſeptem annis in arcta ærumna ſit, aut ab Eccleſia repulſus ſit, dicente Matth. 16. Domino: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur totum mundum, & animæ ſuæ detrimentum faciat?* Quippe cum aliis videatur plus exiſtere, ſibimet crudelis exiſtat „.

Sed luculentiora ſunt *S. Auguſt.* verba, cujus ſententiam *Theoduifus* expreſſit, quam ut eo loco prætermittantur. Sic habet in Pſal. 79. „ Omnia peccata (*inquit*) duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor... Corrumpere te vult aliquis, ut dicas, verbi gratia, falſum teſtimonium. Attendiſti in Deum, & dixiſti in animo tuo: *Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur?* Non adducor præmio, ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ Convertit ille ſe ad incutiendum metum; qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, expulſionem, cædes fortaſſis & mortem. Ibi jam ſi cupiditas non valuit, forte timor valebit, ut pecces... Quicunque te vult occidere, uſque ad corpus ei licet; uſque ad animam non licet. Anima tua non morietur, niſi eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum ſervet veritas animam tuam. Si autem a veritate reſilieris, quid tibi amplius facturus eſt inimicus, quam tu tibi ipſe facis? Inimicus læviens carnem poteſt occidere; tu autem dicendo falſum teſtimonium animam occidis. Audi Scripturam: Sap. cap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam* „. Et

Et ſermone 16. alias 1. ex Homiliis quinquaginta: „ Si hanc vitam, *ait*, in qua nunc ſumus, intellexerimus in eo, quod dictum eſt: *Quis eſt homo, qui vult vitam?* & propter hanc habendam, quæ connectuntur, præcepta faciamus; quid acturi ſumus, cum aliquis in malitia potens mortem nobis fuerit comminatus, niſi falſum teſtimonium dixerimus? Profecto enim ſi fecerimus, quod hic jubetur: *Cohibe linguam tuam a malo*, ut propter hoc præceptum teſtimonii fallaciam recuſemus; quaſi decepti videbimur; quia propter habendæ vitæ cupiditatem præceptum ſervare ſuſcepimus, & eam magis præceptum ſervando perdidimus. Potro ſi vitam intellexerimus in æternum beatam, quam poſt iſtam dabit Deus obedientibus ſibi... Tunc vero interrogati: *Quis eſt homo, qui vult vitam?* Reſpondemus, nos velle vitam, & ſi etiam ſub ipſo percuſſoris ictu veritatem ſervavimus in teſtimonio, mortem contemnimus in mundo; vitam conſequimur in cœlo „.

Falſi teſtimonii pœnæ canonicæ.

Excommunicationis pœna in falſos teſtes antiquis Canonibus lata, pœna exauctorationis in Clericos iſtius criminis reos decreta eſt. De falſis teſtibus ita decernit Illiberitani Concilii Canon 74. „ Falſus teſtis, prout crimen eſt, abſtinebitur. Si tamen non fuerit mortis, quod objecit; & probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abſtinebitur. Si autem non probaverit in conventu Clericorum, placuit per quinquennium abſtinere „.

Concilium Arelatenſe 1. Canone 14. „ De iis (*inquit*) qui falſo accuſant fratres ſuos, placuit eos uſque ad exitum non communicare; ſed falſum teſtem juxta Scripturam impunitum non licere eſſe „.

Concilium Arelatenſe 2. Canone 25. „ Niſi digna ſatisfactione pœnituerint, qui falſa fratribus capitalia objeciſſe convicti fuerint, uſque ad exitum non communicent, ſicut magna Synodus ante conſtituit „. Refertur Canone *Eos*, cauſa 3. qu. 10. Et in librum 6. Capitularium tranſcriptus eſt, cap. 314.

Concilium Agathenſe Canone 37. decernit: „ Ho-

„ micidas, & falſos teſtes a Communione eccleſiaſtica „ ſubmovendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina „ diluerint „. Refertur Canone *Itaque*, cauſa 26. qu. 3.

Idem Concilium Canone L. „ „ Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam fallaverit, aut teſtimonium falſum dixerit; ab officii honore depoſitus in monaſterium retrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat „ „.

Concilium Epaonenſe Canone 13. „ Si quis Clericus falſo teſtimonio convictus fuerit, reus capitalis „ criminis cenſeatur „.

Concil. Aurelianenſe 2. Can. 8. „ Si quis Clericus „ furtum, aut fallitatem admiſerit, quia capitalia etiam „ ipſa ſunt crimina, communione conceſſa ab ordine degradetur „ „.

Concil. Matiſconenſe 1. Can. 17. „ „ Si quis convictus fuerit alios ad falſum teſtimonium, vel perjurium attraxiſſe, aut quacunque corruptione ſolicitaſſe, ipſe quidem uſque ad exitum non communicet; hi vero, qui ei in perjurio conſenſiſſe probantur, poſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundum legem infamia notabuntur „ „. Refertur Canone *Si quis convictus* cauſa 22. qu. 5.

Eamdem regulam confirmat *S. Thom.* ſecunda ſecundæ, qu. 70. art. 4. „ „ Falſum teſtimonium (*inquit*) habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio, quia teſtes non admittuntur niſi jurati; & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione juſtitiæ; & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & quælibet injuſtitia. Et ideo in præcepto Decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium, Exodi 20. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Non enim contra aliquem facit, qui eum ab injuria facienda impedit, ſed ſolum qui ei ſuam juſtitiam tollit. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt peccatum, & ex hoc non habet falſum teſtimonium, quod ſemper ſit peccatum mortale „ „.

Le-

Lege divina a Moyſe promulgata falſos teſtes ea pœna afficiendos eſſe decernitur, quam paſſuri eſſent illi, quibus impoſuerunt calumniam, ſi verum fuiſſet teſtimonium. Apud Romanos Tarpejo monte dejici *Aulus Gellius* eſt auctor libro 20. *Noctium Atticarum*, cap. 1. Apud Gallos capitali ſupplicio plectuntur, ſecundum Conſtitutionem *Franciſci* I. Regis chriſtianiſſimi editam anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, menſe Martio.

Pari pœna plectuntur, ut paris criminis rei, qui falſa inſtrumenta fabricant, aut vera adulterant, iiſve ſic fabricatis, aut adulteratis utuntur ad pervertendum judicium, cauſamque obtinendam. Et qui vi falſorum inſtrumentorum cauſam vicerint, tenentur ad omnia damna parti adverſæ reſarcienda, ſiquidem nulla ſententia fuit, neç executioni debuit mandari, ut declaratur cap. *Super eo*, Extra. *De crimine falſi*. Hinç lib. 7. Capitularium cap. 196. ſtatutum eſt: „„ Ut qui falſa Principum reſcripta detulerint, ut falſarii puniantur. Qui falſum neſciens allegavit, pœna falſi non teneatur. *Et cap.* 254. Statutum eſt, ut ſcripturam prolator adfirmet. Nam ſi is, qui ſcripturam protulit, ejus non adſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe detinendum „„

Crimen litigantium, procuratorum, vel advocatorum, qui inſtrumenta ſupprimunt, vel abſcondunt, adverſæ parti profutura.

Ejuſdem criminis rei ſunt, parique pœnæ obnoxii litigatores, necnon procuratores, & advocati, vel quilibet alii, qui inſtrumenta ſupprimunt, vel abſcondunt, adverſæ parti profutura; & ad reſtitutionem ejus, quod intereſt, ratione omnium damnorum, & expenſarum, tenentur. Id colligitur ex cap. *Pervenit*, Extra. *De cogendis teſtibus*, quod eſt *Alexandri III.* reſponſum: „„ Nos igitur (*inquit*) attendentes, quod nemo debet adverſario inſtrumento (quorum appellatione teſtes continentur) ſubtrahere; & quod tam ille, qui ſubripit inſtrumenta, quam qui adverſario parem advocationis copiam ſubtrahit, iniquam oſtendit a ſe litem foveri, & experiri debet in ſe judicis auctoritatem elulam: Reſpondemus, ad detegendum tantæ fraudis, & calliditatis commentum

ipſum teſtem merito compellendum „„. Id confirmat Gloſſa ejuſdem capitis ad verbum *Inſtrumenta*, dicens; *Quod qui fecerit, tenetur ad intereſſe*, 12. qu. 2. Canone *Si quis de Clericis*. Cujus quidem Canonis ex Agathenſi Concilio prolati hæc verba ſunt: „„ Si quis de Clericis documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſariis fortaſſe tradere, damnabili, & punienda obſtinatione præſumpſerit, quidquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur „„.

REGULA II.

Falſi teſtimonii reus eſt, qui pro certo aſſerit coram judice id, quod certo non novit, ſed probabiliter duntaxat, vel ex aliorum relatione.

Summæ enim irreverentiæ eſt, Deum teſtem appellare facti alicujus, quod forte falſum ſit; ſummæ imprudentiæ exponere ſe periculo jurandi falſum, violandi juſtitiam, & charitatem. Hinc *S. Thom.* quæſtione & articulo ſuperius indicatis, in reſponſione ad primum, ait: „„ In teſtimonio ferendo non debet homo pro certo aſſerere; quaſi ſciens id, de quo certus non eſt. Sed dubium debet ſub dubio proferre, & id, de quo certus eſt, pro certo aſſerere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quod reputat ſe homo quandoque certum eſſe de eo, quod falſum eſt, ſi aliquis cum debita ſolicitudine recogitans, æſtimet ſe certum eſſe de eo, quod falſum eſt, non peccat mortaliter hoc aſſerens, quia non dicit falſum teſtimonium per ſe, & ex intentione, ſed per accidens contra id, quod intendit „„.

REGULA III.

Reus ſecundum ordinem juris interrogatus veritatem confiteri debet; alioqui lethalis peccati reus eſt.

Ita docet *S. Thom.* 2. 2. qu. 69. art. 1. „„ Quicunque (*inquit*) facit contra debitum juſtitiæ mortaliter

liter peccat. Pertinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his ad quæ jus prælationis ſe extendit. Judex autem Superior eſt reſpectu ejus, qui judicatur. Et ideo ex debito tenetur acculatus judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam juris exigit. Et ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si vero judex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non tenetur ei accuſatus reſpondere; ſed poteſt, vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere: mendacium tamen dicere non licet „„.

Idem confirmat Concil. Tridentini Catechiſmus: „„ De reis autem (*inquit*) & ſontibus, vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur; eſt enim teſtimonium, ac prædicatio quædam illa confeſſio laudis, & gloriæ Dei ex ipſius Joſue ſententia, qui Achan ad veri confeſſionem adhortatus inquit: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael*, Joſue 7. „„

Interrogatur autem reus ex formula judicii, cum de crimine præceſſit infamia, vel expreſſa indicia, vel ſemiplena probatio. Infamia quæſtionem cenſetur præceſſiſſe, cum in ſuſpicionem criminis vocatur a multis, qui viri probi habentur, & graves, non malevoli, non maledici, non leves; vel cum totius populi voce, aut publico rumore talis criminis reus ille conclamatur; quam jus *clamoſam inſinuationem* vocat. Indicia ſunt circumſtantiæ, & ſigna, ex quibus prudenter, & conſideratiſſima ratione de actionibus aliorum judicium ferri poteſt. Semiplena probatio eſt aſſertio unius teſtis omni exceptione majoris. Si unum ex his tribus quæſtionem præceſſerit, ſive interrogationem; reus a legitimo judice interrogatus veritatem confiteri ſimpliciter, & abſque ambagibus tenetur, quamvis ea confeſſione ſe morte damnatum iri certo ſciat. Neque vero tunc ipſe ſe prodit, ſed ab alio proditur, dum ei neceſſitas reſpondendi imponitur per eum, cui obedire tenetur (inquit *S. Thom.*

in reſponſione ad primum.) Nec etiam mendacium iſtud mere officioſum dici poſſet, quo reus ex juris formula interrogatus veritatem negaret. „ „ Mentiri enim ad liberandum aliquem a morte cum injuria alterius, non eſt mendacium ſimpliciter officioſum, ſed habet aliquid de pernicioſo admixtum. Cum autem aliquis mentitur in judicio ad excuſationem ſui, injuriam facit ei, cui obedire tenetur, dum ſibi denegat, quod ei debet, ſcilicet confeſſionem veritatis „ „. Sic reſpondet *S. Thomas*, ad ſecundum.

Et ad tertium: „ „ Ille (*inquit*) qui mentitur in judicio, ſe excuſando, facit & contra dilectionem Dei, cujus eſt judicium; & contra dilectionem proximi; tum ex parte judicis, cui debitum negat; tum ex parte accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat „ „. Unde & Pſ. 140. dicitur: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Et *S. Greg. magnus*, lib. 22. *Moralium*, exponens illud Job 31. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum*, ait: „ „ Uſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convicium defendendo multiplicare „ „.

Eamdem regulam confirmat rurſus *S. Thom.* art. 2. „ „ Aliud eſt (*inquit*) veritatem tacere, aliud eſt falſitatem proponere. Quorum primum in aliquo caſu licet; non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri; ſed illam ſolum, quam ab eo poteſt, & debet requirere judex ſecundum ordinem juris; puta, cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa indicia apparuerunt, vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena. Falſitatem tamen proponere in nullo caſu licet alicui. Ad id autem, quod licitum eſt, poteſt aliquis procedere vel per vias licitas, & fini intento accommodatas, quod pertinet ad prudentiam; vel per aliquas vias illicitas, & propoſito fini incongruas, quod pertinet ad aſtutiam, quæ exercetur per fraudem, & dolum. Quorum primum eſt laudabile, ſecundum vero vitioſum. Sic

ergo

ergo reo, qui accuſatur, licet ſe defendere, veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos convenientes modos, puta, ſi non reſpondeat, ad quæ reſpondere non tenetur; hoc autem non eſt calumnioſe ſe defendere, ſed magis prudenter evadere. Non autem licet ei vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur; neque etiam aliquam fraudem, vel dolum adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacii habent „ „.

Et Quodlibeto 5. qu. 8. art. 2. ubi quærit; „ „ Utrum mulier accuſata de adulterio occulto teneatur ſuum peccatum judici confiteri; *Reſpondet*; Si adulterium ſit omnino occultum, non debet peccatum ſuum in judicio confiteri, nec debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda; quia occulta ſoli divino judicio reſervantur, ſecundum illud 1. ad Corinthios 4. *Nolite ante tempus judicare, quouſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* Sed quando ex adulterio procedit infamia, vel aliqua ſigna evidentia apparent, quæ vehementem ſuſpicionem facere poſſunt, vel quando eſt ſemiplene probatum, tunc debet ab ea exigi juramentum de veritate dicenda; & ipſa tenetur confiteri veritatem „ „.

Complices etiam ſui criminis revelare tenetur reus formula juris interrogatus (alioqui lethale peccatum committit) ſi aliqua laborent infamia, vel indiciis vehementibus, aut unius teſtimonio jam proditi ſint. Si vero ſint penitus occulti, eos etiam indicare tenetur ſub pœna lethalis peccati, in caſibus jure expreſſis, ſcilicet hæreſis, ſortilegii, læſæ Majeſtatis, conjurationis, ac proditionis principis, aut patriæ, falſæ monetæ, veneficii, publici latrocinii, &c. Cum autem occulti ſunt complices, judex nominatim interrogare non debet, an ſint hi, vel illi, niſi præceſſerit infamia criminis, de quo quæſtio habetur, ut conſtat ex Can. *Nemini*, cauſa 15. qu. 3 ex cap. *Cum Monaſticum*, Extra. *De Confeſſis*, & cap. *Veniens*, Extra. *De Teſtibus*; ſed generatim interrogandus eſt reus, an ſint aliqui complices. Ubi vero aliquos indicaverit

Complices ſui criminis reus juridice interrogatus, revelare tenetur.

rit, tunc de illis jam infamia criminis notatis ſpecialim eſt interrogandus, & urgenda quæſtio.

REGULA IV.

Qui veram apocham, ſchedulam obligatoriam, aut quodvis aliud inſtrumentum amiſit, cujus defectu lite graviſſimi momenti evincendus eſt, falſum fabricare, ac ſupponere non poteſt abſque gravi peccato.

Quamvis enim eo caſu injuria proximo non fiat, mendacium tamen committitur, quo fit injuria veritati. Porro „ „ Mendacium non ſolum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, ſed ſua inordinatione (*inquit S. Thomas*, 2. 2. qu. 110. art. 3. *ad quartum*) Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum; ſicut non licet furari ad hoc, quod homo eleemoſynam faciat. Et ideo non eſt licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocunque periculo liberet „„. Pari ratione, falſam apocham, ſchedulamve ſimilem illi, quam amiſit, fabricare, ac ſupponere non licet, nec aliud quodvis inſtrumentum, etſi litis amittendæ periculum, aut bonorum jactura, fortunæque everſio immineat.

Ob eamdem rationem non licet Clerico, qui teſtimoniales, vel dimiſſorias Epiſcopi ſui literas, aut Parochi de Baptiſmo fidem facientes, amiſit, alias fabricare, ac ſupponere, ut ad ordines admittatur; alioquin falſi reus eſt, graviſque peccati. Idem eſto judicium de viro regulari, qui amiſſis Superioris ſui obedientialibus literis alias ſimiles fabricatur.

Doctrina damnata.

Denique ſacra Facultas Pariſienſis anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto die tertia Februarii, doctrinam contrariam regulæ, quam explicamus, *falſam eſſe, ſcandaloſam, & reipublicæ perniciosam* judicavit.

R E-

REGULA V.

Mendacium omne, quod Deo injurioſum, aut proximo graviter noxium eſt, mortale peccatum eſt.

Cum enim mendacium lethale peccatum aliquando eſſe conſtet ex Scriptura ſacra, Pſal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: Et Sapient. 1. *Os, quod mentitur occidit animam*: Et Apocal. 21. *Timidis, & incredulis, & homicidis, & fornicatoribus, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*; illa mendacia, quæ Deo injurioſa ſunt, qualia ſunt, quæ in doctrina religionis, & pietatis proferuntur, mortalia eſſe certiſſimum eſt. *Non eſt mentiendum in doctrina pietatis; magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacii* (inquit *S. Auguſt.* lib. *De Mendacio* cap. 21.) Certum etiam eſt mendacia omnia, quæ graviter nocent proximo, eſſe peccata mortalia; ſiquidem eo mendaciorum genere non modo veritas, ſed etiam juſtitia, & charitas violantur.

Eamdem regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. quæſt. 110. art. 4. „ Peccatum mortale (*inquit*) proprie eſt, quod repugnat charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta. Poteſt autem mendacium contrariari charitati tripliciter. Uno modo ſecundum ſe; alio modo ſecundum finem intentum; tertio modo per accidens. Secundum ſe quidem charitati contrariatur ex ipſa falſa ſignificatione. Quæ quidem, ſi ſit circa res divinas, contrariatur charitati Dei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit. Unde hujuſmodi mendacium non ſolum opponitur virtuti veritatis, ſed etiam virtuti fidei, & religionis. Et ideo hoc mendacium eſt graviſſimum, & mortale. Si vero falſa ſignificatio ſit circa aliquid, cujus cognitio pertineat ad hominis bonum, puta, quæ pertineat ad perfectionem ſcientiæ, & informationem morum, tale mendacium, in quantum infert damnum falſæ opinionis proximo, contrariatur charitati quan-

quantum ad dilectionem proximi ; unde eſt peccatum mortale. Si vero falſa opinio ex mendacio generata ſit circa aliquid, de quo non referat, utrum ſic, vel aliter cognoſcatur ; tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus ; ſicut ſi quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad ſe non pertinentibus. Unde tale mendacium ſecundum ſe non eſt peccatum mortale. Ratione vero finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati ; puta, quod dicitur, aut in injuriam Dei, quod ſemper eſt peccatum mortale, utpote religioni contrarium ; aut in nocumentum proximi, quantum ad perſonam, divitias, vel famam. Et hoc etiam eſt peccatum mortale ; ex ſola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat. Si vero finis intentus non ſit contrarius charitati, nec mendacium ſecundum hanc rationem erit peccatum mortale ; ſicut apparet in mendacio jocoſo, in quo intenditur aliqua levis delectatio ; & in mendacio officioſo, in quo etiam intenditur utilitas proximi. Per accidens autem poteſt contrariari charitati ratione ſcandali, vel cujuſcunque damni conſequentis ; & ſic erit etiam peccatum mortale, dum ſcilicet aliquis non veretur propter ſcandalum publice mentiri „ „.

REGULA VI.

Pro vita alterius temporali, vel ſua ſervanda mentiri non licet.

Hanc Regulam tradit *S. Auguſt.* lib. *Contra Mendacium*, cap. 18. „ „ Ecce (*inquit*) gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non poſſint, ſi ei mortuus unicus, & chariſſimus filius nuntietur ; a te quærit, an vivat, quem vitam finiſſe tu noſti, quid reſpondebis, quando, quidquid aliud dixeris præter unum de tribus, aut mortuus eſt, aut vivit, aut neſcio, nihil aliud credit ille, quam mortuum ; quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri ? Tantumdem valet, etiamſi omni modo tacueris,

ris. Ex illis autem tribus duo falſa ſunt, vivit, & neſcio; nec abs te dici poſſunt niſi mentiendo. Illud autem unum verum, id eſt, mortuum eſſe, ſi dixeris, & perturbati hominis mors fuerit ſubſecuta, abs te occiſus clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes, quantum ſit malum ſalubre mendacium devitari, & homicidam diligi veritatem? Moveor his oppoſitis vehementer, ſed mirum ſi etiam ſapienter. Cum enim propoſuero ante qualeſcunque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cujus ore falſi nihil procedit; quamvis ubi radians magis magiſque clareſcit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas; tamen ſic amore tanti decoris accendor, ut cuncta, quæ inde me revocant, humana contemnam... Nec me movet contemplantem luminoſum bonum, in quo mendacii tenebræ nullæ ſunt, quod nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus homicida dicitur veritas. Nunquid enim ſi ſtuprum expetat impudica, & te non conſentiente, ſævo amore perturbata moriatur, homicida erit & caſtitas... Huc accedit, ubi miſerabilius ejulandum eſt, quod ſi conceſſerimus pro ſalute illius ægri de vita filii ejus fuiſſe mentiendum, ita paulatim, minutatimque ſuccreſcit hoc malum, & brevibus acceſſibus ad tantum acervum mendaciorum ſceleratorum ſenſim ſubintrando perducitur, ut nunquam poſſit penitus inveniri, ubi tantæ peſti per minima additamenta in immenſum convaleſcenti poſſit obſiſti. Unde providentiſſime ſcriptum eſt: *Qui modica ſpernit, paulatim decidit.* Eccli. 19. Quid, quod vitæ hujus tales amatores, ut eam non dubitent præponere veritati, ne homo moriatur, imo ut homo quandoque moriturus aliquanto ſerius moriatur, non tantum mentiri, ſed etiam pejerare nos volunt, ut videlicet, ne aliquanto citius tranſeat vana ſalus hominis, nomen Domini Dei noſtri accipiamus in vanum. Et ſunt in eis docti, qui etiam regulas figant, fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi eſtis fontes lacrymarum? Eo

quid

quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria „ „ ?

Et cap. 19. „ „ Sed agit partes ſuas infirmitas, & cauſam invincibilem faventibus turbis ſe habere proclamat; ubi contradicit, & dicit, quomodo apud homines periclitantibus ſubvenitur hominibus, ſi nos humanus ad mentiendum non inclinat affectus? Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, reſpondebo aliquid pro negotio veritatis. Certe pia, vera, ſancta caſtitas non niſi ex veritate eſt; & quiſquis adverſus eam facit, profecto adverſus veritatem facit. Cur ergo & ſi non poſſit aliter periclitantibus ſubveniri, non committo ſtuprum, quod ideo eſt contrarium veritati, quia contrarium eſt caſtitati, & ut periclitantibus ſubveniatur, loquor mendacium, quod ipſi apertiſſime eſt contrarium veritati? Quid nos tantum promeruit caſtitas, & offendit veritas, cum omnis ex veritate ſit caſtitas, & ſi non corporis, ſed mentis caſtitas veritas, atque in mente habitet etiam corporis caſtitas? Quiſquis mihi pro perſuadendo, & defendendo ullo mendacio contradicit, quid dicit, ſi verum non dicit? Si autem propterea eſt audiendus, quoniam verum dicit; quomodo me vult facere verum dicendo mendacem? Quomodo mendacium patronum ſibi adhibet veritatem? An adverſario ſuo vincit, ut a ſe ipſa vincatur? Quis hanc abſurditatem ferat? Nullo ergo modo dixerimus, eos, qui aſſerunt aliquando eſſe mentiendum, id aſſerendo eſſe veraces, ne, quod eſt abſurdiſſimum, & ſtultiſſimum credere, veritas nos doceat eſſe mendaces. Quale eſt enim, ut eſſe adulterandum nemo diſcat a caſtitate, Deum offendendum nemo diſcat a pietate, cuiquam nocendum nemo diſcat a benignitate, & eſſe mentiendum diſcamus a veritate? Porro ſi hoc non docet veritas, non eſt verum; ſi non eſt verum, non eſt diſcendum; ſi non eſt diſcendum, nunquam eſt igitur mentiendum „ „.

Præ-

Præterea, mendacium omne iniquitas eſt, & vel mortem infert animæ, vel ſpirituale certe detrimentum ad mortem diſponens & perditionem; proindeque non eſt admittendum pro cujuſquam ſalute temporali. „„ Quomodo (*inquit S. Auguſt. lib. De Mendacio, cap. 6.*) non perverſiſſime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum ſpiritualiter mori? Nam & ipſa dilectio proximi ex ſua cujuſque terminum accepit. *Diliges* (inquit) *proximum tuum tanquam te ipſum.* Quomodo ergo quiſque diligit tanquam ſeipſum, cui ut præſtet vitam temporalem, ipſe amittit æternam? Quandoquidem ſi pro illius temporali vita ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt jam diligere ſicut ſeipſum, ſed plus, quam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit. Multo minus igitur æternam ſuam pro alterius temporali mentiendo amiſſurus eſt... Cum igitur mentiendo vita æterna amittatur, nunquam pro cujuſquam temporali vita mentiendum eſt... Proinde non eſt in iſta quæſtione attendendum, niſi utrum iniquitas ſit mendacium. Quod cum ſupra commemoratis documentis aſſeratur, videndum eſt, ita quæri utrum pro alterius ſalute mentiri aliquis debeat, ac ſi quæreretur, utrum pro alterius ſalute iniquus eſſe aliquis debeat... Quod ſi reſpuit animæ ſalus, quæ non poteſt niſi æquitate ſervari, & ſe ut præponamus non ſolum alterius, ſed etiam noſtræ ſaluti temporali jubet; quid reſtat, quo dubitare debeamus nunquam omnino eſſe mentiendum? Non enim dici poteſt eſſe aliquid in temporalibus commodis ſalute, ac vita corporali majus, aut charius. Unde ſi nec ipſa præponenda eſt veritati, quid objici poteſt, propter quod mentiendum eſſe contendant, qui aliquando putant oportere mentiri „„? Levit. 19. Matth. 22.

Idem confirmat Enarratione 2. in Pſal. 30. „„ Quis (*inquit*) obſervat vanitatem? Qui timendo mori, moritur. Timendo enim mori mentitur, & moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris; & mentiris, & moreris; & cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auſer-

ferre non poteris, incidis in duas, ut prius in anima, postea in corpore morlaris „.

Idem confirmat *S. Isidorus* lib. 2. *De summo Bono*, cap. 30. „ Summopere (*inquit*) cavendum est omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquid mendacii genus culpæ levioris, si quisquam pro salute hominum mentiatur. Sed quia scriptum est: *Os, quod mentitur, occidit animam*, Et *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur; ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam alienæ carni nituntur „. Denique *Alexander III.* cap. *Super eo*, Extra. *De usuris*, ait: *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri.*

„ Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest; cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere, quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non recte faciat (*inquit S. Augustin* lib. *Contra Mendacium*, cap. 17.)

REGULA VII.

Mentiri non licet, ne prodatur innocens ab iniquo judice quæsitus ad mortem.

Non solum enim falsum testimonium, non solum proditionem, sed & omne mendacium divina lex prohibet. Si quis igitur a judice injusto interrogetur, ubi lateat innocens, quem quærit occidere, sciatque, ubi sit, respondere debet: *Nec prodam, nec mentiar.* Fecit hoc Episcopus quondam Thagastensis Ecclesiæ *Firmus* nomine, firmior voluntate. Nam „ cum ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per „ apparitores ab eo missos, quem ad se confugien„ tem diligentia quanta poterat occultabat; respon„ dit quærentibus: *Nec mentiri se posse, nec hominem „ prodere*, passusque tam multa tormenta corporis „ (non-

„ (nondum enim erant Imperatores chriſtiani) per-
„ manſit in ſententia. Deinde ad Imperatorem ductus
„ uſque adeo mirabilis apparuit, ut ipſi homini, quem
„ ſervabat, indulgentiam ſine ulla difficultate impe-
„ traret. Ita refert *S. Auguſt.* qui hanc Regulam tra-
„ dit lib. *De Mendacio*, cap. 13.

REGULA VIII.

Pro ſervanda pudicitia corporis mentiri non licet.

Ita docet *S. Auguſt.* lib. *De Mendacio*, cap. 7. „ „ Pudicitiæ quippe corporis, quia multum honorabilis perſona videtur occurrere, & pro ſe flagitare mendacium, ut ſi ſtuprator irruat, qui poſſit mendacio devitari, ſine dubitatione mentiendum ſit, facile reſponderi poteſt; nullam eſſe pudicitiam corporis, niſi ab integritate animi pendeat; qua diſrupta cadat neceſſe eſt, etiamſi intacta videatur, & ideo non in rebus temporalibus eſſe numerandam, quaſi quæ invitis poſſit auferri. Nullo modo igitur animus ſe mentiendo corrumpit pro corpore ſuo, quod ſcit manere incorruptum, ſi ab ipſo animo incorruptio non recedat. Quod enim violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius, quam corruptio nominanda eſt. Aut ſi omnis vexatio corruptio eſt, non omnis corruptio turpis eſt; ſed quam libido procuraverit, aut cui libido conſenſerit. Quanto autem præſtantior eſt animus corpore, tanto ſceleratius corrumpitur. Ibi ergo ſervari poteſt pudicitia, ubi nulla niſi voluntaria poteſt eſſe corruptio... Quapropter quoniam nemo dubitat meliorem eſſe animum corpore, integritati corporis integritas animi præponenda eſt, quæ in æternum ſervari poteſt. Quis autem dixerit integrum eſſe animum mentientis? Etenim libido quoque ipſa recte definitur; Appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Nemo itaque poteſt convincere aliquando eſſe mentiendum, niſi qui potuerit oſtendere æternum aliquod bonum obtineri poſſe mendacio.

Sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto a veritate discedit; absurdissimum est dicere discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum; & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem auribus corporis, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est, ut eam non solum magis, quam corpus, sed etiam magis, quam seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior, & castior, cum ejus potius immutabilitate, quam sua mutabilitate perfruatur „ „.

REGULA IX.

Nec pro æterna alicujus salute procuranda mentiri licet.

S*ancti Augustini* verbis lib. *Contra Mendacium*, c. 20. hæc Regula stabilitur: „ „ Aliquando nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur; velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum, atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit, ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc invidiosissimo clamore, quo cogimur non pro cujusquam opibus, vel honoribus in hoc seculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quo confugiam, nisi ad te, veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim si custodes isti, ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati, & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati? Cum proculdubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas. Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo baptizetur esse mœchandum? Cur au-

autem hoc non jubet caſtitas, niſi quia hoc non docet veritas? Si ergo, niſi quod veritas docet, facere non debemus, cum veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere, quod contrarium eſt caſtitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem, quod ipſi eſt contrarium veritati „ „?

Et paulo poſt: „ „ Ille filius, qui verbum ſuſcipiens a perditione longe aberit & nihil falſi ex ejus ore procedit, tam ſibi clauſum deputat, ſi ad ſubveniendum homini per mendacium, quam ſi per ſtuprum tranſire cogatur. Et pater exaudit orantem, ut valeat ſine mendacio ſubvenire, cui vult pater ipſe, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, ſubveniri „ „.

REGULA X.

Ad detegendos hæreticos ſeſe verbotenus hæreticum mentiri, lethale peccatum eſt.

Mendacium enim eſt in materia religionis, quo fides catholica ore negatur, ac proinde talis peccati reum Chriſtus coram patre ſuo negabit. Hanc Matth. 10. Regulam multis adſtruit *S. Auguſt.* lib. *Contra Mendacium*, cap. 7. „ „ Multis quidem modis (*inquit*) poſſunt latentes hæretici veſtigari, nec catholica fide vituperata, nec hæretica impietate laudata; ſed ſi aliter omnino non poſſet educi de cavernis ſuis hæretica impietas, niſi a tramite veritatis lingua catholica deviaret; tolerabilius illa occultaretur, quam iſta præcipitaretur, tolerabilius in ſuis foveis delitescerent vulpes, quam propter illas capiendas in blaſphemiæ foveam caderent venatores. . Nam ſi propterea juſta ſunt non qualiacunque ſed blaſphema mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur; poterunt iſto modo, ſi eodem animo fiant, caſta eſſe adulteria. Quid enim ſi ex numero Priſcillianiſtarum impudicarum aliqua femina injiciat oculum in catholicum Joſeph, eique promittat proditurum ſe latebras eorum, ſi ab illo impetraverit ſtuprum,

certumque ſit eam, ſi ei conſenſum fuerit, quod pollicita eſt impleturam; faciendumne cenſebimus, an intelligemus, nequaquam tali pretio merces ejuſmodi comparandas? Cur ergo non eruimus capiendos hæreticos carne in adulterium defluente, & eruendos putamus ore in blaſphemia fornicante? aut enim licebit utrumque pari ratione defendere, ut ideo hæc non eſſe dicantur injuſta, quia ea facta ſunt intentione, qua deprehenderentur injuſti; aut ſi ſana doctrina nec propter inveniendos hæreticos vult nos cum feminis impudicis ſaltem corpore, non mente miſceri, profecto nec propter inveniendos hæreticos vult a nobis ſaltem voce non mente, aut immundam hæreſim prædicari, aut caſtam catholicam blaſphemari. Quia & ipſum mentis imperium, cui debet omnis inferior motus hominis obedire, digno non carebit opprobrio, quando fit, quod fieri non oportet, ſeu membro, ſeu verbo... Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtant eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda ſunt „„

REGULA XI.

Æquivocationum, & reſtrictionum mentalium uſus per ſe malus eſt, & quavis in occaſione, rerumque circumſtantiis quibuslibet illicitus.

Æquivocationes enim, & reſtrictiones mentales ſunt vere mendacia, proindeque naturali, ac divina lege omnino prohibentur. „„ Ille *enim* mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur eſſe mentientis, id eſt, duplex cogitatio; una rei ejus, quam veram eſſe, vel ſcit, vel putat, & non profert; altera ejus rei, quam pro iſta profert, ſciens falſam eſſe, vel putans „„ (*inquit S. Auguſtinus*, lib. *De Mendacio*, cap. 3.)

Id confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto 8. quæſt. 6. art.

art. 4. „ „ Ad hoc (*inquit*) inventa ſunt verba, vel voces, ut ſint ſigna intellectuum; & ideo quando aliquis voce enuntiat, quod non habet in mente, quod importatur in nomine mendacii, eſt ibi inordinatio per abuſum vocis; & ideo concedimus, quod mendacium ſemper eſt peccatum „ „.

Æquivocationum, & reſtrictionum mentalium artem damnat Spiritus ſanctus.

Hanc æquivocationum, & reſtrictionum mentalium artem prohibet, damnatque Spiritus ſanctus per Davidem loquens, Pſal. 33. *Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum; diverte a malo, & fac bonum; inquire pacem, & perſequere eam.* Quid enim eſt mentalis reſtrictio, & æquivocatio ad fallendum proximum uſurpata, niſi dolus? Unde *S. Auguſtinus* locum iſtum expendens Serm. 16. alias Homilia prima ex quinquaginta, cap. 3. ait: „ „ Si propter iſtos dies, quaſi propter dies bonos, ſuſceperimus præceptum, ut labia noſtra non loquantur dolum; plerumque tales dies cogunt amatores ſuos loqui dolum, & tales dies negantur eis, qui non loquuntur dolum. Quid enim aliud eſt, loqui dolum, niſi aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore?... Alii ſunt igitur dies boni, de quibus admonemur, ut ſi eos videre diligimus, cohibeamus a malo linguam, nec dolum loquamur. Non ſunt de iſto ſeculo dies illi; non eos habet cœlum, quod tranſibit, ſed quod permanebit; non eos novit terra morientium, ſed terra viventium. Hos quiſquis intellexerit, & dilexerit, linguam cohibet a malo; & ſi eum terror mortis cogat ad malum, labia ejus non loquuntur dolum; & ſi diebus fallaciter bonis invitetur ad dolum, declinat a malo etiam inter bona; facit bonum etiam inter mala; quærit pacem, quæ non eſt ſuper terram, & ſequitur eam in illo, qui fecit cœlum, & terram „ „. Ex quo *S. Auguſtini* loco liquet, nec terrore mortis, ſive ad illius periculum imminens vitandum, licere Chriſtiano æquivocationum, aut reſtrictionum mentalium uſum.

Idem confirmat Pſal. 51. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa; propterea Deus deſtruet te in*

ſuum. Quem locum *S. Auguſt.* expendens in Enarratione in hunc Pſalmum: „ Quid eſt (*inquit*) lingua „ doloſa? Miniſtra fallaciæ eſt lingua doloſa aliud in „ corde geſtantium, aliud ore promentium „.

Et Tractatu 7. in Joannem, expendens illud Chriſti Domini de Nathanaele perhonorificum teſtimonium: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt*, ait; „ Dolus eſt, cum aliud agitur, & aliud fingitur. Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt. Quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & tanquam duo corda habet; unum quaſi ſinum cordis habet, ubi videt veritatem; & alterum ſinum, ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in Pſalmis: *Labia doloſa*. Quid eſt labia doloſa? Sequitur: *In corde, & corde locuti ſunt mala*. Quid eſt: In corde, & in corde, niſi, duplici corde „. Pſalm. 11.

Et Sermone 133. alias 8. inter editos ex Miſſ. Carthuſiæ majoris. „ Fallitur (*inquit*) qui cum ſit falſum, verum putat eſſe, quod dicit; mentitur autem, qui falſum eſſe aliquid putat, & pro vero dicit, ſive illud verum ſit, ſive falſum. Intuemini, quid addiderim, ſive illud verum ſit, ſive falſum, tamen qui falſum putat, & verum aſſerit, mentitur, fallere affectat. Quid enim ei prodeſt, quia verum eſt? Interim ipſe hoc falſum putat, & dicit tanquam verum ſit. Verum eſt in ſe illud, quod dicit; apud illum falſum eſt, non hoc habet conſcientia ejus, quod loquitur; aliud in ſe cogitat verum eſſe, aliud foras profert pro veritate. Duplex cor eſt, non ſimplex; non quod ibi habet, hoc profert. Duplex cor olim reprobatum. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt mala*. Sufficeret, ut diceret, in corde locuti ſunt mala; ubi eſt, labia doloſa. Quid eſt dolus? cum aliud agitur, aliud obtenditur. Labia doloſa non ſimplex cor, & quia non ſimplex cor, ideo in corde, & corde; ideo bis corde, quia duplex cor „.

Ars reſtrictionum mentalium & æquivocationum

Ars mentalium reſtrictionum, & æquivocationum in Priſcillianiſtis hæreticis olim damnata eſt, teſte *S. Auguſt.* lib. *Contra Mendacium*, cap. 2. „ Nec

in

in eo malo (*inquit*) debemus Priſcillianiſtarum eſſe participes, in quo cæteris hæreticis convincuntur eſſe pejores. Ipſi enim ſoli, vel certe maxime ipſi reperiuntur, ad occultandam ſuam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium; atque hoc tam magnum malum ideo juſtum exiſtimare, quia dicunt in corde retinendum eſſe, quod verum eſt; ore autem ad alienos proferre falſum nullum eſſe peccatum; & hoc eſſe ſcriptum: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*; tanquam hoc ſatis ſit ad juſtitiam, etiamſi loquatur quiſque in ore mendacium, quando non proximus, ſed alienus hoc audit „„. in Priſcillianiſtis olim damnata. Pſalm. 14.

Sapientiam Sanctorum origine cœleſtem, *ſine ſimulatione* S. Jacobus eſſe docet, Epiſtolæ ſuæ cap. 3. Huic opponit ſapientiam carnalem, de qua præmiſerat: *Nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem; non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Quæ tamen, proh dolor! urbanitatis, ingenioſæque artis nomine a filiis hujus ſeculi inſignitur. Qua de re *S. Gregorius magnus*, lib. 10. *Moralium*, cap. 29. explicans hæc verba Job 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*, ait: „„ Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu a juvenibus ſcitur, hæc a pueris pretio diſcitur; hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt; hanc qui neſciunt, ſubjecti, & timidi in aliis mirantur; quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perverſitas urbanitas vocatur... At contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare... pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc juſtorum ſimplicitas deridetur; quia ab hujuſmodi ſapientibus puritatis virtus ſtultitas creditur. Omne enim, quod innocenter agitur, ab eis procul dubio ſtultum putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali ſapientia ſtultum ſonat „„. Sapientia Sanctorum ſine ſimulatione.

Mentalium reſtrictionum, & æquivocationum uſus, inſtitutioni vocum adverſatur.

Denique mentalium reſtrictionum, & æquivocationum uſus inſtitutioni vocum penitus adverſatur. Nam „ „ Verba propterea ſunt inſtituta, non per quæ invicem homines fallant, ſed per quæ in alterius quiſque notitiam cogitationes ſuas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt „ „ (*inquit S. Auguſt.* in *Enchiridio*, cap. 22.) Ex quo patet, reſtrictionum mentalium uſum ſocietati humanæ adverſari, ipſique adeo naturæ humanæ, quæ ſocietatem illam appetit. Unde *S. Thomas*, 2. 2. qu. 109. art. 3. ad primum, ait: „ „ Quia homo eſt animal ſociale, naturale unus homo alteri debet id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet. Non autem poſſent homines ad invicem convivere, niſi ſibi invicem crederent, tanquam ſibi invicem veritatem manifeſtantibus „ „. Hinc Eccleſiaſtici 37. dicitur: *Qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt.* Ut enim ait *S. Auguſtinus*, in *Enchiridio*, cap. 17. „ Uſque adeo rationalis natura refugit falſitatem, & „ quantum poteſt, devitat errorem, ut falli nolint, „ etiam quicunque amant fallere „ „. Quamobrem, qui æquivocationibus, & reſtrictionibus mentalibus utuntur, peccant in primum illud legis naturæ præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Cui reſpondet illud Chriſti, Matth. 7. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* nemo enim æquivocationibus, & reſtrictionibus mentalibus ſe decipi vellet.

Propoſitio damnata.

Merito igitur ab *Innocentio XI.* Pontifice maximo inter alias pravi dogmatis Propoſitiones anno 1679. die 4. Martii, & iſta damnata eſt ordine 27. „ „ Cauſa juſta utendi his Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa „ „.

Hanc Propoſitionem Clerus gallicanus anno 1700. „ judicavit „ Erroneam, temerariam, ſcandaloſam, „ pernicioſam, illuſoriam, mendaciis, fraudibus, & per-

„ perjuriis viam aperientem, & ſacris Scripturis ad-
„ verſari „.

REGULA XII.

Licet aliquando veritatem occultare.

„ „ Non *enim* hoc eſt occultare veritatem, quod eſt proferre mendacium (*inquit S. Auguſt. libro contra Mendacium*, cap. 10.) Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum eſt, non tamen omnis, qui vult, quod verum eſt, celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, ſed tacendo. Neque enim mentitus eſt Dominus, ubi ait: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo.* Vera tacuit; non falſa locutus eſt, quibus veris audiendis eos minus idoneos judicavit... Non eſt ergo mendacium, cum ſilentio abſconditur verum, ſed cum loquendo promitur falſum „ „. Joan. 16.

Idem confirmat *S. Gregorius magnus*, Paſtoralis P. 3. cap. 12. „ „ Laudandi ſunt ſimplices (*inquit*) quod ſtudeant nonnunquam falſa dicere, ſed admonendi ſunt, ut noverint nonnunquam vera reticere. Sicut enim ſemper dicentem falſitas lædit, ita nonnunquam quibuſdam audita vera nocuerunt. Admonendi ſunt igitur ſimplices, ut ſicut fallaciam ſemper utiliter vitant, ita veritatem ſemper utiliter proferant. Admonendi ſunt, ut ſimplicitatis bono prudentiam adjungant, &c „ „.

REGULA XIII.

Omnis ſimulatio proprie dicta peccatum eſt.

Simulatio proprie dicta fictio quædam eſt, qua quiſpiam certis factis, aut rebus ſignificat contrarium ejus, quod in animo habet; qui triſtis eſt verbi gratia, ſimulat ſe gaudentem, qui iratus placatum, qui inimicus amicum. Hanc ſimulationem ſemper eſſe peccatum, docet *S. Thomas*, ſecunda ſecundæ, qu. 111. art. 1. „ „. Ad virtutem (*inquit*) veritatis pertinet, ut quis talem ſe exhibeat exterius per ſigna ex- De ſimulatione.

teriora, qualis eſt. Signa autem exteriora non ſolum ſunt verba, ſed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quam quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum, aliquid ſignificet contrarium ejus, quod in eo eſt; quod proprie ſimulatio dicitur. Unde ſimulatio proprie eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto. Unde cum omne mendacium ſit peccatum, conſequens eſt etiam, quod omnis ſimulatio eſt peccatum „.

Simulatio improprie dicta eſt fictio ſive ad aliquid ſignificandum, ſive ad occultandum verum, quod aperire minime neceſſe eſt; & hæc non eſt peccatum. De priori fingendi modo *S. Auguſtinus* libro 2. quæſtionum Evangelicarum, quæſtione 51. „ Non omne (*inquit*) quod fingimus, mendacium eſt; ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat (*nihil ſimile veri*) tunc eſt mendacium. Cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ a ſapientibus, & ſanctis viris, vel etiam ab ipſo Domino figurate dicta ſunt, mendacia deputabuntur, quia ſecundum uſitatum intellectum non ſubſiſtit veritas talibus dictis. Non enim homo, qui habuit duos filios, quorum junior accepta parte patrimonii ſui profectus eſt in regionem longinquam, & cætera, quæ in illa narratione contexuntur, ita dicuntur, tanquam fuerit quiſquam homo, qui hoc in filiis ſuis duobus aut paſſus ſit, aut fecerit. Ficta ſunt ergo iſta ad rem quamdam ſignificandam, tam longe, lateque majorem, & tam incomparabiliter differentem, ut per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam; unde eſt etiam illud ejuſdem Domini, quod in fici arbore quæſivit fructum eo tempore, quo illa poma nondum eſſent. Non enim dubium

bium eſt, illam inquiſitionem non fuiſſe veram; quia via enim hominum iciret, ſi non divinitate, vel tempore poma illam arborem non habere. Fictio igitur, quæ ad aliquam veritatem refertur, figura eſt; quæ non refertur, mendacium eſt „„. Ad veritatem aliquam ſignificandam Chriſtus *Finxit ſe longius ire*; hoſpitalitatis ſcilicet officio ad ſuam cognitionem pervenire poſſe homines intimavit, ut cum longius abſceſſerint ſuper omnes cœlos ita tamen cum eis ſit, qui hæc exhibent ſervis ejus, ut cum dicere cœperunt: *Domine, quando te vidimus hoſpitem, & abduximus te?* tanquam eum, qui longe abſceſſerat; reſpondeat ille: *Cum uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ita S. Auguſt. Matth. 25.

De poſteriori fingendi modo, ſcilicet occultando verum, quod aperire minime neceſſe eſt, S. *Thomas*, ſecunda ſecundæ, quæſt. 111. art. 1. ad quartum reſpondet: „„ Sicut aliquis verbo mentitur, quando ſignificat, quod non eſt; non autem, quando taceat, quod eſt, quod aliquando licet; ita etiam ſimulatio eſt, quando aliquis per exteriora ſigna factorum, vel rerum, ſignificat aliquid, quod non eſt; non autem ſi aliquis prætermittat ſignificare, quod eſt. Unde aliquis poteſt peccatum ſuum occultare abſque ſimulatione, ne ſcilicet exinde alius ſcandalum generetur „„. Ita finxit Joſue poſitis inſidiis juxta urbem Hai, & impropriè ſimulavit metum, fugiens cum exercitu; non enim falſitatem hoc facto ſignificavit, ſed recedendo ſicut recedere ſolent, qui metuunt, & fugiunt, conſilium ſuum occultavit juſta de cauſa, abſque ſimulationis peccato. Ab hoc proinde vitio immunes ſunt, qui inſidiis in bello juſto utuntur, & veſtes, vel ſigna militaria hoſtium aſſumunt, ut ſe, vel conſilia ſua occultent „„. Dupliciter aliquis poteſt falli ex facto, vel dicto alterius (*inquit S. Thomas*, ſecunda ſecundæ. qu. 40. art. 3.) Uno modo, ex eo quòd ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum; & iſtud ſemper eſt illicitum. Sic hoc modo nullus debet hoſtes fallere; ſunt enim quædam jura bellorum,

&

& fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda; alioquin do aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro, quia ei propoſitum, aut intellectum non aperimus. Hoc autem ſemper facere non tenemur; quia etiam in doctrina ſacra multa ſunt occultanda, maxime infidelibus, ne irrideant, ſecundum illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus.* Unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos paramus, ſunt eis occultanda. Unde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant. Et talis occultatio pertinet ad ratio-
nem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis „ „.

A ſimulationis peccato immunis pariter fuit *David*, cum ut perſonam ſuam occultaret *Achis* Regi Geth, coram eo os ſuum immutavit, & inter manus ſervorum ejus collabebatur, & impingebat in oſtia portæ, ſalivamque ſuam in barbam defluere ſinens, ſpeciem hominis inſani exhibebat. Præterquam quod factum illud David Propheticum fuit, Chriſtique humilitatem in Incarnatione, & myſticam vultus ejus immutationem in novo Sacrificio Corporis, & Sanguinis illius ſignificabat, ut explicat *S. Auguſtinus*, Enarratione 1. in Pſalmum 33.

Gal. 2. 14. „ „ Simulatio *vero* Petri, & Barnabæ, quæ gentes judaizare cogebant, merito reprehenſa, atque correcta eſt *a Paulo*, & ne tunc noceret, & ne poſteris ad imitandum valeret „ „ (inquit *S. Auguſtinus*, lib. *Contra Mendacium*, cap. 12.) Erant ſcilicet, qui putabant, atque prædicabant, quamvis jam recepto Chriſti Evangelio, legis veteris Sacramenta, & cæremonias obſervari neceſſario debere ad ſalutem, & eis ſimulate conſenſerant Petrus, & Barnabas, ideoque cogebant gentes judaizare. Id enim erat cogere; ſic ea neceſſaria prædicare, tanquam & recepto Evangelio nulla ſine illis ſalus eſſet in Chriſto. „ „ Hoc error quorumdam putabat, hoc timor Petri ſimulabat, hoc libertas Pauli redarguebat. *Quod ergo*, ait
1. Cor. 9. 22. ipſe Paulus; *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lu-*

cri-

crifacerem ; compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quiſque tanquam ille, cui vult ſubvenire, quando tanta miſericordia ſubvenit, quanta ſibi ſubveniri vellet, ſi eſſet ipſe in eadem miſeria conſtitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum, ſed quia ſe cogitat ſicut illum „„.

Nonnulla Sanctorum quorumdam hominum facta vix a ſimulationis vitio poſſunt excuſari. *S. Euſebius* Vercellenſis Epiſcopus, & Martyr, paratum ſe ad ſubſcribendum Arianæ perfidiæ ſimulavit, ut *Dionyſii* Mediolanenſis Epiſcopi ſubſcriptionem ab Arianis dolo obtentam deleret, ut refert auctor Sermonis 69. inter Ambroſianos. *S. Ambroſius* ad Mediolanenſem Epiſcopatum electus, ſe crudelem ſimulavit, reis contra conſuetudinem ſuam tormenta jubens adhiberi ; imo & impudicum, meretrices ad ſe ingredi curans, ut illis viſis populi ipſum Epiſcopum poſtulantis intentio revocaretur, ut refert *Paulinus* in ejus vita. *S. Joannes Eleemoſynarius*, & *S. Apollinaris*, Patriarcha Alexandrinus Eccleſiam hominī cuidam debitricem eſſe librarum auri quinquaginta ſimularunt, falſo contractu ſuppoſito, ut filio ejus patre orbato, boniſque omnibus deſtituto ſubveniretur ; teſtantur *Leontius* Neapolitanus in Cypro Epiſcopus in vita S. Joannis Eleemoſynarii, & *Joannes Moſchus* in Prato ſpirituali cap. 193. *S. Ephrem* Syrus cum Epiſcopus electus eſſet, eumque comprehendere conarentur, qui Decretum ordinationis attulerant, tanquam ad ordinationem ducturi, ſtatim in forum cucurrit, & indecore incedens, ac veſtem trahens, & in publico comedens, ſe pro inſano ſpectandum exhibuit. Ubi vero, qui illum comprehenſuri venerant, hominem mente captum eſſe arbitrati, appetere eum ulterius, ac perſequi deſtiterunt, ille opportunitatem nactus aufugit, & eo uſque delituit, donec alius ordinatus fuiſſet. Refert *Sozomenus* lib. 3. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, cap. 16. Palæſtinæ quidam monachi ſanctitate celebres, poſtquam aſſidua virtutis exercitatione, vacui ab animi perturbationibus

evaſi-

evaſiſſent, ad ſeculum redibant, & in media hominum multitudine inſanos ſe eſſe ſimulantes, maiorem gloriam conculcabant ut refert *Evagrius* lib. 1. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, cap. 21. *Simeon* Emiſſenus monachus ſtultitiam propter Chriſtum pariter ſimulavit, ut idem auctor refert lib. 4. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ*, cap. 24. *S. Flavianus* Antiochus Epiſcopus Meſſalianorum, ſive Enchitarum hæreſim ſimulatione detexit, teſte *Theodoreto* lib. 4. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 10. Plura alia exempla congeri poſſunt.

Verum hujuſmodi ſimulationes peccata fuiſſe minime negandum eſt, quæ tamen charitas eximia, & ardentiſſima Sanctorum illorum hominum operuerit, atque deleverit. „ Non omnia, quæ a ſanctis, vel juſtis viris legimus facta, transferre debemus in mores; ſed hinc diſcere, quam late pateat, & ad quos uſque perveniat, quod Apoſtolus ait: *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, intendens te ipſum, ne & tu tenteris.* Præoccupationes enim ſunt iſtæ, in quibus delinquitur, cum quid faciendum ſit, aut ad horam non videtur, aut & qui viderit, vincitur; ut ſcilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas „ (*inquit S. Auguſt.* libro *Contra Mendacium*, cap. 9. Hæc igitur facta etſi ſuſpicienda ſint, non tamen imitanda, *ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla* (inquit *S. Auguſtinus.*)

Gal. 6.

Hujus explicationem Regulæ a *S. Thoma* cœptam, ex eodem abſolvamus Quodlibeto 6. qu. 9. art 3. „ Peccatum mendacii (*inquit*) principaliter conſiſtit in intentione fallendi.... Unde cum eadem intentio fallendi ſit in eo, qui mentitur verbo, & in eo, qui mentitur facto, uterque æqualiter peccat. Verbum enim, & factum aſſumuntur, ut inſtrumenta fallendi. Unde non refert quantum ad peccatum mendacii, utrum aliquis verbo, vel ſcripto, vel nutu, vel quocunque facto mentiatur; ſicut non refert quantum ad peccatum homicidii, utrum quis gladio, vel ſecuri interficiat hominem „ m. Gra-

Graviſſimum autem peccatum eſt ſimulatio in materia religionis; qualis fuit illa *Jehu*, qui ſe Idolum Baal colere velle, ipſique ſacrificium offerre ſimulavit, 4. *Regum* 10. Neque vero ob illam ſimulationem laudatur, ſed quod voluntatem Dei ſit executus, delendo domum Achab, & interficiendo Sacerdotes Baal: *Dixit Dominus ad Jehu: Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.* Unde *S. Auguſt.* libro *Contra mendacium*, cap. 2. ſimulationem illam Jehu *Mendacium impium* vocat. „ „ Cum vero ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum Deo; quid ei profuit, quod pro nulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit „ „? Hac in re *S. Auguſtino* aſſentiendum potius, quam *S. Hieronymo* in cap. 2. ad Galatas dicenti: „ Utilem ſimulationem, & in tempore aſſumendam, Jehu Regis Iſrael nos doceat exemplum, qui finxit ſe velle idolum colere „, ut interficeret Sacerdotes Baal. Aſſentiendum (inquam) *S. Auguſtino*, quia ejus ſententia legi Dei omnino conſona eſt; in eamque deſcendit tandem *S. Hieronymus*, qui & ab omni mendacio abhorrendum docuit, cum moralis chriſtianæ regulas tradit, ut Epiſtola ad *Lætam* de inſtitutione filiæ: „ „ Nutriatur in monaſterio, ſit inter virginum choros, jurare non diſcat, mentiri ſacrilegium putet. *Et Epiſtola ad* Celantiam *ait*: Mentiri, atque jurare lingua tua prorſus ignoret; tantuſque in te ſit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes „ „.

Simulatio in materia religionis graviſſimum peccatum.

4. Reg. 10. 29.

REGULA XIV.

Lethalis peccati reus eſt, qui vi tormentorum, vel ad ea vitanda, ſe reum criminis fatetur, cum ſit innocens.

Falſi

Falſi enim teſtimonii, & calumniæ in ſeipſum reus eſt. Id confirmat *S. Hieronymus* in Epiſtola *De Muliere ſepties icta*, quæ ſcilicet accuſata adulterii a marito, & cum juvene, qui conſors criminis dicebatur, judici tradita, illo confitente, quamvis inſons eſſet, capiteque plexo, invictæ fortitudinis exemplum præbuit. Cujus conſtantiam, & odium peccati, atque mendacii muneravit Deus, miraculo ſervans incolumem, cum gladio ſepties a carnifice icta eſſet. „ „ At vero (*inquit*) mulier ſexu fortior ſuo, cum equuleus corpus extenderet, & ſordidas fœtore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent; oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum, & volutis per ora lacrymis: Tu (*inquit*) teſtis es, Domine Jeſu, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis, & cordis, non ideo me negare velle, ne peream; ſed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miſer homo, ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipſa cupio mori, cupio inviſum hoc corpus exuere, ſed non quaſi adultera. Præſto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quiſquis victurus occiditur „ „.

Suſcipienda igitur, & imitanda charitas *S. Heimerammi* Ratiſponenſis Epiſcopi, non imitandum, quod dedit, affingendi ſibi ſtupri conſilium, quod ejus Martyrio dedit occaſionem. Rem ita refert vitæ ejus auctor apud *Surium*, ad diem 22. Septembris: „ „ Theodonis Ducis filia Ota, vel Uta, libidine, & diaboli incitamentis victa, a Sigibaldo cujuſdam Ducis filio prolem concepit. Ambo vero magno animi dolore ob facinus perpetratum affecti, cum jam res diutius celari non poſſet, ſanctiſſimi Heimerammi Epiſcopi pedibus advolvuntur. Vir ſanctus acriter reprehendit eos, indictaque eis ſatisfactione, nolens eis humanitatis, & pietatis negare ſubſidia, ſecreto eis mandat, ut in ipſum illud crimen conferant, quo ſic facilius poſſint evadere pœnas. Noverat enim venerandus Pontifex, ſi crimen publicatum eſſet, nul-

nullo pacto a patre puellæ ſe illis veniam impetraturum. Itaque crimen alienum ſibi imputari voluit, ut pœnam, quam reformidabant, ab illis averteret „„. Cæterum antequam Martyrium ſubiret, inſontem ſe eſſe conteſtatus eſt, & cauſam ſuam ad romani Pontificis tribunal defetti poſtulavit, cui ſuam innocentiam probaret.

REGULA XV.

Specie humilitatis mentiri, peccatum eſt.

Hanc Regulam tradit *S. Auguſt.* Serm. 181. alias 29. *De Verbis Apoſtoli*, cap. 4. „„ Cum (*inquit*) humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Veritas in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, ut etiam eſſe cogniſcas. Veritas autem ipſa eſt, ut, quod es, dicas. Nam quomodo eſt humilitas, ubi regnat falſitas? *Et Tractatu* 41. *in Joannem* Arrogantia (*inquit*) non ita cavetur, ut veritas relinquatur „„. Refert *Gratianus* cauſa 22. quæſt. 2. can. 9. & 10.

Eamdem Regulam confirmat *S. Gregorius magnus*, libro 26. *Moralium* cap. 3. „„ Incauti ſunt humiles (*inquit*) qui ſe mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant; imo mentiendo ſuperbiunt, qui contra veritatem ſe erigunt, quam relinquunt. Qui enim neceſſitate cogente, vera de ſe bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto & veritati ſociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falſos Apoſtolos tot de ſe diſcipulis fortia geſta narravit? Qui nimirum veritati inimicus exiſteret, ſi abſcondendo virtutes proprias prædicatores errorum prævalere permiſiſſet „„. Refert *Gratianus* ibidem, Canone 11.

Idem confirmat Valentia Synodus, anno trecenteſimo ſeptuageſimo quarto celebrata, Canone quarto, quo a ſacris Ordinationibus excludit eos, qui mortale crimen de ſeipſis dixerint, quamvis id forte

falſum ſit, & humilitatis ſpecie mentiantur. „ „ Nec illud, Fratres, ſcribere alienum ab Eccleſiæ utilitate cenſuimus, ut ſciretis, quicunque ſe ſub ordinatione, vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint eſſe pollutos, a ſupradictis ordinationibus ſubmovendos reos, ſcilicet, vel veri confeſſione, mendacio falſitatis. Neque enim abſolvi in his poteſt, quod dictum in alios punietur; cum omnis, qui ſibi fuerit mortis cauſa major homicida ſit „ „.

Id denique confirmat S. anachoreta *Joannes*, quem cum inviſerent juvenes pietate conſpicui, quorum unus Diaconus erat, ſed ordinis ſui inſignia nulla præſeferebat, ne quis ipſi honor exhiberetur: „ „ Digito oſtendens eum: Hic (*inquit*) Diaconus eſt. Et cum adhuc negare tentaret, apprehendens eum manu ſua oſculatur, & dixit: Noli, fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium. Cavendum namque eſt omnino mendacium, ſive pro malo, ſive etiam pro bono proferri videatur; quia omne mendacium non eſt a Deo, ſed ſicut Salvator dicit: *A malo eſt* „ „. Refert *Ruffinus* lib. 1. *De Vitis Patrum.*

REGULA XVI.

Adulatio ſemper peccatum eſt.

Qui enim falſis laudibus alicui blanditur, aut veris etiam laudibus ipſum delectare ſtudet, ſed modum tamen excedit, veritati facit injuriam, & coram Deo loquens mentitur; imo & illi, quem laudat, injuriam infert. Nam & Deum ita laudare, falſum teſtimonium adverſus Deum eſſet, ut docet Apoſtolus 1. Cor. 15. *Si Chriſtus* (inquit) *non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra... invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum.* Hinc *S. Hier.* lib. 1. *Contra Pelagianos* ait: „ Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio, pulchreque apud „ Phi-

„ Philoſophos definitur, blandus inimicus „. Et Epiſtola ad *Celantiam*, quam S. Paulino Nolano Epiſcopo alii adſcribunt: „ „ Adulatorum quoque aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quaſdam peſtes animæ fuge. Nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci, & molli vulnere animam feriat. Unde & quidam ſapiens ait: *Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris.* Et Dominus loquitur per Prophetam: *Populus meus, qui beatificant vos, ſeducunt vos, & ſemitas pedum veſtrorum.* In multis, iſto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque eſt graviſſimum, humilitatis, ac benevolentiæ loco ducitur. Eo fit, ut qui adulari neſcit, aut invidus, aut ſuperbus putetur. Eſt ſane grande, & ſubtile artificium laudare alterum in commendationem ſui, & decipiendo animum ſibi obligare decepti, quodque hoc maxime vitio agi ſolet, fictas laudes certo pretio vendere „.

Adulatio peſtis animæ.

Iſai. 3.

Hinc *S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 69. ad illum verſum: *Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, Euge, euge*, ait: „ Duo ſunt genera perſecutorum, „ vituperantium, & adulantium. Plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris „. Et in Pſalmum 140. ad illa verba: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*; ait: „ Falſa laus adulatoris, hoc eſt oleum peccatoris... Oleum gloria eſt, fulget, nitet in ſuperficie. Sed bona debet eſſe gloria, & vera gloria, ut ſit intus in vaſis ſuis. Audi, quid eſt in vaſis? *Probet autem ſeipſum homo; & tunc in ſemetipſo habebit gloriam, & non in altero.* Audi ipſum Apoſtolum: *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*... Sed quid facio, dicis mihi? Patior adulatores, non ceſſant perſtrepere, laudant in me, quæ nolo, quæ ego parvipendo, laudant in me, quod ego charum habeo, reprehendunt in me adulatores, fallaces, deceptores. Magnus vir ille, doctus, ſapiens, ſed quare Chriſtianus? Nam magna doctrina, & magnæ literæ, & magna ſapientia: ſi magna ſapientia, approba, quod Chriſtianus eſt. Si magna doctrina,

Laus adulatoris, oleum peccatoris.

Gal. 6.

2. Cor. 1.

docte elegit. Poſtremo quod tu vituperas, hoc ei placet, quem laudas. Sed quid? Laudatio illa non indulcat, oleum peccatoris eſt. Sed non ceſſat dicere. Non inde impinguet caput tuum; id eſt, noli gaudere ad talia, noli annuere, noli conſentire, noli inde gratulari; & ſi ille attulit oleum adulationis, ſed caput tuum integrum manſit, non inflatum eſt, non tumuit. Si enim inflatum fuerit, & tumuerit, facit pondus, & præcipitat te. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum „ „.

Eamdam regulam confirmat *S. Thomas*, ſecunda ſecundæ, qu. 115. art. 1. in reſponſione ad primam objectionem. „ „ Laudare aliquem (*inquit*) contingit, & bene, & male, prout ſcilicet debitæ circumſtantiæ, vel ſervantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum conſoletur, ne in tribulationibus deficiat, vel etiam, ut in bono proficere ſtudeat, aliis debitis circumſtantiis obſervatis, pertinebit hoc ad virtutem amicitiæ. Pertinet autem ad adulationem, ſi quis velit aliquem laudare, in quibus non eſt laudandus; quia forte mala ſunt, ſecundum illud Pſalmi 9. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ*; vel quia non ſunt certa, ſecundum illud Eccleſiaſtici 27. *Ante ſermonem non laudes virum.* Et iterum Eccleſiaſtici 11. *Non laudes virum in ſpecie ſua*; vel etiam ſi timeri poſſit, ne humana laude ad inanem gloriam provocetur. Unde dicitur Eccleſiaſtici 11. *Ante mortem, ne laudes hominem.* Similiter etiam velle placere hominibus propter charitatem nutriendam, ut in ea homo ſpiritualiter proficere poſſit, laudabile eſt. Quod autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam, vel propter lucrum, vel etiam in malo, hoc eſſet peccatum, ſecundum illud Pſalmi 52. *Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent.* Et Apoſtolus dicit ad Galatas 1. *Si adhuc hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem* „ „.

Adde & illud ejuſdem Apoſtoli 1. ad Theſſalonicenſes 2. *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo,*

Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis; neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt; nec quærentes ab hominibus gloriam; neque a vobis, neque ab aliis. Nec repugnat, quod ait 1. ad Corinthios 10. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*: non enim adulando placebat, ſed omnium utilitates ſpiritales, & ſalutem procurando: *Non quærens* (inquit) *quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* Unde *S. Auguſtinus* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 1. „ „ Non ideo (*inquit*) recte faciebat, ut placeret hominibus, ſed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipſo, quo placebat hominibus. Itaque & non ſe placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipſo, ut Deo placeret, intuebatur; & placendum eſſe hominibus recte præcipiebat, non ut hoc appeteretur tanquam merces recte factorum, ſed quia Deo placere non poſſet, qui non ſe iis, quos ſalvos fieri vellet, præberet imitandum: imitari autem illum, qui ſibi non placuerit, nullo pacto quiſquam poteſt „ „.

REGULA XVII.

Proximo adulari, vel ejus laudando peccata, vel animo decipiendi, ac nocendi, vel præbendo ipſi ruinæ occaſionem, lethale peccatum eſt.

Adulatio triplici modo adverſatur charitati.

Hanc regulam explicat *S. Thomas*, ſecunda ſecundæ, qu. 116. art. 2. „ „ Peccatum mortale eſt (*inquit*) quod charitati contrariatur. Adulatio autem quandoque quidem charitati contrariatur, quandoque non. Contrariatur ſiquidem charitati tripliciter: Uno modo ratione ipſius materiæ; puta, cum aliquis laudat alicujus peccatum. Hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus juſtitiam homo loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde eſt peccatum mortale, ſecundum illud Iſaiæ 5. *Væ, qui dicitis malum bonum* „ „. Quo pertinet etiam illud Pſalmi 9. *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* In quem locum *S.*

Auguſtinus ait: „ Adulantium linguæ alligant animas peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur „. Quam ſententiam exprimit *S. Proſper* Epigrammate 86.

Lingua aſſentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla ſit ut lapſo reparandæ cura ſalutis,
Blanditur ſonti dum male ſuaſus honor.
Libera ſit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena ſinat,
Nec credens medici verbis fallacibus æger,
Noxia laudata vulnera peſtis amet.

Eodem pertinet illud Ezechielis oraculum *cap.* 13. *Hæc dixit Dominus Deus: Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Quem locum *S. Gregorius magnus* expendens lib. 18. *Moralium*, cap. 4. „ Sunt (*inquit*) nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur: *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis.* Ad hoc quippe pulvillus ponitur; ut mollius quieſcatur. Quiſquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum ſub capite, vel cubito jacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat. Hinc Ezech. 13. rurſum ſcriptum eſt: *Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum.* Parietis quippe nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem, eſt contra ſe quæpiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quod illi perverſe agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant „. Hinc Salomon, ait Prov. 17. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt ante Deum.* Et Job 27. *Abſit a me* (inquit) *ut juſtos vos eſſe judicem; donec deficiam; non recedam ab innocentia mea.* Ab innocentia quippe recederet, ſi bona de malis æſtimaret (inquit ibidem *S. Gregorius.*)

Et

Et lib. 4. cap. 25. Ubi tres mortuos a Domino ſuſcitatos tria peccantium genera ſignificare dixit, continuo ſubdit: „„ Quartum vero mortuum Redemptor noſter nuntiante diſcipulo agnoſcit, nec tamen ſuſcitat; quia valde difficile eſt, ut is, quem poſt uſum malæ conſuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt, a mentis ſuæ morte revocetur. De quo & bene dicitur; *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Mortui enim mortuos ſepeliunt, cum peccatores peccatorum favoribus premunt. Quid eſt enim aliud peccare, quam occumbere; & ſepelire, quam abſcondere? Sed qui peccatum laudibus proſequuntur, extinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondunt „„. Et lib. 34. cap. 12 explicans hæc verba Job 41. de Leviathan, id eſt, diabolo, dicta; *Sub ipſo erunt radii ſolis*, ait: „„ Solis radii ſub ipſo ſunt, cum nonnulli etiam docti viri ſapientiæ ſuæ acumina non libere agendo ſublevant, ſed ad veſtigia Leviathan iſtius, & perverſitate operis, & blandimento adulationis inclinant; ut intelligentia, quæ illis ſicut ſol deſuper fuit ex cœleſti munere, antiqui-hoſtis pedibus ſubſternatur ex terrena cupiditate. Unde & nunc cum quiſque ſapientium, atque Doctorum pro commodo, vel gloria vitæ temporalis per adulationis lapſum terrenis ſe poteſtatibus prave agentibus ſubjicit, quaſi ſub veſtigiis venientis Antichriſti ſolis ſe radius ſternit „„. Luca 9.

Peſſimi illi adulatores *comedere peccata populi* dicuntur *Oſee* 4. interprete S. Hieronymo: „„ Peccata (*inquit*) populi devorant, conſentientes ſceleribus delinquentium; quia cum eos peccare perſpexerint, non ſolum non arguunt, ſed laudant, atque ſuſtollunt, & beatos prædicant. De quibus & Iſaias loquitur; *Populi meus, qui beatos vos dicunt, ſeducunt vos, & ſemitas pedum veſtrorum ſupplantant.* De his & per Pſalmiſtam clamat: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur* „„. Hi vitia virtutum nominibus cohoneſtant, temeritatem fortitudinis, ignaviam moderationis, avaritiam Iſai. 3. Pſal. 9.

parſimoniæ, prodigalitatem liberalitatis, ſcurrilitatem, & turpiloquium urbanitatis, ac leporis vocabulo adornant. „ „ Aliquis diffluit, lætus vocatur; avarus eſt, & dicitur de eo, quia ſervat rem ſuam: vindicat ſe de inimico, cum dictum ſit: Dimitte, ut dimittatur tibi; & fortis vocatur. Sic conſidera cætera, quemadmodum adulatores habeant verba fallacia, habeant nomina laudis; ipſa eſt unctio peccatoris „ „. Verba ſunt *S. Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi Serm. 56. in Auguſtiniana Appendice nunc 253. alias 12. ex Homiliis quinquaginta. Hi canibus ulcera Lazari lingentibus, ſed non ſanantibus aſſimilantur; unde *S. Gregorius magnus* Homilia 40. in Evangelia, ait: „ „ Poteſt per linctionem canum lata adulantium lingua ſignari. Adulantibus etenim vulnera noſtra lingere eſt, quod plerumque ſolent etiam ipſa mala, quæ in nobis reprehendimus, improbo favore laudare „ „.

Secundo charitati repugnat adulatio (inquit S. Thomas) „ „ ratione intentionis, puta, cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel ſpiritualiter; & hoc etiam eſt peccatum mortale; & de hoc habetur Proverbior. 27. 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis* „ „. Quo de genere adulationis Concilium Carthaginenſe 4. Canone 56. ita decernit: „ Clericus, qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur „ „. Quem Canonem explicat *S. Thomas* de eo: *Qui proditorie alteri adulatur, ut eum decipiat.* Tales ſunt, qui mulieribus ingenuis adulantur, ut eas ad peccatum pertrahant; tales perfidi illi aulici, qui blandiuntur optimo Principi, ut ipſius conſilia hoſtibus revelent, ut illum prodant, e ſolio deturbent, uſurpatoris, ac tyranni res promoveant, auxilia magni Regis ad ipſius uſurpatoris depulſionem, & legitimi Principis reſtitutionem, ac tuitionem deſtinata diſturbent, intervertant.

De primo, & ſecundo illo adulationis genere Concilii

cilii Tridentini Catechiſmus ita docet: „„ Peccant in hanc partem blandi homines, & aſſentatores, qui blanditiis, & ſimulatis laudibus influunt in aures, & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut eſt apud Prophetam: *Malum bonum, & bonum malum*; quos ut arceamus, & pellamus a conſuetudine noſtra, monuit nos David illa oratione: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quamquam enim iſti proximo minime maledicunt, tamen ei maxime nocent, qui vel laudandis ejus peccatis afferunt ipſi cauſam perſeverandi in vitiis, quamdiu vixerit „„. Iſai. 5. Pſal. 140.

„„ Et quidem in hoc genere illa eſt aſſentatio deterior, quæ ad proximi calamitatem, & perniciem adhibetur. Sic Saul, cum Davidem furori, & ferro Philiſtæorum objicere cuperet, ut occideretur, illi blandiebatur his verbis: *Ecce filia mea major Merob, ipſam dabo tibi uxorem, Tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* Sic Judæi inſidioſa oratione Chriſtum Dominum ſunt affati: *Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces* „„. 1. Reg. 18. Matth. 22. Marc. 12.

„„ Longe autem pernicioſior oratio eſt amicorum, affinium, & cognatorum, qua ad eum interdum utuntur aſſentatorie, qui mortifero morbo affectus, jam ſit extremo ſpiritu; dum affirmant, nullum eſſe tum ei a morte periculum, dum lætum, & hilarem eſſe jubent, eumque a peccatorum confeſſione, tanquam a triſtiſſima cogitatione detorrent; dum denique ejus animum avertunt ab omni cura, & meditatione extremorum periculorum, in quibus maxime verſatur „„.

Tertio, charitati repugnat adulatio (inquit S. Thomas) „„ Per occaſionem; ſicut cum laus adulatoris fit alteri occaſio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Et in hoc conſiderare oportet, utrum ſit occaſio data, vel accepta, & qualis ruina ſubſequatur; ſicut poteſt patere ex his, quæ ſupra de ſcandalo dicta ſunt „„. De hoc adulatorum genere *Caſ-*

ſiodorus in Pſalm. 140. Verſum illum explicans, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, ait: „ Oleum peccatoris eſt dilectio ſimulata verborum, quæ adulationibus, & blandimentis noſtras mentes velut olei pinguedo leniter ingrediens, rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti oſtentatione perducit „. Ad eumdemque ſenſum refert, quod Pſalmo 54. ſcriptum eſt: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Et Proverbiorum 18. Verſ. 8. *Verba bilinguis quaſi ſimplicia* (vel ut ipſe Caſſiodorus legit juxta Verſionem 70. Interpretum) *Verba adulatorum mollia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Hoc adulatorum genus locuſtis comparat S. *Gregorius magnus* lib. 31. *Moralium*, cap. 12. „ Locuſtæ vocabulo (*inquit*) lingua adulantis exprimitur; quod exhibitæ cœlitus Ægyptiæ plagæ teſtantur, quæ exigentibus meritis corporaliter ſemel illatæ ſunt; ſed quæ mala pravas mentes quotidie feriant, ſpiritualiter ſignaverunt. Scriptum namque eſt: *Ventus urens levabat locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper univerſam terram Ægypti; operueruntque univerſam faciem terræ, vaſtantes omnia. Devorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit.* Quid autem per ſignificationem locuſtæ protendunt, quæ pluſquam cætera minima quæque animantia humanis frugibus nocent, niſi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, ſi quando bona aliqua proferre conſpiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? Fructus quippe Ægyptiorum eſt operatio cœnodoxorum, quam locuſtæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes tranſitorias cor operantis inclinant. Herbam vero locuſtæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorumdam jam quaſi fortium & opera enervant „.

Exod. 10.

Id eſt, eorum, qui vanæ gloriæ ſtudio opetantur.

De his *Agapetus* Diaconus in capitulis Paræneticis ad *Juſtinianum* Imperatorem, Tom. 9. Bibliothecæ Patrum Lugdun. editis, cap. 12. „ Averſare (*inquit*)

quit) adulatorum pellaces ſermones, ut corvorum rapaces mores. Illi namque corporis effodiunt oculos, iſti autem animæ hebetant cogitatus, cum non permittant perſpicere rerum veritatem. Vel enim commendant nonnunquam, quæ reprehenſione digna ſunt, vel plerumque reprehendunt, quæ omni laude ſunt majora; ut de duobus alterum ab ipſis committatur, aut pravorum laus, vel contumelioſus bonorum contemptus „.

Denique *S. Bernardus*, Sermone 63. in Cantica, *Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* ſpirituales, id eſt, animas juſtorum, quibus virtus vitis, botrus bonum opus, vinum teſtimonium conſcientiæ, lingua torcular expreſſionis, adulatores non minus quam detractores interpretatur. „ Peſſima vulpes (*inquit*) „ occultus detractor, ſed non minus nequam adula„tor blandus. Cavebit Sapiens ab his „.

Si quis autem ex ſola aviditate alios delectandi, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel conſequendum aliquid in neceſſitate alicui fuerit adulatus, non eſt contra charitatem. Unde non eſt mortale peccatum, ſed veniale (inquit *S. Thomas*.)

REGULA XVIII.

Judicium temerarium, pravaque opinio, ac ſuſpicio deliberata de proximo in re gravi lethalia peccata ſunt.

De judicio temerario.

Peccatum enim, quo charitas, & juſtitia violantur, mortale eſt; judiciis porro temerariis, ac ſuſpicionibus deliberatis de malitia proximi in re gravi, juſtitia, & charitas violantur. Juſtitia quidem, quia jus habet unuſquiſque, ut de ipſo recte ſentiant alii, quamdiu ejus malitia gravibus, ac ſufficientibus argumentis, live indiciis non probatur: Charitas vero, quia ex odio, vel contemptu proximi judicia illa temeraria, ſuſpicioneſque deliberatæ in materia gravi, ut plurimum, oriuntur. Judicium itaque temerarium, ſeu definita, firmaque ſententia de malo proximi, in re

re gravi, ex levibus indiciis, in interiori mentis tribunali prolata, necnon & dubitatio, ſeu ſuſpicio ex ſimilibus indiciis concepta, legi naturæ adverſantur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nemo enim ſe malum inconſiderate, & abſque ratione judicari, nemo probitatem ſuam abſque cauſa legitima, & ſufficiente in dubium vocari velit. Adverſantur & præcepto divino de proximi dilectione, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Cum igitur in mente tua oritur cogitatio, & opinio repentina, vel ſuſpicio de malitia proximi, in re gravi, & ex levibus quidem indiciis, abſque deliberatione, veniale peccatum eſt, & ad humanam tentationem pertinens, cum aſſenſus non ſit omnino, ac plene voluntarius. At vero ſi animadvertas, vel etiam advertere poſſis grave malum eſſe proximi, de quo judicare, dubitare, vel ſuſpicari cœpiſti, leviaque eſſe indicia, ſigna, argumenta, ſeu fundamenta pravi illius judicii, ſive dubitationis, ſuſpicioniſve tuæ, neque tamen illa retractes, & coerceas, ſed ipſis aſſentiri pergas, & pertinaciter adhærere, mortalis peccati reus es.

Materia gravis cenſetur non ſolum peccatum mortale, ſed etiam veniale, ſtatu, & qualitate perſonæ conſideratis; ut ſi Sacerdotem, vel religioſum virum ex conſuetudine mentiri, ſacros ritus, aut regulares obſervantias negligere, canonici officii penſum quotidianum perfunctorie perſolvere, ludo magis quam ſacris ſtudiis indulgere; Sanctimonialem munditiam veſtis ad inanem gloriam affectare, vanos in locutorio cum ſecularibus miſcere ſermones, libros nugis, fabulis, vanitate refertos, aut curioſos duntaxat, non pios legere; orationi mentali non vacare, judices, opineris, vel ſuſpiceris. Imo & illud quod nullum peccatum eſt, poteſt eſſe materia gravis, ſi nimirum vergat in grave detrimentum proximi, quoad famam, honorem, bona fortunæ, ſpectata perſonæ qualitate; verbi gratia, ſi virum catholicis, & honeſtis parentibus natum temere judices, aut ſuſpiceris eſſe nothum, ac ſpurium, vel ex Judæis,

aut

aut hæreticis progenitum, ob idque ipſum contemnas, aut honoribus, vel officiis indignum exiſtimes, aut illum fatuum judices, qui nulla amentiæ ſigna dedit, aut certe levia, & ad fundandum judicium minime ſufficientia, ipſumque propterea contemnas, mortalis peccati reus es.

Quod ſpectat indicia, quibus movetur aliquis ad judicium, dubitationem, aut ſuſpicionem de malitia proximi, levia illa cenſentur, quæ, ſpectata facti, & perſonæ qualitate, aliiſque circumſtantiis, non ſufficiunt ad movendum virum prudentem, & probum, ut de proximo ſic judicet, dubitet, vel ſuſpicetur. Gravia vero, quæ his omnibus conſideratis, virum prudentem, ac probum movere poſſunt ad hujuſmodi judicia, opiniones, ac ſuſpiciones. Atque præter circumſtantiam facti, conſideranda eſt circumſtantia perſonæ, tum illius, de qua judicatur, tum illius, quæ delictum alterius narrat. Indicium enim, quod in uno grave eſt, in altero eſt leve; nam ſi perſona, de qua judicatur, conſuetudine illius peccati devincta eſt, cujus ipſam ream putas, vel ſuſpicaris, minora ſigna, & indicia ſufficient ad fundandum judicium, vel ſuſpicionem de illo, quam de altero; ſi v. g. videas juvenem petulantem, & luxurioſum ſecreto cum meretrice colloquentem, grave argumentum eſt, quo judicetur illum de libidine cogitare; ſi virum gravem, & vitæ, famæque integerrimæ ita loquentem videas, leve, ac inſufficiens indicium eſt, cum potius judicare debeas ipſum cum muliere loqui de re ſeria, & bona, & forte de ipſius converſione. Similiter ſi perſona, quæ alterius peccatum narrat, ſit gravis, & proba, nec aliis detrahere, aut falſos rumores ſpargere ſolita, nec ipſi ſubinſenſa, aut adverſus illum commota, grave indicium eſt, quod judices alterum tale peccatum commiſiſſe, præſertim ſi homo vulgaris eſt, aut nullius nominis, de quo probabile ſit ſimilia commiſſurum. Si vero alter ille, de quo delictum narratur, ſit etiam perſona probitatis opinione, & vitæ integritate commendata, non eſt fundamen-

mentum ſufficiens judicii, vel opinionis, ſed ad ſummum dubitationis extremas inter opiniones ſuſpenſæ; forte fecit, quia alioquin talis non aſſereret; forte non fecit, quia vir probatus eſt, & qui refert, decipi poteſt. Conſiderari etiam debet circumſtantia temporis. Nam ſi videas hominem ædes alienas perfodientem, per feneſtras aſcendentem, aut ſcalas eis admoventem, idque noctu, clam, & furtim, ſufficiens indicium eſt, ut judices eum, vel furandi, vel alterius flagitii perpetrandi cauſa id agere; ſi autem videas aliquem interdiu, palam, & ſub omnium oculis id facientem, non eſt ſufficiens argumentum, ut mali aliquid ſuſpiceris. Conſideranda eſt & circumſtantia loci. Si enim in oppido, ubi ædes plurimæ ſunt, videas aliquos noctu armatos huc illuc circumcurſare, quibus tamen non incumbit excubias agere, cuſtodire civitatem, aut obſervare malefactores, non leve indicium eſt, quo facinoroſos homines eſſe judices, ad aliquem occidendum, aut percutiendum comparatos. Si videas adoleſcentem, & adoleſcentulam concubia noctis, clam, & in obſcuro loco colloquentes, & petulanter colludentes, mutuiſque amplexibus, & oſculis indulgentes, quos tamen conjuges non eſſe certo noſti, non temere judicaveris aliquid mali ſubeſſe. Secus ſi ſolum quidem cum ſola videris colloquentem, ſed honeſte, ac loco patente.

Cæterum aliud eſt judicium de opere, aliud judicium de perſona. Si quis videat aliquem operi illicito vacantem, aut verba ſcurrilia proferentem audiat, credatque opus, aut ſermonem hujuſmodi eſſe peccata mortalia, adeoque illum eſſe mortalis peccati reum, non profert judicium temerarium, quia non fallitur in judicio de perſonis, ſed de rebus. Si vero in operibus dubiis, aut venialibus illum ex prava intentione mortaliter peccare exiſtimet, vel deliberate ſuſpicetur, in judicium temerarium incurret. Gravius porro peccatum erit, & detractionis malitia cumulatum, ſi judicium temerarium, vel pravam ſuſpicionem mente conceptam aliis aperuerit.

Ju-

Judicium temerarium, ſuſpicionemve temerariam plene deliberatam, in re gravi eſſe gravia peccata, & mortalia, colligitur ex verbis Chriſti, Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Joan. 7. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Divino itaque judicio condemnabuntur, qui temere de proximo judicaverint. Apoſtolus etiam in temere judicantes graviter invehitur, ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Et 1. ad Corinth. 4. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et S. Jacobus Epiſtola catholicæ cap. 4. *Qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. . . Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Chriſtus, & Apoſtoli damnant illa de proximo judicia, in quæ frequenter incidunt homines, & ex quibus detractiones, ut plurimum, oriuntur. Hæc autem ſunt non ſolum certæ, firmæque ſententiæ de malo proximi, ſed etiam opiniones, & ſuſpiciones deliberatæ. Præterea, paris ſceleris eſt judicare fratrem, & judicare legem. At mortale peccatum nemo eſſe negaverit, non tantum certa, firmaque ſententia exiſtimare legem eſſe malam, ſed etiam id deliberate opinari, vel ſuſpicari, ſeu dubitare de bonitate, & juſtitia legis; itaque peccatum mortale eſt pari ratione, non tantum apud ſe certa, firmaque ſententia judicare, ac damnare fratrem tanquam improbum, ſed etiam opinione, vel ſuſpicione deliberata de illius probitate dubitare ex levibus indiciis. Hinc 1. ad *Timoth.* 6. inter peccata mortalia *Suſpiciones malæ* recenſentur. Hinc inter notas charitatis 1. ad Corinth. 13. habetur, quod *Non cogitat malum*, id eſt, ut *S. Joan. Chryſoſt.* explicat Homilia 33. in eum locum: „Non „modo nihil mali comparat contra illum, qui diligi„tur, ſed ne ſuſpicatur quidem „. Hinc etiam *Non irri-*

Judicium temerarium vel ſuſpicio temeraria plene deliberata, in re gravi, lethalia peccata ſunt.

irritari dicitur. „ Quomdo enim (*inquit idem Pater*) „ fuerit irritata, quæ nec tolerat malam ſuſcipere ſu„ ſpicionem, ex qua eſt fons iræ „ ?

Eamdem regulam confirmat *S. Auguſtinus*, lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 18. explicans illa Chriſti Domini verba: *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.* Hoc loco (inquit) „„ Nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri; ſicut ſunt ſtupra, vel blaſphemiæ, vel furta, vel ebrioſitates, & ſi qua ſunt talia, de quibus nobis judicare permittitur, dicente Apoſtolo: 1. Cor. 5. *Quid enim mihi eſt de iis, qui foris ſunt judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?* De genere autem ciborum, quia poſſunt bono animo, & ſimplici corde ſine vitio concupiſcentiæ quicunque humani cibi indifferenter ſumi, prohibet idem Apoſtolus judicari eos, qui carnibus veſcebantur, & vinum bibebant, ab eis, qui ſe ab hujuſmodi ali- Rom. 14. mentis temperabant. *Qui manducat* (inquit) *non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.* Ibi etiam ait. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* De talibus enim rebus, quæ poſſunt bono, & ſimplici, & magno animo fieri, quamvis poſſint etiam non bono, volebant illi, cum homines eſſent, in occulta cordis ferre ſententiam, de quibus ſolus Deus judicat. Ad hoc pertinet etiam illud, quod alio loco 1. Cor. 4. dicit: *Nolite ante tempus quidquam judicare, quoadusque veniat Dominus*... Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri poſſunt, de quibus temerarium eſt judicare, maxime ut condemnemus. Horum autem veniet tempus, ut judicentur, cum Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit idem Apoſtolus: 1. Tim. 5. *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia*

ad

ad judicium, quædam autem & ſubſequuntur. Manifeſta ea dicit, de quibus clarum eſt, quo animo fiant; hæc præcedunt ad judicium; id eſt, quia ſi fuerit illa ſubſecutum judicium, non eſt temerarium. Subſequuntur autem illa, quæ occulta ſunt; quia nec ipſa latebunt tempore ſuo... De manifeſtis ergo judicemus, de occultis vero Deo judicium relinquamus „„.

„„ Duo ſunt autem, in quibus temerarium judicium cavere debemus, cum incertum eſt, quo animo, quidque factum ſit, vel cum incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Si ergo quiſpiam, v. gr. conqueſtus de ſtomacho, jejunare noluit, & tu id non credens edacitatis id vitio tribueris, temere judicabis. Item ſi manifeſtam edacitatem, ebrioſitatemque cognoveris, & ita reprehenderis, quaſi nunquam ille poſſit corrigi, atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ neſcimus, quo animo fiant; neque ita reprehendamus, quæ manifeſta ſunt, ut deſperemus ſanitatem, & vitabimus judicium, de quo nunc dicitur: Nolite judicare, ne judicetur de vobis. *Et paulo infra:* Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur; ei autem, qui temere judicat, ipſa temeritas, neceſſe eſt, ut noceat „„.

Idem Tract. 90. in Joan. „„ Pertinet ad nos (*inquit*) ne perniciosa opinione fallamur, ut, quia non poſſumus hominum indagare conſcientiam, de ipſis rebus habeamus veram, certamque ſententiam. Hoc eſt, ut ſi ille; vel ille homo utrum ſit impudicus, pudicuſve neſcimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus, & ſi illum, vel illum injuſtum eſſe, juſtumve neſcimus, amemus tamen juſtitiam, & injuſtitiam deteſtemur; non quas nobis ipſi errando confingimus, ſed quas fideliter, hanc appetendam, illamque vitandam in Dei veritate conſpicimus; ut cum de ipſis rebus, quod appetendum eſt, appetimus, quod devitandum eſt, devitamus, ignoſcatur nobis, quod de occultis hominum aliquando, imo

assidue non vera sentimus. Hoc enim ad humanam
1. Cor. 10. tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non
potest vita, ita ut Apostolus diceret: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Quid enim tam humanum, quam non posse inspicere cor humanum; & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quam quod ibi agitur, suspicari? Quamquam, & in his rerum tenebris humanarum, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est, definitas, firmasque sententias continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique a Deo. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio; profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio „„. Ad humanam tentationem, eamque venialem, pertinere *S. Augst.* docet, pravas suspiciones de occultis hominum; sed loquitur de suspicionibus indeliberatis, quæ nobis non attendentibus irrepunt, & mentem nostram præoccupant; quod significant hæc verba: *Etsi suspiciones intelligere non possumus;* id est, matura consideratione, ac deliberatione ad eas attendere, quia mentis attentionem, & motum voluntatis prævertunt. Sic enim idem sanctus Doctor interpretatur, quod Psal. 18. scriptum est: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*: Hoc est: *Rogo te, quoniam* Delicta quis intelligit? *ne mihi ut homini quædam surrepant, & quibusdam, ut homo præoccuper*, Ab occultis meis munda me. Nomine igitur tentationis humanæ, ad quam pertinere dixit suspiciones illas, quibus *de occultis hominum assidue non vera sentimus*, eam *S. Augst.* intellexit, qua quis ut homo ita præoccupatur, ut non plene advertenti suspiciones illæ surrepant. Quæ propterea veniales sunt, sicut & aliarum perturbationum primi, subitique motus. At si considerata ratione illis suspicionibus adhæreat, vel ad earum levi-

ta-

tatem, & pravitatem non attendat, cum poteſt, eaſque comprimere negligat; non erit tantum humana tentatio, ſed diabolica; ſiquidem ſuſpiciones illæ ob pertinacem ſuſpicioſi hominis adhæſionem erant quaſi *definitæ, firmæque ſententiæ.*

Quam gravia mala ex pravis ſuſpicionibus oriantur, idem S. Doct. exponit Serm. 306. alias *De Diverſis* 112. cap. 9. „ Pleraque (*inquit*) mala generis humani non aliunde oriuntur, niſi de ſuſpicionibus falſis. Credis de homine, quod odetit te; qui forte amat te, & per pravam ſuſpicionem ſis inimiciſſimus amiciſſimo. Quid faciat, cui non credis, & cor ſuum tibi demonſtrare non valet? Loquitur tibi dicens, amo te: ſed quia poſſet tibi hoc dicere, & mentiens (Ita ſunt enim verba mentientis, quæ vera dicentis) non credendo adhuc odiſti. Ideo ſecurum te facere voluit ab eo peccato, qui tibi dixit: *Diligite inimicos veſtros. Et tamen* Omnes, aut pene omnes homines amamus noſtras ſuſpiciones, vel vocare, vel exiſtimare cognitiones, quando credibilibus rerum ſignis movemur, cum credibilia nonnulla ſint falſa, ſicut incredibilia nonnulla ſunt vera „ (*inquit S. Auguſt.* Epiſt. 153. alias 54. ad *Macedonium.*) Quam gravia mala ex pravis ſuſpicionibus oriantur. Matth. 5.

Et Concione 12. in Pſalm. 118. temere judicantes ſimiles eſſe diabolo aſſerit, cum hæc verba: *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum,* explicat: „ Suum dixit opprobrium (*inquit*) quod de aliis eſt ſuſpicatus. Hoc opprobrium ergo a ſe poſtulabat auferri, ut non eſſet ſimilis diabolo, qui de occultis Job ſuſpicatus eſt, quod non gratis coleret Deum „.

Idem ſanctus Doctor de *Bonifacio* Presbytero, a quo monachus quidam *Spes* nomine accuſatus crimen in ipſum rejecerat, ſcribit, cauſa eorum ſub divino examine pendente, & adhuc obſcura, & incerta, jubere ſe non poſſe, ut *Bonifacii* nomen de Presbyterorum albo expungatur: „ Quis ego ſum (*inquit*) ut audeam Dei prævenire ſententiam in delendo, vel ſupprimendo ejus nomine, de quo nec ſuſpicari temere mali aliquid Epiſcopus debui, nec dilucide judicare

homo de occultis hominum potui, cum in ipſis cauſis ſecularibus, quando ad majorem poteſtatem refertur arbitrium judicandi, manentibus ſicuti erant omnibus rebus, expectetur illa ſententia, unde jam non liceat provocari, ne ſuperiori cognitori fiat injuria, ſi ejus pendente judicio aliquid fuerit commutatum? Et utique multum intereſt inter divinam, & humanam quamlibet excelſiſſimam poteſtatem „„. Hæc ille Epiſt. 77. alias 136.

Et Epiſt. ſeq. Clero, Senioribus, & univerſæ plebi Eccleſiæ Hipponenſis inſcripta: „„ Mementote (*inquit*) quod ait Apoſtolus Petrus: *Quoniam adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens quem devoret.* Quem non poteſt devorare ſeductum ad nequitiam, famam ipſius inquinare conatur, ut, ſi fieri poteſt, opprobriis hominum, & malorum linguarum detractione deficiat, & ſic in fauces ejus ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei perſuadere tentat, ut per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo judicet, & ſic ab illo implicatus abſorbeatur. *Et paulo poſt*: Ne malevolo animo de ſervis Dei falſa ſuſpicando pereatis, illud Apoſtolicum recordamini: *Nolite ante tempus judicare quidquam, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis* „„.

1. Petr. 5.

1. Cor. 4.

Eamdem moralis chriſtianæ regulam confirmat *S. Cæſarius* Arelatenſis Epiſcopus Sermone 26. in Auguſtiniana appendice 66. alias *De Tempore* 202. „„ De iſtis rebus (*inquit*) quæ ſunt Deo notæ, & nobis incognitæ, periculoſe noſtros proximos judicamus. De ipſis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut non judicemini.* De illis vero, quæ aperta ſunt, & publica mala, judicare, & redarguere, cum charitate tamen, & amore, poſſumus, & debemus, odio habentes non hominem, ſed peccatum, non vitioſum, ſed vitium, deteſtantes morbum potius, quam ægrotum. *Et infra:* In his ergo rebus periculoſe alios judicamus, quæ dubium eſt, utrum bono an malo animo fiant, id eſt, jejunare, vigilare, eleemoſynam facere, a vino & a car-

Matth. 7.

carnibus, vel abſtinere, vel non abſtinere, & reliqua his ſimilia, quæ pro Deo, & pro humana gloria fieri poſſunt. Et quia ignoramus, quo animo fiant, judicare penitus non debemus. Propterea dixit Dominus: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Hæc ſi obſervare volumus, non de parvo peccato cum Dei adjutorio liberamur. Maxima enim pars generis humani indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur; cum tamen non ita ſe velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare. Propterea Scriptura divina admonet dicens: *Priuſquam interroges, nc vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corripe juſte* „„. Eccl. 11. 7.

Idem confirmat *S. Proſper*, ſententia 21. „„ De occultis (*inquit*) alieni cordis temere judicare, peccatum eſt; & eum, cujus non videntur opera niſi bona, iniquum eſt ex ſuſpicione reprehendere; cum eorum, quæ homini ſunt incognita, ſolus Deus judex ſit juſtus, qui & inſpector eſt verus „„.

Et Epigrammate 21.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt,
Præſertim, quæ non cognita, ſi bona ſunt.
Non pateant faciles ſævis rumoribus aures:
Quæ neſcire juvat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo; qui ſi quid opertum eſt,
Inſpicit, & nullis indiget indiciis.

Idem confirmat *S. Gregor.* lib. 2. *Moralium*, cap. 5. & temere judicantes proximum diaboli imitatores eſſe docet. „„ Antiquus (*inquit*) adverſarius, cum, quæ accuſet, mala non invenit, ipſa ad malum inflectere bona quærit. Cumque de operibus vincitur, ad accuſandum verba noſtra perſcrutatur. Cum nec in verbis accuſationem reperit, intentionem cordis fuſcare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, & idcirco perpendi a judice bona non debeant. Quia enim fructus arboris eſſe, & in æſtu virides conſpicit, quaſi vermem ponere ad radicem quærit „„.

Tria neceſſaria, ut judicium rectum juſtumque ſit.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thom.* 2. 2. qu. 60. art. 2. ubi tria neceſſaria eſſe docet, ut judicium ſit actus juſtitiæ. „ „ Primo quidem, ut procedat ex inclinatione juſtitiæ: Secundo quod procedat ex auctoritate præſidentis: Tertio, quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ „ „. Quodcunque autem horum defuerit, judicium erit vitioſum, & illicitum; uno quidem modo quando „ „ eſt contra rectitudinem juſtitiæ; & ſic dicitur judicium perverſum, vel injuſtum. Alio modo, quando homo judicat de his, in quibus non habet auctoritatem; & ſic dicitur judicium uſurpatum. Tertio modo, quando deeſt certitudo rationis, puta, cum aliquis de his judicat, quæ ſunt dubia, vel occulta, propter aliquas leves conjecturas; & ſic dicitur judicium ſuſpicioſum, vel temerarium „ „. Tres autem iſtæ deformitates in judicio temerario involvuntur; eſt enim contra rectitudinem juſtitiæ, ut alterius exiſtimatio lædatur, aut illius probitas revocetur in dubium abſque legitima cauſa; & nemo ita ſecum agi vellet. Nullus etiam habet auctoritatem judicandi de his, quæ occulta ſunt, incerta, dubia & obſcura; ſed judicium de hujuſmodi rebus Deo ſervatur, cujus proinde jura uſurpat homo temere judicans. Deeſt tandem certitudo rationis, cum definita, firmaque ſententia de his profertur ex levibus conjecturis, & indiciis.

Font triplex pravarum ſuſpicionum.

Et art. 3. triplicem pravarum ſuſpicionum fontem indigitat. Primus eſt malitia ſuſpicantis. „ „ Ex hoc *enim*, quod aliquis in ſeipſo malus eſt, & quaſi conſcius ſuæ malitiæ, facile de aliis malum opinatur, ſecundum illud Eccl. 10. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat* „ „. Secundus eſt prava animi erga alterum affectio: „ „ Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, vel iraſcitur, aut invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo; quia unuſquiſque facile credit, quod appetit „ „. Unde *S. Auguſt.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 18. „ „ Maxime (*inquit*) hi temere judicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vitupe-

tuperare, & damnare, quam emendare, atque corrigere. Quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel invidentiæ „„. Tertius eſt longa experientia. Et duæ quidem priores ſuſpicionis cauſæ manifeſte pertinent ad perverſitatem affectus; tertia vero ſuſpicionis vitium tolerabilius facit, & aliquo modo excuſat.

„„ Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis (*inquit S. Thom.*) primus gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit; & hoc eſt veniale, & leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur. Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis; & hoc ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi. Tertius gradus eſt, cum aliquis judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum; & hoc directe ad injuſtitiam pertinet; unde eſt peccatum mortale „„. In primo gradu indeliberatas duntaxat, & repentinas ſuſpiciones *S. Th.* collocat, quæ ſunt velut primi motus, non autem plene deliberatas, & pertinaces. Suſpiciones enim primi gradus ita deſcribit: *Ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit.* Non ait, *quando dubitat*, ſed, *cum incipit dubitare*, ut venialem non eſſe ſuſpicionem illam ſignificaret, quæ omnino deliberata eſt, & perfecta; ſed eam, quæ imperfecta eſt, indeliberata, & repentina; hac enim præoccupatus homo *dubitare incipit.* Altera vero, ſcilicet deliberata ſuſpicione laborantem nemo dixerit *incipere dubitare*; ſiquidem poſtquam advertit temerariam in mente ſua ſuſpicionem de alio exortam, illam approbat, ea delectatur, illi pertinaciter adhæret, vultque de proximi probitate ſponte dubitare, vel prave opinari; quod certe non humanæ, ſed diabolicæ tentationis eſt; non fragilitatis, ſed malitiæ. Unde *S. Thom.* ibidem in reſponſione ad ſecundam objectionem, ait: „ Ex hoc ipſo, quod aliquis malam opi„ nionem habet de alio ſine cauſa ſufficienti, indebite „ contemnit ipſum, & ideo injuriatur ei „, ſive in-

juriam ei facit. Contemptum autem proximi eſſe *peccatum mortale* præmiſerat. Et in reſponſione ad tertiam objectionem: „ „ Tum (*inquit*) judicium ſuſpicioſum directe ad injuſtitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit; & tunc eſt peccatum mortale; judicium autem interius pertinet ad injuſtitiam, ſecundum quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem, ſicut concupiſcentia ad fornicationem, & ira ad homicidium „ „. Actum porro directe oppoſitum juſtitiæ in materia gravi, cum plene deliberatus eſt, eſſe lethale peccatum nemo negaverit.

Suſpicio imperfecta indeliberata & repentina, venialis tantum peccatum eſt.

Cum itaque ſuſpicionem mortale peccatum eſſe, negat, *S. Thom.* Quodlibeto 12. qu. 22. art. 2. loquitur de ſuſpicione imperfecta, indeliberata, & repentina, ut patet ex articuli contextu. „ „ In illis (*inquit*) quæ ſunt mortalia peccata ex genere, motus imperfecti non ſunt peccata mortalia, ſed venialia... Judicium autem eſt duplex; ſcilicet de rebus, & de perſonis; judicium de rebus, ſemper eſt mortale peccatum; puta, dicere, quod dare eleemoſynam ſit malum; judicium autem de perſonis, licet quandoque ſit falſum, non tamen ſemper eſt peccatum; niſi quando eſt omnino temerarium. Sed quando ex levi re judicium procedit firmum in corde, aliquando eſt peccatum mortale, quia eſt cum contemptu proximi; ſuſpicio autem eſt quid imperfectum in genere judicii; & ideo eſt imperfectus motus; & ideo non eſt mortale ex genere; quamvis ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale „ „.

REGULA XIX.

Dubia indicia de malitia proximi in meliorem partem interpretari tenemur.

Hæc regula colligitur ex Chriſti verbis: *Nolite judicare, ut non judicemini*; quibus *Nihil aliud nobis præcipi* S. Auguſt. lib. 2. *De Sermone Domini in monte* c. 18. exiſtimat, *niſi ut ea facta, de quibus dubium eſt*,

eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, id confirmat Apoſtolus ad Romanos 14. *Qui manducat* (inquit) *non manducantem non ſpernat.*

Hujus rei exemplum ex *Deut.* cap. 22. colligitur, ubi legimus, quod ſi puellam deſponſatam vir in agro ſeorſim repererit, & cum ea commixtus fuerit, ipſe morietur ſolus, puella vero nihil patietur mali, nec erit rea mortis, quia *Sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit, qui liberaret eam.* Unde vero conſtat, an clamaverit, aut vis ejus pudori illata ſit? Nempe lex factum in meliorem partem interpretatur. Et certe cum unum, & idem opus non eadem intentione a diverſis fiat, ſine periculo erroris, & violandi fraternam charitatem, ac juſtitiam, in deteriorem partem judicari non poteſt. Riſit Abraham, cum filius ei promitteretur (*Gen.* 17.) riſit & Sara (*Gen.* 18.) Ille non eſt reprehenſus, quod riſerit, quia riſus admirationis fuit, ac lætitiæ; reprehenſa eſt illa, quia riſus dubitationis fuit, *& ab illo* tantum *hoc dijudicari potuit, qui corda hominum novit* (inquit *S. Auguſt.* qu. 36. in Geneſim)

Regulam, cujus in explicatione verſamur confirmat rurſus *S. Auguſt.* Enarratione in Pſ. 147. „ „ Quid agit pax (*inquit*) in hujus adhuc regionis incertis, in iſta peregrinatione mortalitatis noſtræ; cum adhuc nemo eſt alteri conſpicuus, nemo videt cor alterius? Quid agit pax? De incertis non judicat, incognita non confirmat; proclivior eſt ad bene credendum de homine, quam ad male ſuſpicandum. Non ſe multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo; pernicioſe autem, cum male ſentit forte de bono. Neſcio, qualis ſit; quid perdo, ſi credo, quia bonus eſt? Si incertum eſt, licet ut caveas, ne forte verum ſit; non tamen damnes, tanquam verum ſit. Hoc pax jubet „ „.

Eamdem regulam tradit *S. Bernard.* Sermone 40. in Cantica „ „ Cave (*inquit*) alienæ converſationis eſſe aut curioſius explorator, aut temerarius judex. Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices

proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: Vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem „„?

Eidem regulæ juris principia robur addunt; imprimis illud juris naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nemo autem homo actiones ſuas, quarum non evidens malitia eſt, deteriorem in partem ab aliis accipi vellet. Tum illud *Innocent. III.* cap. *Ex parte*, Ext. *De Scrutinio in Ordine faciendo*, reſpondentis *Illum, quem indignum eſſe non noſti, dignum debes æſtimare.* Re igitur dubia, cum proximum malum eſſe non certo noſti, bonum illum æſtimare, ac judicare debes. Item, *Cum jura partium ſunt obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*; ut habet Regula juris 11. in ſexto. Sed dubia indicia, & argumenta ſunt inſtar actoris, proximus eſt tanquam reus; in mentis ergo noſtræ tribunali favendum eſt proximo, factaque ipſius in meliorem partem benigne interpretari tenemur. Denique *In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* Proximus porro ſui honoris, ac famæ poſſeſſor eſt; quamdiu ergo res eſt dubia, in ejus favorem judicare tenemur, nec poſſumus abſque injuſtitia gravi ipſum e poſſeſſione deturbare, ſeu malè de ipſo judicare, opinari, vel ſuſpicari.

Dubium igitur ex levibus indiciis conceptum de proximi probitate deponere juſtitia, & charitas jubent; ſi autem gravis ſit dubitandi ratio, judicium ſaltem ſuſpendere, quamdiu res incerta, & obſcura eſt.

Eamdem regulam confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 60. art. 4. „„ Ex hoc ipſo (*inquit*) quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, injuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcunque inferre abſque cauſa cogente. Et ideo ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus

mus eum, ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est „„. Contingere quidem potest, ut benignus alienarum actionum interpres frequenter fallatur: „„ Sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo „„ (*inquit S. Thomas.*)

REGULA XX.

Dubia in deteriorem partem interpretari, seu id, quod deterius est, supponere, ac timere, ubi de damno vitando, aut prohibendis malis agitur, cautionis est, ac prudentiæ. Sed nec tunc quidem ex levibus indiciis judicare, vel suspicari licet proximum esse malum.

Hanc regulam tradit *S. August.* Enarratione in Psal. 147. „ Si incertum est (*inquit*) licet, ut caveas, ne forte verum sit; non tamen damnes, tanquam verum sit „. Confirmat *S. Thom.* articulo superius indicato, in responsione ad tertiam objectionem. „„ Interpretari (*inquit*) aliquid in deteriorem, vel meliorem partem contingit dupliciter. Uno modo per quamdam suppositionem; & sic cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod est deterius; quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum. Alio modo, interpretamur aliquid, ad bonum, vel malum, definiendo, sive determinando; & sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque, secundum quod est; in judicio autem personarum, ut interpretetur in melius „„. Itaque si videbas hominem, quem agendi modus, habitus, gestus indicant esse furem, levia tamen indicia sunt, & quæ judicium, vel suspicionem fundare

dare non poſſint; non licet tibi exiſtimare, vel ſuſpicari eſſe furem; licet tamen rem tuam diligentius cuſtodire, & cavere ab illo perinde, ac ſi judicares eſſe furem, ideoque non admittere illum in domum, non ſinere, ut irrepat, non credere illi ſervandam pecuniam, oſtia majori ſolicitudine obſervare. Si quis conjugatus videat juvenem cum filia ſua, vel uxore colloqui amanter, ſolum cum ſola, judicare, vel ſuſpicari non poteſt petulantem eſſe, ac impudicum; ſed tamen cavere poteſt, & periculoſa colloquia prohibere. Sic ſanctus Job quamvis de ſuis filiis nihil mali judicaret, vel ſuſpicaretur, pro ſingulis tamen offerebat ſacrificia dicens: *Ne forte peccaverint filii mei.* Hoc ſuppoſitionis genere parentes erga liberos, domini erga ſervos, Superiores erga ſubditos uti poſſunt; ob dubia quædam indicia eos admonere, increpare, veriſimilitudinem, quod malum aliquod perpetraverint, objicere, quædam eis prohibere, vel jubere, & variis modis remedia adhibere, cum malum aliquod timetur; id enim prudentiæ, cautionis, & vigilantiæ. Sed tamen rectum de illis judicium, bonamque opinionem mente retinere debent, quamdiu indicia, ſive argumenta non ſunt ad ſuſpicionem, vel dubitationem cogentia. Ea etiam prudentia ſuorum mala cavere debent, ne forte nimia cautione ipſos infament, aut ad iracundiam provocent.

CAPUT VI.

De duobus poſtremis Decalogi præceptis.

Cum ſuperioribus Decalogi præceptis nos quibuſdam quaſi præſidiis Deus optimus maximus muniviſſet, ne quis nos ipſos, aut noſtra violaret (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) hoc duplici adjuncto præcepto id maxime providere voluit, ne appetitionibus noſtris nos ipſi læderemur; quod facile futurum fuit, ſi omnia cupere, atque optare libe-

liberum nobis, atque integrum eſſet. Hac igitur non concupiſcendi lege præſcripta, illud a Deo proviſum eſt, ut cupiditatum aculei, quibus ad pernicioſa quæque incitari ſolemus, hujus legis vi quodammodo excuſſi, nos minus urgeant; majuſque propterea temporis ſpatium nos moleſta illa cupiditatum ſolicitudine liberati, ad ea præſtanda pietatis, & religionis officia habeamus, quæ ipſi Deo multa, maximaque debemus. His autem verbis poſtrema duo præcepta exprimuntur: *Non concupiſces domum proximi tui: Nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.* Exod. 20.

ARTICULUS PRIMUS.

Utriuſque præcepti diſcrimen, & neceſſitas explicatur.

De duobus poſtremis præceptis.

Concupiſcentia duplex his præceptis prohibetur, nono ſcilicet, alienæ uxoris concupiſcentia; decimo, concupiſcentia rerum alienarum. Prima ſpectat libidines, & voluptates; altera quod utile eſt, ac fructuoſum. Si quis igitur fundum, aut domum concupiſcit, is lucrum potius, & quod utile eſt, conſectatur, quam voluptatem; ſi vero alienam uxorem appetit, non utilitatis, ſed voluptatis cupiditate flagrat. Prima concupiſcentia ad libidinem ſive impudicitiam; altera ad avaritiam pertinet. Quare ſicut diſtincta præcepta ſunt, quibus opera ipſa prohibentur: *Non mœchaberis*, & *Non furaberis*; ita & diſtincta præcepta ſunt, quibus prohibentur cupiditates operibus illis reſpondentes. Quæ quidem præcepta quamvis involuta videantur Exodi cap. 20. diſtinctius tamen, & explicatius repetuntur Deut. cap. 5. *Non concupiſces uxorem proximi tui: Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.* Quin & Hebraica veritas Exodi 20. hæc præcepta diſtinguit; ſic enim ad verbum reddi poteſt: *Non concupiſces uxorem proximi tui; & non deſiderabis domum proximi tui, non agrum, non ſervum, &c.* Verſio etiam 70. Interpretum hæc ve-

velut diſtincta præcepta exprimit: *Non concupiſces uxorem proximi tui: Non concupiſces domum proximi tui, neque agrum ejus, &c.*

Prima ratio neceſſitatis horum præceptorum.

Quamquam vero hæc duo poſtrema præcepta ſub ſexto, & ſeptimo, *Non mœchaberis, Non furtum facies*, comprehendi potuerint, cum dubium non ſit, ſed quodam naturæ lumine intelligatur, eum, qui pravum facinus prohibet, ſimul etiam malam prohibere voluntatem; adeoque alienæ uxoris potiundæ cupiditatem prohiberi, vetito adulterio, quia ſi concupiſcere liceret, fas etiam eſſet potiri; hæc tamen duo poſtrema præcepta diſtincte, & explicite tradi conveniens fuit; primo ob populi Judaici rudem indolem, duramque cervicem. Plerique enim ex Judæis peccato obcæcati in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent id a Deo prohibitum eſſe, quod apud homines impunitum eſt. Imo vero lata, & cognita hac Dei lege, multi, qui ſe legis interpretes eſſe profitebantur, in eo verſati ſunt errore, ut nullius peccati reos eſſe cenſerent, qui ſolum peccandi deſiderium, & voluntatem habuiſſent. Quem errorem Chriſtus refellit Matth. 5. *Audiſtis* (inquit) *quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Id ſcilicet diſcriminis inter divinam, humanaſque leges intercedit, quod hæ opera duntaxat externa per ſe poſtulent, & exigant; illa vero, quoniam animum Deus intuetur, ipſius animi puram, ſinceramque caſtitatem, atque integritatem requirat. Chriſtus cor mundum poſtulat, & ſolos eos, qui mundo ſunt corde, beatos pronuntiat. Mundum autem eſt cor, cum ab omnibus pravis deſideriis deſœcatum, ac purum eſt. Eſt igitur divina lex velut ſpeculum quoddam, in quo naturæ vitia intuemur. Hinc Apoſtolus ait: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Rom. 7.

Ratio altera neceſſitatis

Secunda ratio neceſſitatis horum præceptorum eſt, quod aliqua diſtincte, explicateque vetent, quæ ſex-

to,

to, & ſeptimo præcepto explicate non prohibebantur; nam ſexto quidem præcepto vetitum eſt, uxorem proximi concupiſcere animo cum ea mœchandi; ſed nono præcepto explicatius id prohibetur, & inſuper deſiderium alienæ uxoris etiam poſt mariti mortem, aut poſt divortium Moſaica lege permiſſum potiundæ. Quod peccatum apud Judæos, quibus repudium concedebatur, frequentius, & evidentius erat. Nam permiſſione legis abuſi, alii aliorum uxores ſolicitabant, ut vel moroſitate, vel alia quavis ratione divortii cauſam marito præſtarent, ut ſoluto matrimonio illis potirentur. Septimo præcepto prohibuit Deus, ne quis injuſte concupiſcat aliena, aut eripere conetur; decimum autem vetat, ne ullo modo quis concupiſcat, etſi jure, legeque id aſſequi poſſit, ex cujus adeptione damnum proximo importari videat. Qui enim ſic affectus eſt, proximum tanquam ſeipſum non diligit. Cor enim illius a chriſtiana charitate in ſui amore deflexum, quod caput omnium peccatorum eſt, longe abeſt a via mandatorum Dei; cum ſola dilectione proximi lex impleatur, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Qui diligit proximum legem implevit: Nam, Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces; & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum... Charitas non quærit, quæ ſua ſunt, non cogitat malum* (inquit idem Apoſt. 1. Corinth. 13.) Hanc amore proprio profligato in cordibus noſtris regnare vult Deus; in eumque finem hæc duo poſtrema præcepta dedit. horum præceptorum.

Quæres, cur in præceptis perjurium, homicidium, aut falſum teſtimonium vetantibus non ſit explicite prohibita concupiſcentia, quemadmodum in his, quæ furtum, & adulterium vetant. Cur in his præceptis, quæ furtum, & adulterium vetant, non in aliis explicite prohibita ſit concupiſcentia.

Reſpondetur libidinis & habendi affectum naturæ corruptæ penitus inſitum eſſe; non perjurii, homicidii, aut falſi teſtimonii, a quibus homines ſuapte ingenio abhorrent; cum tamen ad corporis voluptates, ac terrenas divitias ſtatim ab adoleſcentia proni, &

pro-

proclives ſint. Quamobrem conveniens erat, ut in his, ad quæ velut bona quædam corporis inclinamur, & quaſi rapimur, non tantum factum, ſed & affectus, ac deſideria prava prohiberentur, & radicitus exſcinderentur; cum in aliis nemo ſanæ mentis non facile intelligeret, prohibito facto, prohiberi quoque pravam faciendi voluntatem.

ARTICULUS II.

Quæ concupiſcentia his præceptis vetita ſit.

De duobus poſtremis præceptis.

Concupiſcentia, generatim ſumpta, eſt commotio quædam, ac vis animi, qua impuliſi homines res jucundas appetunt, quas non habent.

Quemadmodum autem reliqui animi noſtri motus non perpetuo mali ſunt, ita hæc concupiſcendi vis non ſemper in vitio eſt ponenda. Neque enim peccamus, ſi cibum, aut potum neceſſarium expetimus, aut fatigati deſiderio quietis, & ſomni afficimur, & id genus alia. Hæc igitur concupiſcendi vis nobis a natura inſita eſt, auctore Deo, ſed primorum parentum peccato depravata eſt, adeo ut naturæ fines prætergreſſa, ad ea concupiſcenda ſæpius incitetur, quæ ſpiritui, ac rationi repugnant.

Concupiſcentia, ſeu deſiderium duplex.

Concupiſcentia igitur alia recta eſt, alia mala. Bona eſt illa, quæ moderata eſt, & ſuis finibus continetur. Nihil enim aliud eſt, quam appetendi vis a Deo inſita; quæ bona quidem jucunda, ſed ſub rationis moderamine proſequitur. Plurimas illius utilitates Concilii Tridentini Catechiſmus percenſet: Primo namque efficit, ut aſſiduis precibus Deum oremus, ſuppliceſque ab eo petamus, quæ cupimus. Oratio enim cupiditatis noſtræ, ac deſiderii eſt interpres.

Pſ. 9. 17. Unde Propheta ait: *Deſiderium pauperum exaudivit*

Pſ. 37. 10. *Dominus.* Et alio loco: *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.*

Rom. 8. Et Apoſtolus: *Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret Spiritus, quoniam ſecundum Deum poſtulat*

pro

pro ſanctis; id eſt, deſiderare, & poſtulare nos facit. Secundo, hæc concupiſcende vis efficit, ut chariora ſint nobis Dei munera; quo enim vehementiori alicujus rei cupiditate flagramus, eo charior illa nobis res eſt, atque jucundior, cum eam adepti ſumus. Tertio delectatio ipſa, quam ex re concupita ſentimus, facit, ut majore pietate gratias Deo agamus.

Naturalis igitur illa vis cupiditatis, quam ratio intra fines ſuos coercet, non vetatur poſtremis duobus Decalogi præceptis, multoque minus ſpiritualis illa rectæ mentis cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Hanc enim ſacræ literæ approbant, & ad eam adhortantur: Sap. 6. *Concupiſcite ſermones meos.* Eccl. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me* Pſal. 83. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Cum Apoſtolus fideles admonet *ad Coloſ.* 3. ut mortificent *concupiſcentiam malam*, innuit, aliquam eſſe concupiſcentiam, quæ per ſe mala non ſit alioquin ſuperfluum illud epithetum eſſet. Non enim ſuperbiam malam, injuſtitiam malam, idololatriam malam aliquis recte dixerit, quia nulla ſuperbia, injuſtitia, idololatria bona eſt. Sed & bonam, malamque concupiſcentiam, & utriuſque diſcrimen clarius indigitat ad *Gal.* 5. ſcribens: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Nam concupiſcentia ſpiritus adverſus carnem ex ſe ſemperque bona eſt: Concupiſcentia vero carnis adverſus ſpiritum ex ſe ſemperque mala. Ad ſpiritualem illam rectæ mentis cupiditatem pertinet, quod *S. Auguſt.* ait Tr. 4. in Ep. 1. S. Joannis: „„ Tota vita Chriſtiani ſanctum deſiderium eſt. Quod autem deſideras, nondum vides; ſed deſiderando capax efficeris, ut cum venerit, quod videas, implearis. Sicuti enim ſi velis impleri aliquem ſinum, & noſti: quam magnum eſt, quod dabitur, extendis ſinum; noſti quantum miſſurus es, & vides, quia anguſtus eſt ſinus; extendendo facis capaciorem; ſic Deus differendo extendit deſiderium, deſiderando extendit animum, extendendo facit ca-

paciorem. Deſideremus ergo, Fratres, quia implendi ſumus „ „.

Sola concupiſcentia mala his præceptis prohibita.

Sola igitur concupiſcentia mala, quæ peccati fomes, deſiderium peccati, improba voluntas, & ſimpliciter cupiditas, & concupiſcentia vocatur ab eccleſiaſticis Tractatoribus, abſque addito, quo vocabuli determinetur ſignificatio, his præceptis prohibetur; illi ſcilicet concupiſcendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo conſtitutis continentur. Hæc autem prohibetur cupiditas, vel quia malum appetit; unde Apoſt. 1. ad Cor. 10. *Non ſimus* (inquit) *concupiſcentes malorum, quemadmodum & illi concupierunt*; vel quia etſi res natura ſua malæ non ſunt, a Deo tamen, aut ab Eccleſia ſunt prohibitæ; non enim ea nobis appetere licet, quibus frui non licet; vel quia quæ appetuntur, aliena ſunt, ut domus, ſervus, ancilla, ager, uxor, bos, aſinus, &c. Igitur hujuſmodi rerum cupiditas nefaria eſt, graviſſimumque peccatum, cum illis concupiſcendis animi præbetur aſſenſus. Nam tunc demum peccatum paritur, cum poſt malarum cupiditatum impulſus animus pravis motibus, illicitiſve rebus delectatur, atque his vel aſſentitur, vel certe non repugnat, ut docet S. Jacobus Epiſtolæ catholicæ cap. 1. peccati originem, & progreſſum oſtendens: *Unuſquiſque* (inquit) *tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Concipitur autem concupiſcentia ſuggeſtione, & delectatione, paritur aſſenſu.

Lex prohibet, ne pravis concupiſcentiæ motibus conſentiamus.

Lex ergo non prohibet, ne nullos concupiſcentiæ motus in nobis ipſis ſentiamus, cum ait: *Non concupiſces*, ſed ne pravis illis motibus conſentiamus, quod paucis verbis Sapiens complexus eſt Eccl. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Abiit enim poſt concupiſcentiam, qui ſuggeſtioni non repugnat; qui naſcentem delectationem non præfocat. Fieri enim non poteſt, ut diuturniorem delectationem conſenſus in peccatum non fe-

ſequatur. Prohibet lex, ne peccatum in noſtro mortali corpore regnare ſinamus; *Ut obediamus concupiſcentiis ejus*, nec *deſideria perficiamus*: Jubet, ut *Abſtineamus a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Triplicem illam concupiſcentiam prohibet; de qua S. Joan. Epiſt. 1. cap. 2. ait: *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Concupiſcentia carnis prohibetur nono præcepto: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Concupiſcentia verò oculorum; & ſuperbia vitæ, vetatur decimo præcepto: *Non concupiſces domum proximi tui, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & omnia, quæ illius ſunt.* Domus porro vocabulo non locus modo, quem incolimus, ſed hereditas univerſa ſignificatur, ut ex ſacrorum Scriptorum uſu cognoſcitur. Scriptum eſt *Exod.* 1. Obſtetricibus Ægyptiis a Domino domos eſſe ædificatas, id eſt, illarum facultates ab eo auctas, atque amplificatas eſſe. Hoc igitur præcepto nobis vetitum eſt, ne divitias avidè expetamus, neque alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus; ſed ſtatu noſtro, qualis ille ſit, contenti ſimus. Alienæ etiam gloriæ appetitio prohibetur; nam hoc item ad domum pertinet. Alienarum rerum cupiditatis ſitim immenſam, atque infinitam extinguere lex jubet; de qua ſcriptum eſt Eccl. 5. *Avarus non implebitur pecunia.* Et Iſ. 5. *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci; nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Additur in divino præcepto; *Non bovem, non aſinum*; quo declaratur, non ſolum quæ magna ſunt, ut domus, ager, nobilitas, gloria, cum aliena ſint, concupiſcere nobis non licere; ſed etiam parva, qualiacunque illa ſint, animata, ſive inanimata, minima etiam concupiſcere lex prohibet, ne paulatim ad majora fiat gradus. Additur, *Neque ſervum*, quod tam de captivis, quam de reliquo ſervorum genere intelligendum eſt; quos, ut nec cætera alterius bona, concupiſcere non debemus. Quod autem id

Rom. 6. 12. Galat. 5. 16. 1. Petr. 2.

præcepto mentio fit proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonſtretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem ejuſmodi, quæ ſecum continens ſit, appetere ſolent, ſicut Rex *Achab* concupivit vineam *Naboth*, ut faceret ſibi hortum olerum, quia vicina erat, & prope domum ejus (3. Reg. 21.) „ Vicinitas enim, quæ in parte amicitiæ „ ponitur, ab amore ad odium cupiditatis vitio tra„ ducitur „ (*inquit Concilii Trident. Catechiſmus.*)

ARTICULUS III.

Regulæ morum circa duo poſtrema præcepta.

REGULA PRIMA.

Lethalis peccati reus eſt, quiſquis pravæ, turpique concupiſcentiæ carnis præbet aſſenſum, vel ejus motibus non repugnat.

Rom. 6. 12. Divinum enim violat præceptum ab Apoſtolo promulgatum: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus.* Non enim ait: „ „ Ad habenda deſideria ejus; *ſed* ad obediendum deſideriis ejus, ut quoniam ſunt in aliis majora, in aliis minora, prout quiſque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem juſtitiæ, pudicitiæque ſervemus, ne illis obediamus; ſit tamen nec ipſa ſint deſideria, velle debemus, etiamſi in corpore mortis hu-
Rom. 7. jus id obtineri non poſſumus. Hinc Apoſt. ait. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*, id eſt, *concupiſco*: Quia & hoc nollet facere, ut eſſet omni ex parte perfectus. Si autem, quod nolo (inquit) hoc facio, conſentio legi, quoniam bona eſt, quia hoc & illa non vult, quod & ego nolo. Non vult enim, ut concupiſcam, quæ dicit: Non concupiſces; & ego nolo concupiſcere; in hoc itaque conſentiunt voluntas legis, & mea. Verum quia concupiſcere nolebat, & tamen concupiſcebat, ſed eidem concupiſcentiæ nequaquam conſentiendo ſerviebat, adjunxit: Nunc autem jam non ego operor illud,

ſed

ſed id, quod inhabitat in me peccatum „„. Ita S. *Auguſt.* lib. 1. *De nuptiis, & concupiſcentia*, cap. 27.

Et lib. *De Spiritu, & litera*. cap. 26. ubi præmiſit, aliud eſſe totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem, ideoque debere hominem, quamvis longe minus amet Deum, quam eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum, ſubdit: „„ His conſtitutis, peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire; non tantum in illis horrendis facinoribus & flagitiis perpetrandis, verum etiam in levioribus; ut vel aurem alicui voci, quæ audienda non eſſet, vel linguam alicui, quæ dicenda non eſſet, accommodet; vel in ipſo corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum, quod male delectat, & per præceptum ſcitur illicitum; etiamſi iſta quippe conſenſio eſt ad peccatum, quæ utique fieret, niſi pœna terreret „„.

Et lib. 3. *Ad Bonifacium*, cap. 7. „ Hic præceptum „ eſt, ut deſideriis peccati non obediamus; ibi præ„ mium, ut deſideria peccati non habeamus „.

REGULA II.

Uxorem alterius concupiſcere lethale peccatum eſt, quamvis non concupiſcatur ut adulterio polluenda, ſed ut matrimonio legitimo intercedente fruenda.

Qui enim ſic alienam uxorem deſiderat, prioris matrimonii diſſolutionem cupit, adeoque mariti mortem; ſiquidem matrimonium Chriſtianorum ſola morte diſſolvi poteſt, propter ſanctitatem Sacramenti; quod cum illicitum ſit, & inhumanum, nefas eſt alterius uxorem concupiſcere, vel eo fine, ut cum ipſa matrimonium contrahatur poſt obitum mariti, nefas eſt id ipſi declarare, ſive ſerio, ſive joco. Id enim abſque carnali concupiſcentia, & amore fieri non poteſt, quo jam ipſi adhærere incipit, eamque uſurpare. *Abigail* uxorem *Nabal*, eo defuncto, uxorem quærere, & accipere *David* jure potuit; ſed ſi vivente *Nabal* ipſam concupiviſſet, eamque in ma-

tra legem naturæ, quæ plures maritos a muliere haberi, aut deſiderari ſic vetat, ut nullo unquam caſu, nulla diſpenſatione id licere poſſit. Et ſi viri cupiditas alienam conjugem deſiderantis ipſum ad optandam, & procurandam mariti illius mortem frequenter impellit, quanto periculoſior mulieris inſano amore captæ, alienumque virum concupiſcentis libido? Sui certe mariti mortem optabit, & forte procurabit occaſione data, vel quæſita, necnon & mortem uxoris alienæ, ut novo, quem deperit, conjuge potiatur. *Notumque furens quid femina poſſit.*

REGULA IV.

Lethalis peccati in nonum præceptum rei ſunt, qui mulieres aliis deſponſatas concupiſcunt, abſtrahunt, abalienant.

Qui enim hæc pacta reſcindere ſtudeant, violant ſanctiſſimum fidei fœdus (inquit Catechiſmus Concilii hanc regulam tradens) Nec illos juris prætextus excuſat, quo declaratur, matrimonium per verba de præſenti contractum Sponſalia dirimere.

REGULA V.

Lethalis peccati reus eſt, qui feminam ad Dei cultum, religionemque conſecratam, vel religioſæ veſtis, velique ſuſceptione Chriſto deſtinatam, ſeque agni nuptiis præparantem, in conjugem expetit.

Id enim ſine Sponſi immortalis injuria, cui conjuncta, vel deſtinata eſt, & deſignata, fieri non poteſt; nec ſine crimine ſacrilegii. „ „ Et quemadmodum (*inquit Concilii Catechiſmus*) quæ alteri nupta eſt, eam concupiſcere omnino nefas eſt; ſic quæ ad Dei cultum, religionemque eſt conſecrata, nullo pacto licet illam uxorem appetere „ „. Lethalis etiam peccati reus eſt, qui mulieris, quam ſimplici caſtitatis voto ſcit obſtrictam, nuptias expetit, eamque de conjugio minime cogitantem ſolicitat, impellitque, ut

remiſſionem voti a ſummo Pontifice, nulla exiſtente cauſa legitima, obtineat, ea ut conjuge potiatur.

REGULA VI.

In decimum Decalogi præcepum graviter peccant, non ſolum qui rem alienam injuſtis, ſed etiam, qui promiſſis apud homines rationibus, atque (ut dici ſolet) ſub juris colore conſequi appetunt, aç poſſidere cum incommodo, vel damno proximi; & qui proprii quæſtus, & lucri cauſa calamitates, vel incommoda aliorum appetunt.

De ultimo Decalogi præcepto. Philip. 3.

Illos charitate, quæ *Non quærit, quæ ſua ſunt*, plane deſtitutos eſſe manifeſtum eſt, & apoſtolici præcepti immemores eſſe: *Non quæ ſua ſint ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Tales ſunt, qui ad juris rigorem omnia omnino exigunt, nulla æquitatis habita ratione, idque ſui duntaxat commodi gratia, non curantes, quam male conſultum ſit proximo, quam grave damnum patiatur, nec damni etiam occaſionem dare metuunt. Qui res alienas his modis, aut aliis mox explicandis concupiſcit, in eodem peccatorum ordine, quo fures, & homicidæ, a *S. Petro* recenſetur: *Nemo veſtrum* (inquit) *patiatur, aut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Hinc S. Paulus 1. ad Theſſ. 4. Fideles chriſtianæ vitæ præceptis informans: *Nullius* (inquit) *aliquid deſideretis.* Et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Ad eumdem modum peccant emptores, & venditores, necnon permutatores, qui ſe mutuo in contrahendo decipiunt, etſi intra dimidium juſti pretii, quamvis lex civilis ob id contractum non reſcindat. Nam alia lex eſt fori, alia poli, quæ præcipit, ut *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Quamobrem tam vendentes, quam ementes omnem dolum fugere, ac proximum

1. Pet. 4.

de

de rei æſtimatione, juſtoque pretio admonere debent, nec abuti in ſuum commodum ejus, vel ætate, vel ſimplicitate, & ignorantia, vel incuria, vel neceſſitate. Gravius peccant tutores, & curatores, & cæteri, quibus perſonæ, vel res aliorum ſunt commiſſæ, cum ſinunt eos, quorum tutelam gerunt, genio indulgere, ut ipſi tandem eorum bona ad ſe pertrahant, aut qui negligentius in rebus eorum, quam in ſuis agunt. Hoc item præceptum violant, qui ludis prohibitis delectantur, aut etiam ludis licitis immoderate abutuntur lucri gratia. Peccant etiam graviter in hoc præceptum mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt, atque id ægre ferunt, ut alii præter ipſos ſint, qui vendant, aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere poſſint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipſi lucrentur. Lethaliter etiam peccant milites, qui bellum expetunt, ut furari ipſis liceat: Medici item, qui morbos deſiderant. Jureconſulti, judices, advocati, procuratores, actuarii, ſive ſcribæ, qui cauſarum, litiumque vim, & copiam concupiſcunt. Tum artifices, qui quæſtus avidi, omnium, quæ ad victum, cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucrifaciant. In hoc præterea genere graviter ii peccant, qui alienæ laudis, gloriæque avidi, atque appetentes ſunt, non ſine aliqua famæ alterius obtrectatione (inquit Conc. Trid. Catechiſmus.) In hoc tandem præceptum peccant, qui ſervos, aut ancillas, ſeu mercenarios, ſeu quoſvis homines aliorum obſequiis amoris, obſervantiæque impulſu addictos, verbis, ſpe, pollicitationibus, præmiis corrumpunt, aut ſolicitant, ut eos deſerant, quibus ſe ipſi ſponte addixerunt. Imo vero ſi ante id tempus, quo ſe in illorum famulatu fore promiſerant, ab illis receſſerint, hujus præcepti auctoritate admonendi ſunt, ut ad eos ipſos omnino revertantur; (inquit Concilii Catechiſmus) *Radix* horum, & *omnium malorum cupiditas*, ut docet Apoſt. 1. ad *Timoth. 6.*

REGULA VII.

Poſtremum Decalogi præceptum omni ex parte non implemus, niſi ardenti ſtudio optemus id potiſſimum effici, non quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult.

Cum enim hoc præceptum id commune habeat cum cæteris, ut partim aliquid vetet, partim jubeat; quod jubet, illud eſt, ut Dei voluntatem magis, quam deſideria noſtra impleri velimus. Voluntas autem Dei in eo maxime eſt, ut ſancti eſſe ſtudeamus, animumque noſtrum ab omni cupiditatis, terrenorumque affectuum labe purum, integrumque ſervemus, ſecundum, illud Apoſt. 1. Theſſ. 4. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*; ut exerceamus nos iis mentis, ac ſpiritus officiis, quæ corporis repugnant ſenſibus, horumque edomitis appetitionibus, & carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, non ratione ſolum, ſed Spiritu ſancto duce, rectum chriſtianæ vitæ curſum teneamus: *Ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Mortificemus ergo membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram; carnem crucifigamus cum vitiis, & concupiſcentiis. Chriſto paſſo in carne, & nos eadem cogitatione armemur; *Quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis; ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis.* Senſus noſtros diligenter cuſtodiamus, per quos veluti feneſtras peccatum, & mors ſpiritualis in animum ingrediuntur, eamque deprædantur, ac illicitis deſideriis occidunt, ut ait Salomon Prov. 21. *Deſideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus operari; tota die concupiſcit, & deſiderat; qui autem juſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit.* Simus ſemper ad omne opus bonum parati, & accincti, monente Chriſto: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles homi-*

ad Tit. 2.

1. Petr. 4.

Luc. 12.

nibus

nibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis.

Incumbamus jugiter orationi, gratiamque Dei imploremus, ad pravas cupiditates comprimendas neceſſariam; quia ſolius medici cœleſtis gratia ſanari poſſumus a morbis deſideriorum noxiorum. Oremus, ne tradat nos Deus in deſideria cordis noſtri, quod malum damnationi proximum eſt, de quo Apoſtolus ad Romanos 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Oremus cum Sapiente: *Domine Deus, & Pater vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne deſeris mihi, & omne deſiderium averte a me. Aufer a me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti, & infrunitæ ne tradas me.* Deſideriorum objectum mutemus, Deum noſtrum duntaxat deſideremus, cum Propheta dicentes: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Æternam vitam deſideremus, & propter illam contemnamus cuncta ſuperflua; illi adipiſcendæ temporalem iſtam velut famulum expeditiorem ſervire faciamus, depoſitis ſarcinis curarum noxiarum, terrenorumque, & inutilium deſideriorum. Audiamus Dominum, qui nobis illam vitam ſummo ardore deſiderandam fideliſſime pollicetur, velut in totius mundi concione clamantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum levе.* (Matth. 11. 28.) „ „ Hæc diſciplina piæ humilitatis (*inquit S. Auguſt. Epiſtola* 127. *alias* 45.) ventoſam, & turpidam cupiditatem, avidam rerum extra noſtram poteſtatem conſtitutarum pellit ex animo, & quodammodo exſpirat. Ibi enim labor, ubi multa quæruntur, & diliguntur, quibus adipiſcendi, atque retinendi voluntas, non ſatis eſt, quia conſequentem non habet facultatem. Juſta vero vita, cum volumus, adeſt, quia eam ipſam plene velle, juſtitia eſt; nec

Eccl. 23.

Pſal. 41.

nec plus aliquid perficienda juſtitia, quam perfectam voluntatem requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt. Unde divinitus dictum eſt: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Ubi pax, ibi requies; ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena ſit, oportet, ut ſana ſit. Erit autem ſana, ſi medicum non refugiat, cujus ſolius gratia ſanari poteſt a morbo deſideriorum noxiorum. Ipſe eſt ergo medicus, qui clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis*, jugum ſuum lene, & onus leve dicens; quia diffuſa per Spiritum ſanctum charitate in cordibus noſtris, profecto amabitur, quod jubetur, & non erit aſperum, nec oneroſum, ſi ſub hoc uno jugo quanto minus tumida, tanto magis libera cervice ſerviatur. Et hæc eſt una ſarcina, qua ejus bajulus non premitur, ſed levatur. Divitiæ, ſi diliguntur, ibi ſerventur, ubi perire non poſſunt. Honor ſi diligitur, illic habeatur, ubi nemo indigens honoratur. Salus ſi diligitur, ibi adipiſcenda deſideretur, ubi adepta nihil timetur. Vita ſi diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur „ „

c. 2. 14.

Sanctimoniam, & pacem, ſine qua nemo videbit Deum, ſectari non poſſumus, niſi concupiſcentias noſtras comprimamus, bellorum, & litium matres, ex S. Jacobi ſententia Epiſtolæ catholicæ, cap. 4. *Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis; occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci; litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis. Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Suſcipere non poſſumus cum manſuetudine Dei verbum, quod ſalvare poteſt animas noſtras, niſi pravarum cupiditatum ſpinas ex animis noſtris evellere, & eradicare continuo ſatagamus, quoniam verbum illud cœleſte a magno illo agricola Deo animis noſtris inſitum concupiſcentiarum ſenſibus ſuffocatur, ne fructum afferat, ut docet Chriſtus Marci 4. *Et alii ſunt* (inquit) *qui in ſpinis ſemi-*

minantur; hi ſunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ ſeculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficiunt.

Ad puriſſimam lucem veritatis, æternæque legis, quæ Deus eſt, cæcutimus, igne malo cupiditatum inflammati: Pſal. 57.9. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Vicit illos concupiſcentia carnis. Et iſta concupiſcentia unde venit? Attendite. „„ De tradux natus es, cum eo quod vincas; noli tibi hoſtes addere, vince, cum quo natus es. Ad ſtadium vitæ hujus cum illo veniſti, congredere cum eo, qui tecum proceſſit. Ipſo non victo, quare provocas catervas concupiſcentiarum? Delectatio enim carnalis cum homine naſcitur. Sed qui bene eruditur, cito videt hoſtem ſuum, & aggreditur, & luctatur, & cito vincit; idoneus eſt enim nondum creſcentibus hoſtibus. Qui autem illam concupiſcentiam, cum qua de peccati propagine natus eſt, contemnit vincere, & multas adhuc excitat, exeritque libidines, difficulter eas ſuperat, & adverſus ſe ipſe diviſus, igne proprio concrematur „„ (*Verba ſunt S. Auguſtini* Enarratione in Pſ. 57.) Ignem malum, ac noxium cupiditatis exterminet divinus ignis charitatis, improbam voluntatem bona voluntas, deſiderium peccati ſanctum deſiderium Dei, & eorum, quæ Deo grata ſunt, & accepta. Nam „ Quanto magis regnum cupiditatis minuitur, tanto „ regnum charitatis augetur „ (*inquit S. Auguſt.* lib. 3. *De Doctrina chriſtiana* cap. 10.) *Quamobrem* Non „ præcipit Scriptura niſi charitatem, nec culpat niſi „ cupiditatem, & eo modo informat mores hominum „. Eo collineant generalia duo illa præcepta, *Non concupiſces*, & *Diliges*, ut *S. Auguſtinus* docet libro *De perfectione juſtitiæ*, cap. 4. „„ Generalis prohibitio eſt, *Non concupiſces*; & generalis juſſio, *Diliges.* Unde breviter & Apoſtolus Paulus quodam loco utrumque complexus eſt. Prohibitio enim eſt: *Nolite conformari huic ſeculo*: juſſio autem: *Sed reformamini in novitate mentis veſtræ.* Illud pertinet ad

non

CAPUT PRIMUM.

De Oratione in genere.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Oratio.

Quid ſit Oratio.

Oratio definitur a *S. Joanne Damaſceno*, lib. 3. *De Fide* cap. 24. *Petitio decentium a Deo*: Sive *Mentis ad Deum aſcenſus*. Conſonæ ſunt definitiones illæ notioni orationis a *S. Baſilio* traditæ, Homilia in Martyrem Julittam: *Oratio* (inquit) *eſt boni cujuſpiam petitio, quæ ad Deum a piis effunditur*. Et a *S. Auguſtino*, ſive alio auctore Sermonis 73. in Appendice, aliàs inter Auguſtinianas *De Tempore* 230. „ Quid eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia, „ inquiſitio ſupernorum, inviſibilium deſiderium? „ Oratio eſt conjunctio Spiritui ſancto „. Ex *S. Auguſt.* Enarratione in Pſalm. 37. definiri poteſt: *Cordis deſiderium & gemitus ad Deum directus*. Unde Prophe-ta ait: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus*. Si deſiderium tuum ante illum, & Pater, qui videt in occulto, reddet tibi. *Ipſum enim deſiderium tuum oratio tua eſt*. Sed deſiderium rerum æternarum, vel ad ſalutem æternam conducentium. Ab eodem Patre definitur oratio: *Locutio ad Deum*.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 37. & 85. Pſalm. 37.

II. Duplex eſt oratio, inferior una, ſive *Mentalis*; exterior altera, ſeu *Vocalis*. Ad mentalem pertinet illud Pſalmi 26. *Tibi dixit cor meum; exquiſivit te facies mea*, Pſalm. 18. *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*: Pſalm. 38. *Et in meditatione mea exardeſcet ignis*. Et 1. *Regum* cap. 1. *Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*. Hæc neque in ſuſpenſione omnis actus, neque in ſola receptione, aut ſtatu quodam paſſivo, neque in ſpeculatione ſola, nec in ſolo amore, ſed in actibus intellectus, & voluntatis ad Dei cultum, & honorem relatis, meditatione ſcilicet, ſive conſideratione rerum divinarum & nihili no-

Quotuplex Oratio. Oratio mentalis.

ſtri, atque indigentiæ, & Dei amore, rerumque æternarum deſiderio, aliiſque piis affectibus poſita eſt.

Contemplatio, ſupremus illius orationis gradus.

Supremus illius orationis gradus eſt contemplatio, qua anima ſupra terrena phantaſmata evecta, abſque inquiſitione rationis, & vago variorum diſcurſu, Deum, reſque divinas libere conſiderat, in eiſque defixa penitus mentis acie, caſto, ardentique amore Deo conjungitur, ipſum complectitur, in eoque unice delectatur. Definitur a *S. Auguſt.* libro 12. *Contra Fauſtum*, cap. 42. „ Sancta quædam ebrietas alienatæ „ mentis ab infra labentibus temporalibus æternam „ lucem ſapientiæ contuentis „. Ad hunc orationis gradum non perveniunt niſi purgatæ animæ, quæ diuturna pœnitentia, & mortificatione, perturbationes, & pravas cupiditates naturæ corruptæ ſubegerunt, propriæque voluntatis ſtudiis, & affectibus ſeſe exuerunt. Ad illum autem ſenſim per varios divinarum illuſtrationum gradus perducunt. Vulgaris itaque divinorum mandatorum obſervantia non ſufficit, ut quis ad ſummum illum orationis gradum perveniat, ſed variis laboribus, inſigniumque virtutum operibus, in quibus evangelicas Beatitudines Chriſtus conſtituit, exercitatum eſſe neceſſe eſt. *Liæ*, & *Rachelis* duarum Jacob uxorum typo ſignificatum, *S. Auguſt.* explicat lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 52. Liam interpretatur *Laborantem*, Rachelem vero *Viſum principium*, ſive *Verbum*, *ex quo videtur principium.*

Ad hunc orationis gradum non ſubito ſed ſenſim per varios gradus pervenitur.

„ Actio ergo humanæ, mortaliſque vitæ, in qua vi„ vimus ex fide, multa laborioſa opera facientes, „ incerti quo exitu provenient ad utilitatem eorum, „ quibus conſulere volumus, ipſa eſt *Lia* prior uxor „ Jacob; ac per hoc & infirmis oculis fuiſſe com„ memoratur. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & „ incertæ providentiæ noſtræ.* Spes vero æternæ con„ templationis Dei, habens certam, & delectabilem „ intelligentiam veritatis, ipſa eſt *Rachel*; unde et„ iam dicitur pulchra ſpecie. Hanc enim amat om„ nis pie ſtudioſus, & propter hanc ſervit gratiæ „ Dei, qua peccata noſtra, etſi fuerint ſicut cocci-

Sap. 9.

„ num,

num ; tanquam nix dealbabuntur. *Lia* quippe interpretatur *Dealbationem*, cui ſervivit Jacob propter Rachel. Neque enim ſe quiſquam convertit ſub gratia remiſſionis peccatorum ſervire juſtitiæ, niſi ut quiete vivat in verbo ; ex quo videtur principium, quod eſt Deus ; ergo propter Rachel, non propter Liam : Nam quis tandem amaverit in operibus juſtitiæ laborem actionum, atque paſſionum ? Quis eam vitam propter ſeipſam expetiverit ? Sicut nec Jacob Liam ; ſed tamen ſibi nocte ſuppoſitam in uſum generandi, amplexus ; & foecunditatem ejus expertus eſt : Dominus enim eam, quia per ſeipſam diligi non poterat, primo ut ad Rachel perveniretur, tolerati fecit, deinde propter filios commendavit. Ita vero unuſquiſque utilis Dei ſervus ; ſub dealbationis peccatorum ſuorum gratia conſtitutus, quid aliud in ſua converſione meditatus eſt ; quid aliud corde geſtavit ; quid aliud adamavit, niſi doctrinam ſapientiæ ? Quam plerique ſe adepturos, & percepturos putant, ſtatim ut ſe in ſeptem præceptis legis exercuerint, quæ ſunt de dilectione proximi, id eſt : *Honora patrem, & matrem, non mœchaberis ; non occides ; non furaberis ; non falſum teſtimonium dices ; non concupiſces uxorem proximi, non concupiſces rem proximi* ; quibus quantum potuerit ; obſervatis ; poſteaquam hominis pro concupita, & ſperata pulcherrima delectatione doctrinæ ; per tentationes variis, quaſi per hujus ſeculi noctem, tolerantia laboris adhæſerit ; velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta ſit ; & hanc ſuſtinet ; ut ad illam perveniat ; ſi perſeveranter amat, acceptis aliis ſeptem præceptis ; ac ſi dicatur ei, ſervi alios ſeptem annos pro Rachel, ut ſit pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſuriens, ſitiensque juſtitiam, miſericors, mundicors, pacificus. Vellet homo, ſi fieri poſſet, ſine illa tolerantiæ laboris, quæ in agendo, patiendoque amplectenda eſt, ſtatim ad pulchræ, atque perfectæ ſapientiæ delicias pervenire ; ſed hoc non poteſt in terra mo-

„ rientium. Hoc enim videtur ſignificare, quod di-
Gen. 29. „ ctum eſt Jacob: *Non eſt in loco noſtro conſuetudi-*
„ *nis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Quia non
„ abſurde major appellatur, quæ tempore prior eſt.
„ Prior eſt autem in recta hominis eruditione labor
„ operandi, quæ juſta ſunt, quam voluptas intelli-
„ gendi, quæ vera ſunt.

Ad ſummum illum orationis gradum fide, charitate, & humilitate pervenitur.

Ad ſummum illum orationis gradum, non ſcientia, ſed fide; charitate, & humilitate pervenitur, atque cognitione infirmitatis ſuæ, de qua *S. Auguſt.* lib. 4. *De Trinit.* cap. 1. ſcribit: „„ Scientiam terreſtrium, cœleſtiumque rerum magni æſtimare ſolet genus humanum; in quo profecto meliores ſunt, qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos; laudabiliorque eſt animus, cui nota eſt, vel infirmitas ſua, quam, qui ea non reſpecta, vias ſiderum ſcrutatur etiam cogniturus; aut, qui jam cognitas tenet, ignorans ipſe, qua ingrediatur ad ſalutem, ac firmitatem ſuam. Qui vero jam evigilavit in Deum, Spiritus ſancti calore excitatus, atque in ejus amore coram ſe viluit; ad eumque intrare volens, nec valens, eoque ſibi lucente, attendit in ſe, invenitque ſe, ſuamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non poſſe cognovit, flere dulce habet, eumque deprecari, ut etiam, atque etiam miſereatur, donec exuat totam miſeriam. & precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore ſalutis, per ejus unicum Salvatorem hominis, & Illuminatorem; hunc ita agentem, & dolentem ſcientia non inflat, quia charitas ædificat; præpoſuit enim ſcientiam ſcientiæ, præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam, magis quam ſcire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & faſtigia cœlorum; & hanc apponendo ſcientiam, appoſuit dolorem; dolorem peregrinationi ſuæ ex deſiderio patriæ ſuæ, & conditoris ejus beati Dei ſui„„.

Qui ad contemplationis apicem pervenerunt, virtutum chriſtianarum actibus ceſſare debeant.

Qui autem ad illum contemplationis apicem pervenerunt, tantum abeſt, ut a virtutum chriſtianarum actibus ceſſare debeant, ut potius eas majori ſtudio, ac fervore debeant exercere. „„ Cum perventum

tum fuerit, ſimul habebitur in hoc ſeculo, non ſolum ſpecioſa intelligentia, ſed etiam laborioſa juſtitia. Quamlibet enim acute, ſinceriterque cernatur a mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum, ſed propter hoc multa ferenda ſunt „„ (*inquit S. Auguſt.* lib. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 4.) Sed nec in ipſo ſanctæ Contemplationis otio ab omni actione ſuſpenſa eſt anima; cum abſque cognitione, & amore Dei contemplatio illa, quæ futuræ beatitatis pignus, & præguſtatio eſt, omnino eſſe non poſſit, nec abſque religionis, adorationis, atque humilitatis actibus frequentiſſimis valeat ſubſiſtere. Qui ad hunc orationis gradum donante, & illuminante Deo perveneruut, requieſcunt non ſolum ab operibus malis, ſeu a cogitationibus ſupervacuis, verum ab actibus fidei, ſpei, charitatis, humilitatis non quieſcunt, quibus anima in Deo, & viciſſim in anima Deus quieſcit. Sic in illis impletur Propheticum illud: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus...* Et: *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Cæterum, quod repetere non piget, illuc pervenitur „„ Potius intima compunctione, quam profunda inveſtigatione, ſuſpiriis, quam argumentis; crebris lamentationibus, quam copioſis argumentationibus, lacrymis, quam ſententiis, oratione, quam lectione, gratia lacrymarum, quam ſcientia literarum „„ (*inquit Auctor* libri *De interiori Domo*, inter opera *S. Bernardi* editi.) Hæc principia apponere lubuit occaſione data, damnatis Quietiſtarum principiis.

tutes majori ſtudio, ac fervore exercere debent.

Nec in ipſo S. Contemplationis otio ab omni actu ſuſpenſa eſt anima.

Pſal. 45. & 33.

3. Vocalis orationis exempla frequentia ſunt in Scripturis, ad illamque pertinet illud Apoſtoli: *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Quod Oſee Prophetæ ſententiam exprimit: *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei; Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum; & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Sed & Chriſtus nos verbis docuit

Vocalis oratio. Hebr. 13.

Oſee 14.

orare; non quod verba neceſſaria ſint, ut indigentiam noſtram Deo aperiamus, qui novit omnia, antequam fiant, & novit, quid nobis ſit neceſſarium, antequam petamus ab eo; ſed ut verbis velut ſignis ad recordationem rerum, quas ſignificant, ad eaſque poſtulandas a Deo, excitemur. Non verbis igitur agere debemus apud Deum, ut impetremus, quod volumus: *Sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura, & ſimplici affectu*; ſed res ipſas verbis nos docuit Dominus noſter, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur (inquit *S. Auguſt.*)

4. Duplex rurſus oratio eſt, communis, ſive publica, & ſingularis, ſive privata. Prima eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius populi fidelis Deo offertur. Altera eſt, quæ ab aliquo privato offertur, ſive pro ſe, ſive pro aliis orante. Ad publicam orationem ſpectat, quod *Tertullian.* ſcribit, *Apologetici* cap. 39. „ Coimus ad Deum quaſi manu facta „ precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt „.

5. Oratio communis, & publica vocalis eſſe debet. Cum enim totius populi fidelis nomine Deo offeratur, chriſtianæ plebi, pro qua offertur, neceſſe eſt, ut innoteſcat. Quamobrem recte inſtitutum eſt, ut Eccleſiæ miniſtri publicas orationes alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium pervenire poſſint. Privatas autem orationes vocales eſſe, minime neceſſe eſt. Voce tamen profertur oratio ob triplicem rationem.

Ratio triplex, ob quam voce profertur oratio.

Primo ad excitandam interiorem devotionem, quia per exteriora ſigna interior affectus promovetur, hiſque permota mens ad Deum aſcendit. Unde *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. ait: „ In ipſa fide, & ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus, nobiſmetipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acrius

ex-

excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus „„. Ideoque privatim orantibus, voce, aliiſve ſignis tantum utendum eſt, quantum utile eſt ad mentis affectum excitandum. Ab illis vero abſtinendum eſt, ſi mens per illa diſtrahatur, vel quovis modo impediatur. Quod in iis præcipue uſuvenit, quorum mens ſine hujuſmodi ſignis ad devotionem ſatis parata eſt & propenſa.

Secundo, vocalis oratio adhibetur „„ quaſi ad redditionem debiti (*ut loquitur S. Thom. qu.* 83. *art.* 12.) Ut ſcilicet homo Deo ſerviat ſecundum illud totum, quod ex Deo habet, id eſt, non ſolum mente, ſed etiam corpore „„. Quod præcipue competit orationi quatenus eſt ſatisfactoria. Unde *Oſee* ultimo dicitur: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

Tertio vocalis oratio uſurpatur, quia vehemens affectio animi quodammodo redundat in corpus, ſecundum illud Pſal. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.*

6. Orationis præcipuæ partes ſunt *Obſecrationes*, *Orationes*, *Poſtulationes*, & *Gratiarum actiones*, ut docet Apoſtolus 1. ad *Timoth.* 2. quarum explicationem *S. Hilarius* in Pſalm 140. *S. Auguſt.* Epiſt. 149. alias 59. ad *Paulinum*, & *S. Thomas*, 2. 2. qu. 83. art. 17. tradunt. *Precationes* intellige, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, id eſt, ante panis, & vini Conſecrationem. *Orationes*, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur; id eſt, Canon Miſſæ, a Conſecratione uſque ad Communionem. „„ Quam totam petitionem (*inquit S. Auguſt.*) fere omnis Eccleſia Dominica oratione concludit. *Poſtulationes* vero fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim antiſtites velut advocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordioſiſſime offerunt Poteſtati „„. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, *Gratiarum actio* cuncta concludit. Has vero partes quoniam in cæteris orationibus diſcernere

Orationis partes præcipuæ.

Chriſto nomen dediſſent, Apoſtoli tradiderunt. Ad Phil. 4. *In omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* 1. ad Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate.* 1. ad Timoth. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira, & diſceptatione. Similiter & mulieres, &c.*

Orationis neceſſitas in indigentia noſtra fundata.

Præterea, tam multis indigemus bonis, & commodis ad animum, & corpus tuendum neceſſariis, ut ad orationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam, & indigentiæ noſtræ interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam cum nihil cuique debeat Deus, reliquum eſt, ut quæ nobis opus ſunt, ab eo precibus expectemus, tanquam ejus mendici. *Ego vero egenus, & pauper ſum* (inquiebat Rex David) *Deus adjuva me.* Ego tanquam pupillus, anima mea tanquam vidua deſtituta, & deſolata, auxilium quæro, ſemper infirmitatem meam confiteor. *Ego vero egenus & pauper.* Donata ſunt mihi peccata, jam cœpi ſequi præcepta Dei; adhuc tamen egenus, & pauper. Unde egenus, & pauper? Quia *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Unde egenus, & pauper? Quia *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Adhuc eſurio, adhuc ſitio. Saturitas mea dilata eſt, non ablata. *Ego vero egenus, & pauper ſum, Deus, adjuva me.* Rectiſſime & Lazarus *Adjutus* interpretari dicitur; ille egenus, & pauper, quia ablatus eſt in ſinum Abrahæ. „ Et gerit „ typum Eccleſiæ Dei, quæ ſemper confiteri debet ad„ jutorio ſibi opus eſſe. Hoc eſt verum, hoc eſt pium „ *Dixi Domino, Deus meus es tu*, „ Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Ille non eget noſtri, nos egemus ipſius; ideo vero Dominus. Nam tu non valde verus Dominus ſervi tui; ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui ſervum tuum, ut des panem, eges tu ſervi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque veſtrum altero veſtrum indiget. Itaque nullus veſtrum vere Dominus, & nullus veſtrum vere ſervus. Audi verum Dominum, cujus verus es ſervus; *Dixi Domino, Deus meus es tu*, Quare

Pſal. 69.

Rom. 7.

Matth. 5.

Pſal. 15.

re tu Dominus? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Quid autem tu? *Ego vero egenus, & pauper.* Ecce egenus, & pauper. Paſcat Deus, ſublevet Deus, adjuvet Deus; *Deus* (inquit) *adjuva me.* Sic dixerat *S. Auguſt.* Enarr. in Pſal. 69.

Oramus, ut Dei voluntatem, quantum in nobis eſt, impleamus.

Oramus porro, non ut divinæ providentiæ conſilia, & æterna decreta immutemus, quod fieri non poteſt, ſed ut æternam, immutabilem, & ſemper adorandam Dei voluntatem, quantum in nobis cum gratia ipſius eſt, impleamus, id impetrando, quod pie poſtulantibus dare decrevit: „ „ Obtineri *quidem* non poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerint; ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis regni Prædeſtinatio ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant; quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſecula diſpoſuit donare „ „ (*Verba ſunt S. Gregorii magni*, lib. 1. *Dialogorum*, cap. 8.) Quamobrem etſi Deum, qui abundantia pietatis ſuæ, & merita ſupplicum excedit, & vota, noſque prævenit in miſericordia, & miſerationibus, multa dare non petentibus certum omnino ſit, nempe fidem, pœnitentiam, ipſam orandi gratiam, & alia, quia tamen plurima ſunt, quæ donare non vult niſi rogatus, eum rogare neceſſe eſt. Quamvis *Elias* Propheta Dei nomine pluviam promiſiſſet, ſciretque falſum eſſe non poſſe, quod Deus promiſit, pluviam tamen a Deo ferventer poſtulavit, quam uni orationi concedendam noverat. *Kurſum oravit, & cœlum dedit pluviam.* Dæmonum quoddam genus Chriſtus eſſe docet, quod *Non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.* Quare magnam ſibi adimunt facultatem ſingularium donorum, qui hanc conſuetudinem, exercitationemque non adhibent pie, ac diligenter orandi. Unde S. Jacobus Apoſtolus cap. 4. ait: *Non habetis, propter quod non poſtulatis.* Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet; (inquit *S. Aug.*) Conſtat, Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei,

3. Reg. 18.

Jac. 5.

Matth. 17.

Multa bona Deus dare non decre-

fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam (inquit idem S. Doctor lib. *De bono perſeverantiæ*, cap. 16.) Novit plane Deus, quid nobis neceſſarium ſit; ſed tamen oratione opus eſt: „ Quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſ renat, & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda divina munera, quæ ſpiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare lucem ſuam nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem, & ſpiritalem; ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione converſio cordis ad eum, qui ſemper dare paratus eſt. ſi nos cupiamus, quòd deerit; & in ipſa converſione purgatio interioris oculi, cum excludantur ea, quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis ſimplicis ferre poſſit ſimplicem lucem, divinitus; ſine ullo occaſu, aut immutatione fulgentem; nec ſolum ferre, ſed etiam manere in illa, non tantum ſine modeſtia, ſed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere, ac ſinceriter beata vita perficitur „. Verba ſunt *Sancti Auguſtini* lib. 2. *de Sermone Domini in monte*, cap. 3.

vit, nisi orantibus

Et Epiſtola 130. *alias* 121. „ Intelligamus (*inquit*) quod Dominus, & Deus noſter non voluntatem noſtram ſibi velit innoteſcere, quam non poteſt ignorare, ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad capiendum parvi, & anguſti ſumus. Ideo nobis dicitur; *Dilatamini & vos.* Tanto quippe illud, quod valde magnum eſt, quod, nec oculus vidit, quia non eſt color, nec auris audivit, quia non eſt ſonus, nec in cor hominis aſcendit, quia cor hominis illuc debet aſcendere, ſumemus capacius, quanto id & fidelius credimus, & ſperamus firmius, & deſideramus ardentius „. 2. Cor. 6.

Neceſſaria eſt oratio, ut gratiam impetremus a Deo, ſive ad tentationes vincendas, quæ undique frequen- Oratio neceſſaria ut gratiam a

tes

Dei impetramus.

tes ingruunt, ſive ad implenda divina mandata, quæ non impleremus niſi ſanata infirmitate voluntatis noſtræ per gratiam medicinalem Salvatoris, ſive ad perſeverandum, cum donum perſeverantiæ orationi aſſiduæ, ac ferventi detur. Ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio. „ „ Agendæ ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, ne ſuccumbat infirmitas (*inquit S. Auguſt. Tractatu* 53. in Joannem.) *Et Enarratione in Pſalm.* 120. Poteſtatem accepiſti, ut poſſis filius Dei fieri; unde accepiſti hanc poteſtatem? Credentibus (*inquit*) in nomine ejus. Si ergo credis, ipſa tibi poteſtas data eſt, ut ſis inter filios Dei; ſed quid valet ipſa poteſtas, quam accipit homo, niſi Dominus protegat? Ecce credidit, jam ambulat in fide, infirmus eſt, inter tentationes agitur, inter moleſtias, inter carnales corruptiones, inter ſuggeſtiones, inter cupiditates, inter verſutias, & laqueos inimici. Quid ergo valet, quia habet poteſtatem; & credidit in Chriſtum, ut ſit inter filios Dei? Væ homini illi, niſi & ipſius fidem Dominus protegat, id eſt, ut non permittat tentari, ſupra quam poteſt ferre. *Homo quidam deſcendens ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones, qui ſemivivum reliquerunt*, gravibus ſaucius, confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere; quia etiamſi jam in ſtabulo eſt, adhuc curatur. Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis. Jam nunc videamus, unde poſſit, unde non poſſit... Medicina poterit, quod vitio non poteſt „ „ (*inquit S. Auguſt.* lib. *De Natura, & Gratia*, cap. 43.) Ad Medicum ergo confugiendum eſt, ejuſque implorandum auxilium, ſine quo nihil facere poſſumus. *Et cap.* 67. „ „ Illinc gratias agant, cum inſtituerint bene vivere, quod aliquid ſine difficultate fecerint, & ubi difficultatem aliquam ſentiunt, fideliſſimis, & perſeverantiſſimis precibus, & miſericordiæ promptis operibus facilitatem a Domino impetrare perſiſtant „ „.

Luc. 10. 30.

Et libro *De Gratia, & libero Arbitrio*, cap. 16.

„ „ Cer-

„„ Certum eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab ipſo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus „„.

Idem confirmat *S. Fulgentius*, lib. 2. *De veritate prædeſtinationis*, cap. 3. „„ Cognitione (*inquit*) mandati liberum hominis arbitrium convenitur.... Ut per mandati notitiam infirmitatis ſuæ ſibi conſcius fiat, & adjutorium gratiæ medicinalis expoſcat, qua percepta poteſt diligere, quod jubetur, & facere, & agnoſcere, vel quid poſſit, vel quid non poſſit, & ut poſſit expoſcere, & ſibi ſuæ infirmitatis imputare miſeriam, & ſanitatis aſſignare beneficiis medicinalibus gratiam „„.

Ad obtinendum perſeverantiæ donum ita neceſſaria oratio eſt, ut „„ Ipſius S. Petri ardentiſſima fides in tentationibus defeciſſet, niſi pro eo Dominus ſupplicaſſet: *Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficias fides tua* „„. S. Proſper in Epiſt. ad Ruffin. Luc. 22. 32.

ARTICULUS III.

De Utilitate Orationis.

I. Multiplices Orationis fructus in Concil. Trid. Catechiſmo recenſentur. Primus eſt, quod orantes honorem Deo exhibemus; ſiquidem oratio religionis actus, & argumentum eſt. Quamobrem in ſacris Literis thymiamati comparatur. *Dirigatur oratio mea* (inquit Propheta) *ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Hinc *Clemens Alexandrinus*, lib. 7. Stromatum ait: „ Deum precibus honoramus, & hoc eſt optimum, ac ſanctiſſimum Sacrificium „. Et *S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 140. „ Oratio (*inquit*) pure directa „ de corde fideli tanquam de Ara ſancta ſurgit incenſum „. Non extra nos quærenda eſt victima: *Apud me oratio vitæ meæ.* Intus habeo victimam, quam immolem, thus, quod imponam, ſacrificium, quo flectam Deum meum: *Dicam Deo, Suſceptor meus es.* Hac ratione Deo ſubjectos nos eſſe profitemur, quem

Primus orationis fructus. Pſal. 140. Pſal. 42.

quem bonorum omnium auctorem agnoſcimus, & prædicamus. Hac profeſſione maxime Deus honoratur: *Invoca me* (inquit) *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Pſal. 49.

Orationis fructus alter. II. Fructus alter orationis eſt eorum, quæ a Deo poſtulamus, impetratio. Oratio clavis eſt cœli, aſcendit oratio, & deſcendit miſeratio. Accipimus autem fidei, ſpei, & charitatis augmentum, neceſſarium ad vincendas tentationes auxilium, vires ad victoriam de ſalutis noſtræ hoſtibus, mundo, carne, diabolo reportandam, remiſſionem peccatorum, liberationem a pœnis, omnis benedictionis ſpiritualis in Chriſto Jeſu copiam, gaudii ſingularis plenitudinem. *Petite* (inquit Chriſtus) *& accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Joan. 16. Præſto eſt Dominus, ut exaudiat clamantes ad ſe. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet illos.* Pſal. 144. Hinc idem Propheta ait: *Quoniam tu, Domine, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.* Pſal. 85. Et Iſaias: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adſum, ſi abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui, quod non prodeſt.* Iſai. 58. Et alibi: *Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Iſai. 65. Prophetæ concinit Apoſtolus: *Idem* (inquit) *Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Rom. 10. Non expectat preces noſtras, illas tribuendi celeritate antevertit. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Pſalm. 9. Quin etiam digne petentibus ſæpe multo plus tribuit, quam poſtulaverint: *Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis.* Epheſ. 3. Id filii prodigi ſimilitudine declaratur, qui a patre id unum poſtulabat, ut loco mercenarii illum haberet; verumtamen pius, & miſericors patet *Accurrens cecidit ſuper collum ejus, &* Luca 15.

oſcu-

oſculatus eſt eum, juſſitque ipſi reſtitui *Stolam primam*, *& annulum*, conviviumque inſtrui, & tibicines vocari, ſuam de illius reditu, & incolumitate lætitiam ut ſignificaret. Servus, qui decem millia talenta domino ſuo debebat, inducias duntaxat poſtulabat, & totius debiti remiſſionem optimus Dominus illi conceſſit. Latro pœnitens id unum Chriſtum rogabat, ejus ut meminiſſet, poſtquam veniſſet in regnum ſuum; & Paradiſi poſſeſſionem ipſa die conſequendam ſtatim illi promiſit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Matth. 18. Luc. 23.

Fit quidem interdum, ut quæ petimus a Deo, non impetremus; ſed id contingit, vel quia remiſſe, ac negligenter oramus, vel quia Deus nobis majora, & ampliora impertitur, vel quia petimus, quod ſaluti noſtræ conducibile non eſt. *Petitis* (inquit S. Jacobus) *& non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Clamabo *per diem* (inquit Propheta) *& non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Id eſt, hoc ipſum, quod non exaudies, non ad inſipientiam mihi, ſed ad intellectum. „ „ Me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te deſideranda ſempiterna. Non ergo relinquit Deus, & cum videtur relinquere, tollit, quod male deſideraſti, & docet, quid debeas bene deſiderare „ „ (*inquit S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 43.) Cito exauditur, qui terrena non petit, ſed ſpiritualia: *In quacunque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem.* Qui virtutum incrementa petit, cito exauditur. Diſcamus ſic petere, ut mereamur accipere. Oremus cum David: *Salvum me fac dextera tua, & exaudi me.* Non ſalutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua. Ad tempus quid nobis proſit, penitus ignoramus, quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus. Sed *Salvum me fac dextera tua*, ut etſi in tempore iſto tribulationes aliquas patiar, tranſacta nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad ſiniſtram inter hœdos. „ „ Intelligat ergo charitas veſtra (*inquit S. Auguſt. Enarr. in Pſal. 59.*) omnem fidelem habentem

Cur interdum a Deo non impetremus, quæ petimus. Jac. 4. Pſal. 42. Pſal. 137. Pſal. 59.

tem in corde verbum Dei cum timore, timentem judicium futurum, viventem probabiliter, ne de illo blaſphemetur nomen ſanctum Domini ejus; multa deprecari ſecundum ſeculum, & non exaudiri, ad vitam autem æternam ſemper exaudiri. Quis enim ſanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile eſt. Poteſt fieri, ut hinc non exaudiaris; non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At vero cum illud petis, ut det tibi vitam æternam Deus, ſecurus eſto, accipies, ſi modo non accipis; non enim jam venit tempus, ut accipias. Exaudiris, & neſcis; quod petis, agitur, etſi neſcis, in quo agitur. In tadiee res eſt, nondum in fructu. *Qui rogat Deum, ut a tribulationibus liberetur, & non exauditur*: Intelligat medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Ad utilitatem non eſt exauditus Paulus, ad damnationem exauditus eſt diabolus „ „. Petiit Job ad tentandum, & conceſſum eſt: Dæmones petierunt, ut irent in porcos, & exauditi ſunt. Dæmones exaudiuntur, Apoſtolus non exauditur; ſed illi exaudiuntur ad damnationem, Apoſtolus non exauditur ad ſalutem (inquit *S. Auguſt.* in Pſal. 21. Enarr. 2.)

Et Enarr. in Pſal. 144. ad illud verſum: *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno*, ait: „ „ Prorſus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das, & quod debet, hoc das. Itaque aliquando deſideratur ab illo, & non dat; novit horam dandi, qui curat... Quando non dat, ideo non dat, ne obſit, quod dat „ „. Non petebat aliquid injuſtum Apoſtolus, quando rogabat, ut auferretur ab eo ſtimulus carnis angelus ſatanæ, a quo colaphizabatur, & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis, non eſcæ opportunitatis. *Sufficit* (inquit) *tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Et

2. Cor. 12.

Et Sermone 354. alias 53. *De Verbis Domini*, cap. 7. „ Non habeatis (*inquit*) pro magno exaudiri ad voluntatem; habete pro magno exaudiri ad utilitatem... Ad voluntatem Israelitæ exauditi sunt, & cum adhuc cibus esset in ore ipsorum, nostis, quæ consecuti sunt... Aliquando Deus iratus dat, quod petis, & Deus propitius negat, quod petis. Cum vero ea, quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro sæculo promittit, ab illo petitis, securi petite, & incumbite, quantum potestis, orationibus, ut sumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur; illa ejus non ira, sed misericordia largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite; illi committite, ut, si prosint, det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non ægrotus „.

III. Tertius orationis fructus est exercitatio, & incrementum virtutum, maxime vero fidei. Qui enim rite orat, institutionem, mandatumque Dei, quo nos orare se docuit, ac rogantes exauditurum promisit, præ oculis habens, fide roboratus dat gloriam Deo: *Plenissime sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est, & facere.* Fide ad Deum accedit, ejusque Majestatem infinitam, omnipotentiam, providentiam, bonitatem, misericordiam, suamque infirmitatem, & indigentiam apprehendit. Sic postulat, *In fide nihil hæsitans*; & quo studiosius, ac ferventius orat, eo magis fides ejus augetur. „ Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Unde & Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait: *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse irrivum, ubi caput aquæ siccatur, adjunxit, atque ait: *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo ut oremus, credamus; & ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim, ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.*

Tertius orationis fructus.

Rom. 4.

Orationis utilitas ad incrementum fidei.

Rom. 10.

Luc. 22.

Quid eſt in tentationem intrare, niſi a fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit, & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit „„. Unde idem Chriſtus ait: *Ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Rogat, qui tuetur, & non rogat, qui periclitatur (inquit *S. Auguſt.* Sermone 115. alias 36 *De Verbis Domini.*)

Orationis utilitas ad excitationem, & incrementum ſpei.

IV. Spes etiam chriſtiana per orationem exercetur, & augetur. Qui enim recte orat, maxima cum fiducia, quod credit, expectat divinis promiſſis animatus. Ait enim Chriſtus: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Et: *Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperietur.* Atque, ut ſpem noſtram corroboraret, iſta ſimilitudine utitur: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter, de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Tam piis promiſſis fretus chriſtianus homo, anchoram ſpei ſuæ in Chriſto figit, & per ipſum orationem ſuam offert Patri, ipſique ſecundum formam Dei, & Spiritui ſancto, cujus afflatu dicimus cum David: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Spes autem orantis non ſolum firma ſed etiam patiens ſit, neceſſe eſt. Propterea, neque tempus, neque modus Deo ſtatuendus eſt, qui novit, quando, & quomodo preces noſtras exaudiat. Hanc Domino Deo noſtro devotionem debemus, ut non ideo nos ab eo negligi exiſtimemus, ſi non ſtatim ea dederit, quæ petimus, aut abſtulerit, quæ amamus, ſed potius pia patientia malorum, bona ſperemus ampliora. Et ſi quid contra, quod oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, voluntatem Dei potius, quam noſtram,

Marc. 11. Lucæ 11.

Pſal. 24.

ſtram, impleri debuiſſe credamus, atque impletam fuiſſe gaudeamus. Hunc orantis affectum exprimit David Pſal. 26. *Expecta Dominum* (inquit) *viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et Pſal. 39. *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Inſigne patientiſſimæ ſpei præbuit exemplum ſancta illa Teſtamenti veteris heroina *Judith*; quæ cum intellexiſſet *Oziam* promiſiſſe deditionem Betuliæ civitatis quinto die, ſi interea non veniret adjutorium a Domino, graviter *Oziam*, & Presbyteros objurgavit, dicens: *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet; ſed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei... Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſervientes illi; dicamus flentes Domino, ut ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam ſuam... Expectemus humiles conſolationem ejus.* Judith. 8.

V. Sed & charitatis incrementum per orationem habetur, Deum enim agnoſcentes omnium bonorum noſtrorum auctorem, quanta eum poſſumus maxima charitate amplectimur, ipſumque deſideramus. Unde *S. Aug.* Epiſt. 130. ad *Probam*, ſcribit: „ Quod ait Apoſtolus, *Sine intermiſſione orate*, quid eſt aliud, quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo, qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo deſideremus, & oremus ſemper. Sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mente revocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus, intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur „. Accedit, quod ut amantes colloquio, & congreſſu magis ad amorem incenduntur, ſic pii homines, quo ſæpius Deo preces facientes, & ejus implo- Utilitas orationis ad charitatis incrementum. 2. Theſſ. 5

plorantes bonitatem, quaſi cum ipſo colloquuntur, ad eum amandum, & colendum incitantur ardentius. Propterea etiam Deus ſiccitates, & deſolationes interiores juſtis interdum immittit, quibus pene deficiunt, ut ipſum ferventius rogent, illiuſque benignitatem, & auxilium experti, ejus amore magis inardeſcant. *Eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* Sed quare defecit? Cui bono? „ Non enim „ crudelis eſt Deus, ſed ſe commendat, quod expe„ dit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, & ut „ ſubveniens ametur „ (*inquit S. Aug.* Enarratione in Pſ. 106.) Ideo ſubdit Propheta: *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.* Ideo etiam orationes Sanctorum Deus ſtatim non exaudit, ut eorum amor, aut fervor dilatione beneficii magis in oratione accendatur. „ Oratio Sanctorum quaſi dilatione repellitur, ut tan„ quam ignis flatu repercuſſus, inflammetur ardentius „. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Enarratione in Pſalm. 87.

Pſal. 106.

Utilitas orationis ad humilitatem fovendam, & augendam.

VI. Valet etiam oratio ad fovendam, augendamque humilitatem, ut intelligamus, noſtra opera nihil nos conſequi poſſe, nihil mereri, nihil boni agere, dicere, cogitare, ſi gratiæ cœleſtis auxilio deſtituamur, utque propterea toto animo ad orandum incumbamus. Unde *S. Aug.* lib. *de dono perſeverantiæ*, cap. 7. „ „ Si ergo (*inquit*) alia documenta non eſſent, hæc dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in noſtro gloriemur, ſiquidem, & ut non diſcedamus a Deo, non oſtendit dandum eſſe niſi a Deo, cum poſcendum oſtendit a Deo. *Et infra*: Poſci a ſe voluit, ne inferamur in tentationem, quia ſi non inferamur, nulla ab eo ratione diſcedimus, quod poterat nobis etiam non orantibus dari, ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, a quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim niſi ab illo accipimus, a quo juſtum eſt, ut petamus? Prorſus hac in re non operoſas diſputationes expectet Ecclé-

cleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem „„. Ipſa etiam orandi facultas a Deo eſt, idque cognoſcit, & humiliter confitetur, qui recte orat. „„ Quis enim (*inquit S. Auguſt.* cap. 23. *ejuſdem libri*) veraciter gemat deſiderans accipere, quod orat a Domino, ſi hoc a ſeipſo ſe ſumere exiſtimet, non ab illo, præſertim quoniam, quod oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus (ait Apoſtolus) interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus..... Ubi intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde, & ſpiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus, & hoc eſſe dicunt, quod gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus, nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus. Accipimus enim ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater „„. Rom. 8.

Et Epiſt. 194. alias 105. ad *Sixtum*, cap. 5. „„ Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur; impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet a ſeipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur; verumtamen, ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed jam nec gratia eſſet, quia debita redderetur, etiam ipſa oratio inter gratiæ munera deputatur... Sicut ergo nemo recte ſapit, recte intelligit, recte conſilio, ac fortitudine prævalet, nemo ſcienter pius eſt, vel pie ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Dei, nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſin-

ceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ, ita sine spiritu fidei non est recte quispiam creditturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult „ „.

Psal. 65. Ideo Propheta ait: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.* Quæ verba S. *Augustinus* explicans, ait: „ „ Ergo non deficiamus in oratione. Ille, quod concessurus est, etsi differt, non aufert; securi de petitionis ipsius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipsius est. „ Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus „ „.

In oratione arma invenimus contra salutis hostes.

VII. In oratione præterea contra salutis nostræ hostes arma invenimus. Unde Christus nos ad præsidium contra dæmones instruens, *Vigilate* (inquit) *& orate, ut non intretis in tentationem.* Diabolo terribilis est christianus orans, pluraque in Deum fiducia animatus, dicere potest: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Inermes potissimum aggreditur, & solitarios hostis ille vaferrimus: opus nobis est fidei scuto, & assiduis precibus, ut illum vincamus, ac debellemus. Dicamus ergo cum Davide;

Matth. 26. Psalm. 26. Psalm. 63. *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.* Metus est enim (inquit S. Hilarius) ne infirmam per naturam, & consortium carnis animam undique subrepentium illecebrarum æstus absorbeat. Adsunt namque quotidie, & pugnant blandimentis fallacibus, quasdam machinas ad excidia admoventes. Itaque ad doctrinam cœlestis eruditionis pervigilem curam fidei impendere admonemur, timere insidiantem semper hostem, ne incautam securitatem nostram ipse in speculis positus incurset. Vigilandum ergo in oratione Dei est, & semper orandum; ut cum fatigari anima, & affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit,

Deus

Deus ſemper oratus exaudiat, noſque ab his, quæ timemus, eripiat, inquit *S. Hilarius*. Chriſtianorum orantium chori, caſtra ſunt pugnantium adverſus diabolum. Unde *Canticorum* 7. ſcriptum eſt: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Scilicet*: „ „ Adverſus diabolum, armaque ejus, orationum noſtrarum ſonitu certandum eſt, & belli noſtri victoria exultationis voce monſtranda eſt „ „ (*ait S. Hilarius* Enarratione in Pſalm. 65.) Orantibus chriſtianis ſimile quid contingit miraculo, quod impetratum eſt a Melitina legione, quæ chriſtianæ religionis profeſſione magis, quam bellica fortitudine illuſtris ſub imperio *M. Aurelii* fuit. Cum Imperator adverſus Germanos, & Sarmatas pugnaturus aciem inſtrueret, & exercitus ipſius ſiti premeretur, milites legionis Melitinæ, dum acies adverſus hoſtes ordinaretur, flexis in terra genibus, ut noſtris orantibus mos eſt, preces ad Deum fudiſſe perhibentur. Cujus ſpectaculi novitate hoſtibus ſtupefactis, aliud quiddam majori dignum admiratione accidiſſe narrant; hinc quidem fulminum jactus, quibus hoſtium copiæ in fugam verſæ, atque extinctæ ſunt; illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jam jam ſiti periturus, præter ſpem recreatus eſt. Miraculum agnovit *M. Aurelius*, & in gratiam legionis, quæ *Fulminea* idcirco appellata eſt, pœnam capitis comminatus eſt accuſatoribus Chriſtianorum. Refert *Euſebius*, lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 5. Chriſtiani in graviſſimarum tentationum æſtu adverſus diabolum certantes, aridi, gratiæ divinæ ſalutarem ſitiunt aquam, ne deficiant. Oculos, manuſque ſupplices ad Deum extollunt, humileſque preces fundunt, ut eorum ſiti ſpirituali ſubveniat, vireſque contra hoſtes tribuat: *Anima mea* (inquiunt) *ſicut terra ſine aqua tibi; velociter exaudi me, Domine; defecit ſpiritus meus... Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.* Pſal. 142. Pſalm. 67. Protinus omnipotentis Dei virtute fulgurante, & tonante dæmones terrentur, conturbantur, diſſipantur:

mino Deo noſtro Jeſu Chriſto, Deo Patre Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, a Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, a Deo, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ab illo petendum eſt, ſi quid petendum eſt. Solius Dei nomen invocamus, tanquam auctoris, & fontis omnium bonorum noſtrorum; ipſum unum oramus, & orare debemus, tanquam eum, qui nobis præſtare poteſt omnia, quæ petimus, gratiam præſertim, & gloriam; *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; & qui nos a malis omnibus eripere poteſt. A Sanctis autem, qui in maxima gratia ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, ut pro nobis, & nobiſcum orent, nobiſque a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Deum enim invocantes, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem ſanctam, unum Deum, proprie dicimus: *Miſerere nobis*, *Exaudi nos*; Cum autem Sanctos invocamus, dicimus; *Ora pro nobis*, *intercede pro nobis*. Quamquam licet etiam alia quadam ratione petere a Sanctis ipſis, ut noſtri miſereantur; ſunt enim maxime miſericordes. Itaque precari poſſumus eos, ut conditionis noſtræ miſeria permoti, ſua nos apud Deum gratia, ac deprecatione juvent (ut explicat Concil. Trid. Catechiſmus.) Hoc ſenſu, & ſingulari etiam quadam ratione Eccleſia Deiparam Virginem hunc in modum precatur; *Peccatorum miſerere*; quatenus ſcilicet *Miſericordiæ Mater* eſt propter Chriſti partum; non autem dicitur miſereri eo ſenſu, quo ſancta Trinitas, quaſi ſummam auctoritatem habens, & ut fons miſericordiæ. Quamobrem cum fidelis ad imaginem Sancti alicujus Dominicam orationem pronuntiat, ad ipſum Sanctum Orationem illam primario non dirigit, ſed ab illo petit, ut ſecum oret, ſibique poſtulet ea, quæ Dominicæ orationis formula continentur, ut ſui denique ſit interpres, & deprecator ad Deum. Hoc enim officio illos fungi, *S. Joannes* teſtatur, Apocalyp. 8. *Et aſcendit* (inquit) *fumus incenſorum de orationibus San-*

Solus Deus invocandus, ut fons, & auctor omnium bonorum noſtrorum.

Sanctos invocamus, ut noſtros apud Deum Patronos.

S. Th. 2. 2. q. 83. art. 4.

juror noſter in æternum. Hunc precationis gradum *S. Auguſt.* deſignat *Enchiridii* cap. 7. cum ait: „ Fides „credit, ſpes, & charitas orant. Sed ſine fide eſſe „non poſſunt, ac per hoc & fides orat „. In juſtis orat Spiritus ſanctus inhabitans. In his manens Chriſtus orat qui manet in Chriſto orat, & dat, quod orat (ut loquitur *S. Auguſt.*) Des his ſcriptum eſt: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.* Illi Deum invocant in veritate, qui nihil ab illo quærunt præter ipſum, aut certe illum rebus omnibus creatis præponunt. Nam multi eum invocant in veritate (inquit *S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 144.) *Aliud ab illo quærunt, & ipſum non quærunt.* Quare amas Deum? Quia mihi dedit ſanitatem. Illud manifeſtum eſt, ipſe dedit; non enim ab ullo eſt ulla ſalus, niſi ab illo. Quia dedit mihi (inquis) uxorem divitem. Et hoc ipſe dedit, verum dicis. Dedit filios, & multos, & bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil amplius quæris? Eſto eſuriens, adhuc pulſa ad januam patris-familias, habet adhuc, quod det. In mendicitate es cum omnibus his, quæ accepiſti, & neſcis. Pannoſam carnem mortalitatis adhuc portas, ſtolam illam gloriæ immortalitatis nunquid accepiſti, & quaſi jam ſatiatus non rogas? *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Ergo ſi bonus eſt Deus, quia iſta tibi dedit; quanto beatior eris, cum ſeipſum tibi dederit; deſideraſti tanta ab illo, deſidera & ipſum. Neque enim vere dulciora ſunt iſta, quam ille, aut ex aliqua parte comparanda ſunt illi. „ Ergo, qui Deum ipſum, a quo „accepit, de quibus gaudet, præponit his omnibus „rebus, quas accepit, ipſe invocat Deum in veri„tate „. Nam ut noveritis, ſi talibus hominibus proponatur, & dicatur, quid ſi iſta omnia, de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? Jam non amabitur; non erit, qui dicat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut*

Serm. 21. Pſal. 144.

Matth. 5.

Job. 1.

ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum. Sed forte, cui abſtulit, quid dicit? Deus, quid tibi feci? Quare mihi abſtuliſti, & illis dediſti? iniquis das, & tuis tollis. Accuſas Deum quaſi injuſtum, & te laudas quaſi juſtum. Convertere, accuſa te, lauda illum. „ Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis, quæ facit, Deus tibi placet; in omnibus malis, quæ pateris, Deus tibi non diſplicet. „Hoc eſt invocare Deum in veritate„. Qui ſic invocant Dominum, exaudit eos: *Prope eſt*, id eſt; nondum dedit, quod vis, ibi eſt tamen. Quomodo medicus ſi forte imponat aliquid, vel oculo, vel viſceribus, quod mordo ſanet, ſi roget æger, ut tollatur illi, medicus expectat tempus, non facit, quod rogat æger, non tamen recedit. Et prope eſt, & agit facit; & ideo magis non facit, quia prope eſt. Quando enim impoſuit, quod impoſuit, & curando non facit, quod rogatur. „ Non te exaudit ad „ præſentem voluntatem, exaudiendo ad futuram ſa„nitatem, & hoc utique ad voluntatem. Nam uti„que ſanus eſſe vult, etiam qui uri non vult„..... Si ideo times Deum, ut tu facias ipſius voluntatem, ecce & ipſe quodam modo miniſtrat tibi, facit voluntatem tuam. Et ſi non faciat ad horam, faciet tamen. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet illos.* Vides ad hoc exaudire medicum, ut ſalvos faciat. Quando hoc? Audi Apoſtolum dicentem: *Spe enim ſalvi facti ſumus; ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus;* Salutem ſcilicet, quam dicit Petrus *paratam revelari tempore noviſſimo.*

Rom. 8.

1. Petri 1.

Juſti gratiæ incrementum, ac vitam æternam oratione ſua merentur.

Gratiæ incrementum, ac vitam æternam oratione ſua merentur juſti, quamvis ea non ſemper, aut ſtatim impetrent, quæ pro ſe, vel pro aliis poſtulant. Unde *Tertullianus*, Apologetici cap. 30. „ „ Hæc (*inquit*) ab alio orare non poſſum, quam a quo ſcio me conſecuturum, quoniam & ipſe eſt, qui ſolus præſtat, & ego ſum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui

qui eum ſolus obſervo, qui propter diſciplinam ejus occidor, qui ei offero opimam, & majorem hoſtiam, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam „ „. Semper autem, aut ſtatim non impetrant juſti, quod ſupplices a Deo poſtulant, vel quia ipſis non expedit, vel quia: *Ut congruo dentur tempore, differuntur* (inquit *S. Auguſtinus*) vel quia impedimentum eſt ex parte illorum, quibus gratiam, ac ſalutem æternam adprecantur. Unde idem ſanct. Doctor ſubdit ibidem, ſcilicet Tractatu 102. in *Joannem*, ita intelligendum eſſe, quod ait Chriſtus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; ut ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt proprie pertinent. „ „ Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis; quia non utcunque dictum eſt: *Dabit*, ſed, *Dabit vobis* „ „. Joan. 16.

II. Orationis gradus alter eſt eorum, qui mortiferis peccatis oppreſſi, fide tamen ea, quæ mortua dicitur, & informis, ſeſe erigere nituntur, & ad Deum aſcendere; ſed propter intermortuas vires, ſummamque fidei imbecillitatem, ſe altius a terra tollere non poſſunt. Verumtamen peccata ſua cognoſcentes, eorumque conſcientia, & dolore compuncti, ac poenitentes; humiliter, ac demiſſe veniam, & pacem a Deo implorant. Horum orationes exaudiuntur, non quidem ex juſtitia, quia id non merentur, ſed ex mera miſericordia; modo tamen *pro ſe* petant, *neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeveranter* (inquit *S. Thomas* 2. 2. qu. 83. art. 16.) illos miſericors Deus, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, amantiſſime invitat: *Venite* (inquit) *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex horum numero fuit Publicanus ille, qui oculos ad cœlum tollere non auſus, in remotiori Templi parte orabat dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Deſcendit autem in domum ſuam juſtificatus magis quam Phariſæus. Publicanus de longinquo ſtabat, & Deo tamen

Secundus orationis gradus eſt peccatorum ex fide, & compunctione orantium.

Matth. 11.

Luc. 18.

men ipſe propinquabat. Cordis conſcientia removebat; pietas applicabat. De longinquo ſtabat, ſed Dominus eum de propinquo attendebat. *Excelſus* enim *Dominus, & humilia reſpicit*; *Excelſus* autem, qualis erat Phariſæus, *a longe cognoſcit*. Oculos ſuos ad cœlum tollere non audebat Publicanus pœnitens, ibi cor habebat; ut aſpiceretur, non aſpiciebat; premebat conſcientia; ſpes ſublevabat; percutiebat pectus ſuum; pœnas de ſeipſo exigebat; propterea Dominus confitenti parcebat: *Domine* (inquit) *Propitius eſto mihi peccatori.* Deus ignoſcit, quia ipſe ſe agnoſcit. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Sermone 115. alias 36. *De verbis Domini*, & Sermone 290. alias 44. inter Homilias 50.

Pſal. 137.

Quod autem dicitur Joann. 9. *Scimus; quia peccatores Deus non audit*, verbum eſt cæci nondum illuminati, ut *S. Auguſt.* ait Tractatu 44. in Joannem. Quamquam peccatores Deus non audit, quatenus peccatores ſunt, & in affectu peccati perſeverant, vel cum eorum poſtulatio interpres eſt concupiſcentiæ, non pœnitentiæ. Unde *S. Jacobus* cap. 4 ait: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Si quis, v. g. inimico ſuo iratus, facultatem, & opportunitatem ultionis a Deo poſtulet, non exauditur, aut ſi exauditur, pœna peccati eſt juſto Dei judicio irrogata, ut in nova peccata ruere permittatur.

Tertius orationis gradus eſt infidelium Dei, ac veræ religionis cognitionem deſiderantium & quærentium.

III. Orationis gradus tertius eſt eorum, qui nondum fidei lucem acceperunt, ſed tamen gratia Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum ipſos uberius prævenientè, & vehementius excitante, ad ſtudium veritatis accenduntur; quam ut cognoſcant, & doceantur, aſſiduis, ferventibuſque precibus a Deo petunt. Horum oratio eſt a Spiritu ſancto, nondum quidem inhabitante, ſed movente, nec eam repellit Deus, qui miſericordiæ ſuæ fontes nemini ex animo illuminationem tenebrarum ſuarum petenti occludit. Teſtis eſt Cornelius Centurio, cujus orationes eleemoſynis ſuffultas audivit Deus, a quo monitus eſt per

An-

Angelum, ut Petrum Apoſtolum vocaret, qui ipſum in chriſtiana religione inſtituit, & baptizavit. Quod orabat, inchoatio quædam erat fidei, conceptioni ſimilis, ex gratiæ prævenientis dono procedens, verumtamen non ſolum concipi, ſed naſci opus eſt ad ſalutem, ideo miſſus eſt Petrus, qui *Cornelium* in Chriſto parturiret. Act. 10.

IV. Poſtremus orationis gradus eſt eorum, qui cum in peccatis non ſolum perſeverent, ſed novis in dies flagitiis menſuram ſuam cumulent, & bibant ſicut aquam iniquitatem, veniam tamen peccatorum ſæpe a Deo poſtulare audent. Horum oratio a Deo non auditur. Sic enim de Antiocho ſcriptum eſt: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Et Iſaiæ 1. *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Animo ſcilicet non orant, ſed labiis duntaxat, ut vere de illis intelligatur Salvatoris ſententia: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me.* Unde tantum abeſt, ut oratione veniam impetrent peccati, ut etiam ipſa oratio ſit illis in peccatum. Quamobrem Chriſtus Joann. 15. ait: *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et 1. Joann. 3. *Quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus.* Hinc *Tertullianus*, lib. *De Oratione*, capit. 10. Orationi injungendam eſſe ait memoriam ſive obſervantiam divinorum præceptorum: „ „ Ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe ſimus. Memoria præceptorum viam orationibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt, ne prius aſcendamus ad Dei Altare, quam, ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid eſt enim ad pacem Dei accedere ſine pace ad remiſſionem debitorum cum retentione. Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem?... Quam autem temerarium eſt, aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri

Poſtremus orationis gradus eſt peccatorum in ſuis peccatis perſeverantium. 2. Mach. 9.

Matth. 15. Illorum non exauditur oratio.

tri ſatisfacere, aut orationem perſeverante iracundia perdere? Nec ab ira ſolummodo, ſed omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt Spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit a Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adverſarium recipit, nemo niſi compatem ſuum admittit. Cæterum, quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire? Quando & ipſi manibus ſpirituales munditiæ ſint neceſſario, ut a falſo, a cæde, a ſævitia, a veneficiis, ab idololatria, cæteriſque maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum opera tranſiguntur, puræ alleventur „„. Quo ſpectat illa Apoſtoli ſententia: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione.*

1. Tim. 2.

Eccli. 18. Affectus peccati ante orationem deponendus. Pſal 65.

V. Quamobrem præparandus eſt ad orationem animus, imprimiſque affectus peccati deponendus eſt. *Ante orationem* (inquit Sapiens) *præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Hujus autem præparationis caput eſt dolere de peccatis. Unde Propheta ait: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Job. cap. 11. dicitur: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia; tum levare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* Iniquitas in manu, eſt culpa in opere. Injuſtitia in tabernaculo iniquitas in mente. Quæ duo ſi perfecte tergimus, ad Deum ſtatim ſine macula faciem elevamus. Interna quippe facies hominis mens eſt, in qua recognoſcimur, ut ab auctore noſtro diligamur. „„ Quam ſcilicet faciem levare, eſt in Deo animum per ſtudium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, ſi intendentem mentem reatus ſui conſcientia accuſat, quia ab ſpei fiducia protinus frangitur, ſi intenta precibus, nec dum devictæ culpæ memoria mordetur. Diffidit namque accipere ſe poſſe, quod appetit, quæ profecto reminiſcitur nolle ſe adhuc facere, quod divinitus audivit. Hinc per Joan-

nem

nem dicitur: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* Hinc Salomon ait: *Qui avertit aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum reſiſtere ſe præceptis ejus, quem poſtulat, meminit, & oratio fit execrabilis, cum a cenſura avertitur legis; quia dignum profecto eſt, ut ab ejus beneficiis ſit quiſque extraneus, cujus juſſionibus non vult eſſe ſubjectus. Qua in re hoc eſt ſalubre remedium, ut cum ſe mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit; quatenus cum erroris macula fletibus tergitur, in petitione ſua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum eſt, ne ad hoc turſus proruat, quod ſe mundaſſe fletibus exultat; ne dum deplorata iterum culpa committitur, in conſpectu juſti judicis ipſa etiam lamenta lævigentur. Solerter quippe debemus meminiſſe, quod dicitur: *Ne iteres verbum in oratione tua.* Quo dicto vir ſapiens nequaquam nos prohibet ſæpe veniam petere, ſed culpas iterare. Ac ſi aperte dicat: Cum male geſta defleveris, nequaquam rurſus facias, quod in precibus iterum plangas. Ut ergo ad precem facies ſine macula levetur; ante orationis ſemper tempora debet ſolicite conſpici, quidquid poteſt in oratione reprobari, talemque ſe mens, & cum ab oratione ceſſat, exhibere feſtinet, qualis apparere judici in ipſo orationis tempore exoptat. Sed quid hac doloris macula reperiri deterius poteſt, quæ in conſpectu judicis charitatem non inquinat, ſed necat? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit, ſervatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrone illius ipſa viſcerum occulta perforantur. Qui ſcilicet a transfixo corde ſi prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur. Hinc veritas dicit: *Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra.* Hinc admonet dicens: *Cum ſtatis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis ad-*

1. Joan. 3.

Prov. 28.

Eccli. 7.

Matth. 6.

Marc. 11.

Lucæ 6. *verſum alterum.* Hinc rurſum ait: *Date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis.* Hinc contra inſtitutionem poſtulationis, conditionem poſuit pietatis dicens: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: Ut bonum, quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo converſi faciamus. Tunc igitur vere ſine macula faciem levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea, quæ in nos a proximis commiſſa ſunt, ex proprio zelo retinemus „„ (*S. Greg.* lib. 10. *Moralium* cap. 11.)

Matth. 6.

Abſque divini amoris inchoati ſaltem affectu inanis eſt oratio. „„ Nam amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur, amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum fuerit, permanetur „„ (*inquit S. Auguſt.* lib. *De Moribus Eccleſiæ catholicæ*, cap. 17.)

ARTICULUS VI.

Quæ in Oratione a Deo petenda ſint.

Joan. 15. Quidquid juſtum, & honeſtum eſt, a Deo petere licet. *Quodcunque volueritis* (inquit Chriſtus) *petetis, & fiet vobis.* Omnia ſe conceſſurum pollicetur, quæ quidem nobis accipere conveniens fuerit. Verum hic ordo in bonis, quæ petere debemus, aut poſſumus, ſervandus eſt, ut ea bona primum petamus, quibus nemo male uti poteſt, & quæ malum eventum habere non poſſunt, ſcilicet Deum ſummum bonum noſtrum, ejuſque fruitionem, qua una beati eſſe poſſumus: *Fons enim noſtræ beatitudinis ipſe eſt omnis appetitionis finis*, adeoque & orationis; tum gratiam, & virtutes, omniaque dona ſpiritualia, quibus beatitudinem meremur, & ad ipſam perducimur. Quæ quidem abſolute petere poſſumus, ac debemus, ſecundum illud Pſalm. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, & Pſalm. 118. *Deduc me, Domine, in ſemitam mandatorum tuorum.* Quamvis autem homo per ſe neſciat, quid ſit a Deo poſtulandum, ta-

Deum, ut ſummum bonum noſtrum, ejuſque fruitionem primum petere in oratione debemus.

S. Auguſt.

Gratia, & virtutes a Deo abſolute petendæ.

tamen Spiritus ſanctus adjuvat infirmitatem noſtram, nobiſque inſpirando ſancta deſideria recte poſtulare nos facit. Cum autem orando petimus ea, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, voluntatem noſtram divinæ voluntati accommodamus, ſiquidem *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri*; &: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.* 1. Tim. 2. & Theſſ. 4.

Temporalia autem, & externa bona petere quidem licet, non tamen primario, ac præcipue, ut in eis finem conſtituamus, utque in eis requieſcamus, ſed ut adminicula quædam, quibus juvemur, ut ad beatitudinem tendamus, quatenus ſcilicet per ea vita corporis ſuſtentatur, nobiſque inſtrumenta ſunt ad actus virtutum exercendos. Unde Salomon ſic Deum precabatur: *Tribue tantum victui meo neceſſaria.* Et Apoſtolus præcipit divitibus hujus ſeculi: *Non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Hinc *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. cap. 6. & 7. explicans hæc verba Apoſtoli: *Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*, &c. ait: „ „ Hanc ergo ſufficientiam non indecenter vult, quiſquis vult, nec amplius vult; alioquin non ipſum vult, nec ideo decenter vult. Hanc optabat, & pro hac orabat, qui dicebat: *Divitias, & paupertatem ne dederis mihi: Conſtitue autem mihi, quæ neceſſaria ſunt ſufficienter*, &c. Vides certe, iſtam ſufficientiam non appetit propter ſeipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, quo habitu non ſit inconveniens eis, cum quibus honeſte, officioſeque vivendum eſt. In his itaque omnibus incolumitas hominis, & amicitia propter ſeipſa appetuntur; ſufficientia vero rerum neceſſariarum non propter ſeipſam, ſed propter duo ſuperiora quæri ſolet, cum decenter quæritur... Ita cum habentur, ut teneantur, cum autem non habentur, ut habeantur, orandum eſt. Hoccine totum,

Temporalia bona non primario, ac præcipue petenda.

Prov. 30.

1. Tim. 6.

2. Tim. 6.

Prov. 30.

& hæc ſunt omnia, quibus beatæ ſumma vitæ colligitur, an aliquid aliud veritas docet, quod his omnibus præferatur? Nam & illa ſufficientia, & ipſa incolumitas vel propria, vel amicorum, quamdiu temporalis eſt, pro æternæ vitæ adeptione abjicienda eſt; quamquam fortaſſe corpus, animus vero nullo modo ſanus exiſtimandus eſt, qui non temporalibus æterna præponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo, & de Deo vivitur, cætera, quæ utiliter. & decenter optantur, ſine dubio referenda ſunt. In eo quippe noſmetipſos diligimus, ſi Deum diligimus; & ex alio præcepto proximos noſtros, ſicut noſmetipſos, ita vere diligimus, ſi eos ad Dei ſimilem dilectionem, quantum in nobis eſt, perducamus. Deum igitur diligimus propter ſeipſum, & nos, ac proximos propter ipſum; nec cum ita vivimus, jam nos in ipſa beata vita conſtitutos exiſtimemus, quaſi nihil ſit amplius, quod oremus. Quomodo enim jam beate vivimus, cum illud adhuc deſit, propter quod unum bene vivimus? Ut quid ergo per multa diſpergimur, & quærimus, quid oremus, ac non potius cum Pſalmo dicimus: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut contempler delectationem Dei, & viſitem templum ejus.* Ibi namque omnes dies non veniendo, & tranſeundo fiunt omnes, nec initium alterius eſt finis alterius, omnes ſine fine ſimul ſunt, ubi nec ipſa vita habet finem, cujus illi dies ſunt.

Pſal. 26.

Propter adipiſcendam vitam beatam, Chriſtus nos orare docuit.

Propter hanc adipiſcendam vitam beatam ipſa vera vita beata nos orare docuit „ „. Primo igitur optandum, quærendum, orandum eſt, ut obtineamus regnum Dei & juſtitiam ejus; temporale vero quodcunque bonum poſterius quærendum eſt, & petendum; *Illud tanquam bonum noſtrum; hoc tanquam neceſſarium noſtrum* (ut loquitur *S. Auguſt.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 16.) Neceſſarium noſtrum appellat propter ſtatum hujus vitæ mortalis;

Regnum Dei quærendum, & petendum eſt tanquam

alio-

alioquí neceſſarium noſtrum vere, ac ſimpliciter ſalus æterna eſt, ſecundum illud oraculum Salvatoris noſtri: *Unum eſt neceſſarium.* Quod idem S. Doctor explicans Serm. 103. alias 26. *De Verbis Domini*, ait: „„ Unum eſt neceſſarium, unum illud ſupernum, unum ubi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unum. Ad hoc unum non nos perducit, niſi multi habeamus cor unum „„. bonum noſtrum. Luc. 10.

Externa denique, & corporis bona, quin etiam & ingenii bona, atque ornamenta, petenda non ſunt niſi hac adjuncta conditione, ſi nobis ad Dei gloriam, & ad æternam ſalutem profutura ſint; ne illo reſponſo a Domino repellamur: *Neſcitis, quid petatis.* In nomine Chriſti petere debemus, quidquid petimus. *Quidquid* (inquit) *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Porro (inquit *S. Auguſt.* Tractatu 73. in Joan.) „„ Quodcunque petimus adverſus utilitatem ſalutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipſe Salvator eſt, non ſolum quando facit, quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo potius ſe exhibet Salvatorem. Novit enim medicus, quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus; & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem. *Et infra*: Petamus, quando bene petimus, ut non faciat, quod non bene petimus. Quia & ad hoc pertinet, quod in oratione Dominica dicitur: *Ne nos inferas in tentationem.* Neque enim parva eſt tentatio, ſi contra tuam cauſam ſit tua poſtulatio „„. Huc etiam pertinet, quod ait Chriſtus, Joannis 16. *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Hoc, quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, ſed ſpirituale gaudium eſt; & quando tantum erit, ut aliquid ei jam non ſit addendum, procul dubio tunc erit plenum. „„ Quidquid ergo petitur, quod pertineat ad hoc gaudium conſequendum, hoc eſt in nomine Chriſti petendum, ſi divinam intelligimus gratiam, ſi vere beatam poſci- Externa & temporalia bona ſub conditione petenda. Matth. 20. Joan. 15. Chriſtus ſe exhibet Salvatorem, negando, quod petitur contra ſalutem.

quis) faciam? Quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus. „ Invoca Deum tanquam Deum, ama „ Deum tanquam Deum; illo melius nihil eſt; ipſum „ deſidera, ipſum concupiſce... Si invocas Deum „ tanquam Deum, ſecurus eſto, exaudiris „.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui (inquit idem Propheta.) *Diſcerne petitiones cordis tui a petitionibus carnis* (inquit *S. Auguſt.* Enarratione in hunc Pſalmum, Serm. 1.) Non fruſtra dictum eſt in alio Pſalmo: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Aliquis cæcus eſt corpore, rogat ut illuminetur. Iſta rogat, quia & iſta Deus facit, & iſta Deus præſtat; ſed rogant hæc etiam mali. Petitio hæc carnis. Infirmatur, rogat ſe ſalvum fieri; ſalvus fit moriturus. Et iſta petitio carnis eſt, & ſi qua ſunt talia. Petitio cordis quæ eſt? Sicut petitio carnis eſt velle ſibi reparari oculos, utique ad videndam illam lucem, quæ talibus oculis videri poteſt, ita petitio cordis ad aliam lucem pertinet. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ad Dominum igitur clamemus, ſed propter ipſum, ſi exaudiri volumus. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi.* Multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damniſque evitandis, pro ſuorum ſalute, pro ſtabilitate domus ſuæ, pro felicitate temporali, pro dignitate ſeculi; poſtremo pro ipſa etiam ſalute corporis, quæ patrimonium eſt pauperis. „ „ Pro his, atque pro hujuſmodi rebus, multi clamant ad Dominum; vix quiſquam propter ipſum Dominum. Facile quippe homini eſt quodlibet deſiderare a Domino, & ipſum Dominum non deſiderare; quaſi vero ſuavius eſſe poſſit, quod dat, quam ipſe qui dat. *Voce mea ad Deum, & intendit mihi.* Vere tunc ibi attendit, quando ipſum quæris, non quando per ipſum aliud quæris „ „. Dictum eſt de quibuſdam: *Clamaverunt, nec erat, qui ſalvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Quare? „ „ Quia vox eorum non ad Dominum. De his alio loco dicitur: *Dominum non invocaverunt.* Id eſt Dominum

Pſalm. 36. Deum invocare, eſt ipſum unum ut finem ſuum ultimum deſiderare.

Pſalm. 72.

Matth. 5.

Pſalm. 76.

Pſalm. 17.

Pſalm. 13.

num in ſe non vocaverunt : ad cor ſuum Dominum non invitaverunt, a Domino ſe habitari noluerunt. Et ideo quid eis contigit? *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ideo de rerum præſentium amiſſione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo, quem non invocaverunt. Non gratis amaverunt, ut amiſſis temporalibus rebus poſſent dicere; *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.* (*Sic diſſerit S. Aug. Enarratione in Pſ. 76.*) In his ergo temporalibus, fratres, non petatis aliquid quaſi fixum, ſed quod vobis Deus expedire ſcit. Quid enim vobis expediat, omnino neſcitis. Aliquando, quod putatis prodeſſe, obeſt; & quod putatis obeſſe, hoc prodeſt. Ægri enim eſtis; nolite medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere „„. Si Doct. Gentium Apoſt. Paulus dicit; *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus*; quanto magis nos? Qui tamen cum ſibi videretur ipſe prudenter orare, ut ab eo auferretur ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit a Domino? Nunquid factum eſt, quod volebat? Non, ut fieret, quod expediebat. Quid ergo audivit a Domino? *Ter* (inquit) *rogavi Dominum, ut auferret eum a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ego medicamentum ad vulnus poſui; quando poſuerim, novi, quando auferendum ſit, novi. „„ Non recedat ægrotus a manibus medici, non det conſilium medico. Ita ſunt iſta omnia temporalia. Tribulationes ſunt; ſi bene colis Deum, noveris, quia novit, quid cuique expediat: Proſperitates ſunt; magis cave, ne ipſæ corrumpant animum tuum, ut ab eo, qui hæc dedit, recedat „„. Verba ſunt *S. Auguſt.* Enarratione in Pſalm. 53.

Job. 1.

In temporalibus id tantum petendum quod nobis Dominus expedire novit.

Rom. 8.

2. Cor. 12.

Caſtus, & purus amor nihil a Deo abſolute petit præter ipſum, & quæ nos

Nihil a Deo petendo in oratione, præter ipſum, & quæ nos cum ipſo conjungunt, & ad illum perducunt, probamus nos ipſum gratis amare, ut debemus, dicendo cum Propheta: *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Quod porro ſacrificium offeremus, niſi quod ait:

Sa-

Sacrificium laudis honorificabit me? Quare ergo voluntarie? Quia gratis amo, quod laudo. Deus noſter laudetur voluntate, ametur charitate, gratuitum ſit, quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? Ipſe propter ſe, non propter aliud. „ „ Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubeſceres, ſi te uxor tua propter divitias amaret; & forte ſi tibi paupertas accederet, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis „ „? Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, ſed ſeipſum ſervat, qui fecit cœlum, & terram. *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Noli ex neceſſitate. Si enim propter aliud laudas Deum, ex neceſſitate laudas. Si adeſſet tibi, quod amas, non laudares Deum... Contemne omnia, ipſum attende. Et hæc, quæ dedit, propter dantem bona ſunt. Nam dat prorſus, dat iſta temporalia, & quibuſdam bono eorum, quibuſdam malo eorum, ſecundum altitudinem, & profunditatem judiciorum ſuorum. Novit, quando det, cui det; quando auferat, & cui auferat. „ Pete tu in hoc tempore, quod tibi proſit impoſterum, pete, quod te „ adjuvet in æternum. Ipſum autem gratis dilige; „ quia melius ab eo non invenis, quod det, quam „ ſeipſum „ (*inquit S. Auguſt.* Enarratione in Pfal. 53.) Illa igitur duntaxat petenda ſunt a Deo, quæ illius voluntati probata, & accepta ſunt. *Quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus* (inquit S. Joan. 1. Epiſt. cap. 5.) *audit nos; Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio noſtra.*

cum ipſo conjungunt & ad illum perducunt. Pſal. 49.

Pſal. 53.

1. Theſſ. 4.

ARTICULUS VII.

Pro quibus orandum ſit.

Orationes *Pro omnibus hominibus* Deo offerendas, Apoſtolus docet, quia *Hoc bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Orandum igitur eſt pro omnibus, ſine ulla exceptione,

1. Tim. 2. Pro omnibus hominibus orandum.

vel inimicitiarum, vel gentis, vel religionis; nam ſive hoſtis ſit, ſive alienus, ſive infidelis, tamen proximus eſt, quem Dei juſſu amare debemus. „ „ Amicitia (*inquit S. Auguſt.*) non anguſtis finibus terminanda eſt; omnes enim, quibus amor, & dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propenſius, in alios ſuſpenſius inclinetur; pervenit autem uſque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, etſi non pro mutua charitate, pro ipſa tamen communis naturæ ſocietate debeatur „ „. Hujus autem amoris officium eſt oratio, qua omnibus hominibus animæ primum ſalutem, deinde corporis, a Deo debemus adprecari.

Epiſt. 170. alias 128. cap. 7.

Orandum imprimis pro paſtoribus.

II. Hoc autem charitatis officium debemus imprimis paſtoribus, qui pervigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri, & qui quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſantur. Unde S. Paulus Coloſſenſium orationibus ſe commendat. *Orationi* (inquit) *inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione; orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti.* Cum etiam S. Petrus in carcerem Herodis juſſu conjectus eſſet: *Oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione pro eo.* Unde *S. Auguſt.* Epiſtola 230. ad *Probam* ſcribit. „ „ Sane memineritis, & pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim ſic honorem, quem periculoſum gerimus, deferatis, ut adjutorium, quod neceſſarium novimus, auferatis. A familia Chriſti oratum eſt pro Petro, oratum eſt pro Paulo; & nos in ejus familia eſſe gaudemus, & incomparabiliter plus quam Petrus, & Paulus, orationum fraternarum auxiliis indigemus „ „.

Coloſſ. 4.

Actor. 12.

1. Tim. 2. Orandum pro Principibus. Baruch. 1.

III. Secundo loco fundendæ ſunt ad Deum preces *Pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate.* Unde Judæi apud Babylonios captivi ad eos, qui Hieroſolymis remanſerant, hunc in modum ſcripſere: *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis,*

lonis, & pro vita Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram; & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Baltaſſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum. Hinc *Tertullianus* Apologetici, cap. 30. „ „ In cœlum (*inquit*) ſuſpicientes, manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt. *Et lib. Ad Scapulam, cap. 2.* Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit, cum toto Romano Imperio, quouſque ſeculum ſtabit, tamdiu enim ſtabit... Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece „ „.

Orandum pro piis quibuſque hominibus. 1. Cor. 12.

IV. Tertio pro piis quibuſque hominibus orandum eſt, ut illis gratiarum, virtutumque incrementum, & donum perſeverantiæ Deus tribuat. Qui enim theſaurum gratiæ *in vaſis fictilibus* habent, & in via lubrica, undique ab hoſtibus obſeſſa ambulant, hi maxime precibus indigent aliorum; & quamvis nobiliora ſint Eccleſiæ membra, reliquis tamen dicere non poſſunt: *Opera tua non indigeo.* Quod quidem divinitus factum eſt ad expugnandam ſuperbiam, quæ etiam in recte factis cavenda eſt; dum intelligunt ſibi inferiorum ſuffragiis opus eſſe ad impetrandam gratiæ conſervationem, & nova auxilia itentidem neceſſaria, ne pereant de via juſta.

Pro inimicis etiam noſtris orandum. Matth. 5.

V. Pro inimicis etiam noſtris orandum eſt Chriſti præcepto: *Orate* (inquit) *pro perſequentibus vos.* Unde *Tertul. in Apologet.* cap. 31. „ „ Scitote (*inquit*) præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus

ribus noſtris bona precari „„. Bonum eſt, & orare debemus, ut nos Deus eruat de manibus inimicorum „ noſtrorum. Sed intelligendi ſunt inimici, pro qui„ bus orandum ſit, & contra quos orandum ſit. Ini„ mici homines, qualeſcunque fuerint, non ſunt odio „ habendi; ne cum odit malus, quem patitur malum, „ ſint duo mali. Diligat bonus, & quem patitur ma„ lum, ut vel unus ſit malus. Illi inimici ſunt, con„ tra quos orandum eſt, diabolus, & angeli ejus: „ (inquit *S. Auguſt.* Enarratione 4. in Pſalm. 30.

Orandum pro infidelibus.

VI. Pro ipſis etiam Infidelibus, Paganis, Judæis, hæreticis, Schiſmaticis orandum eſt; pro Infidelibus, ut fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei; pro hæreticis, ut redeant ad ſanitatem catholicæ doctrinæ; pro Schiſmaticis, ut in Eccleſiæ matris gremium, & communionem revertantur, eique charitatis vinculo copulentur. Ex conſuetudine eccleſiaſtica orandi pro his hominum generibus gratiæ neceſſitatem non ſolum ad opera bona, ſed etiam ad initium fidei probat ſanctus Auguſtinus variis in locis præſertim vero Epiſtola 217. alias 107. ad *Vitalem* Carthaginenſem.

Pro peccatoribus omnibus orandum.

VII. Pro peccatoribus omnibus orandum eſt, ut ad Deum per veram, ac ſinceram pœnitentiam convertantur. Fuſæ tamen pro omnibus peccatoribus preces non exaudiuntur, ſed pro quibuſdam. Quod ſpectat enim æternam ſalutem, exaudiuntur pro prædeſtinatis ad regnum cœlorum, non pro reprobis ad mortem æternam præſcitis; ſicut etiam correptio fraterna prædeſtinatis, non reprobis prodeſt ad ſalutem, quia *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* Ideo S. Joan. Apoſt. ait: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.* In iis ſcilicet, qui peccare dicuntur ad mortem, id eſt, qui veniam ipſi implorare nolunt, ſed in peccatis manent obdurati, vix quidquam precibus, votiſque proficitur (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.) Et illorum converſio

Eccl. 7.

1. Joan. 5.

ſio non quibuſcunque orationibus, ſed juſtorum tantum ſingularis meriti, & eximiæ ſanctitatis hominum, Eccleſiæque gemitibus a Deo quandoque conceditur, ut docet *S. Ambroſius*, lib. 1. *De Pœnitentia*, capit. 8. Verumtamen chriſtianæ charitatis eſt, & precari pro illis, & lacrymis contendere, ut eis placare Deum poſſimus.

VIII. Pro mortuis denique preces fundendæ ſunt, quia *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*; id eſt, a purgatorii pœnis liberentur. De quo fidei dogmate actum eſt lib. 2. in Tractatu de Euchariſtia. Eo autem majori charitatis affectu pro illis orare debemus, quo jam pro ſeipſis ſatisfacere, & mereri non poſſunt, cum extra ſtatum viæ ſint conſtituti, ſive extra ſtatum vitæ præſentis, & peregrinationis, in qua meritum omne comparatur. Secundo, majori miſerationis ſenſu affici debemus ad animas illas precibus noſtris ſublevandas, quo graviores ſunt incomparabiliter illarum pœnæ quibuſcunque iſtius vitæ cruciatibus, & tormentis, aggravata ſuper illas Dei manu, qui mirabiliter illas cruciat, tum fuæ viſionis, ac fruitionis beatificæ mora, tum pœna ignis, qui divinæ juſtitiæ, & omnipotentiæ vi ad illas miris modis torquendas evehitur, & applicatur. Eo gravior illis eſt beatitudinis mora, quo magis Deum amant. „„ Quidquid enim amamus, & non habemus, neceſſe eſt, ut doleamus. Nam ille amat, & non dolet, qui habet, quod amat. Qui autem amat, & nondum habet, quod amat, neceſſe eſt, ut in dolore gemat „„. Tormenta graviſſima cogita, quæ perpeſſi ſunt Martyres, longe gravior eſt purgatorii pœna. Hic *in ira* ſua juſtos ob leviora peccata, vel etiam ob graviora, quæ commiſerunt olim, arguit Deus; in purgatorio illo velut *in furore* ſuo corripit. Hic juſtos emendat ut pater; illic ipſos *emendatorio igne* purgat, & plectit ut judex, qui quidem *ignis gravior erit, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Hic illis ipſis, quos emendat, exoratus, & placatus, amovet ſæpe ab eis pla-

2. Macch. 12. Orandum pro defunctis.

Rationes, quæ movere nos debent, ut pro illis oremus.

S. Auguſt. Enarr. in Pſalm. 37.

plagas ſuas; illic ab iis, quos plectit, placari non poteſt, quamvis ipſum ament, & ab ejus amore ſeparari nuſquam poſſint, illoſque viciſſim charitate perpetua diligat; ſed eos in carcere duriſſimo detinet, & cruciat, donec ſolverint noviſſimum quadrantem. Placari ſolum illis poteſt Eccleſiæ, & juſtorum in hoc mundo adhuc peregrinantium precibus, & ſatisfactoriis operibus. Id præterea movere nos maxime debet ad ſuccurrendum animabus illis, quod aliquibus, ut parentum, magiſtrorum, familiarium, amicorum, ſociorum, quibuſcum hoc in mundo vixímus, præbuerimus ſæpe occaſionem peccatorum, propter quæ graviſſimas in purgatorio pœnas luunt. Illos igitur de profundis ad nos clamantes audiamus: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Non ſolum charitas, quam illis debemus, ad orandum pro ipſis impellere nos debet; ſed amor Dei præſertim, cujus amici ſunt; charitas Chriſti, cujus membra ſunt, qui ſe pro illis rogari vult, & placari; tum etiam Angelorum, & ſanctorum hominum jam Deo fruentium amor. Eorum enim felicitati, & gaudio cumulus quidam accedet; cum animæ juſtæ, piacularibus pœnis ſolutæ, illorum beatæ ſocietati adjungentur. Omnium etiam noſtrum, qui chriſtiano nomine cenſemur, & gloriamur, permagni intereſt, juſtis illis animabus ſuccurrere; ſiquidem cum illis unum corpus ſub Chriſto capite ſumus; & *Si patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra.* Denique charitatis erga illos noſtræ memores, cum Deo fruentur, cauſam noſtram apud divinam Majeſtatem agent; noſque ad ſalutem æternam conſequendam ſuis precibus adjuvabunt.

Job 19.

1. Cor. 12.

ARTICULUS VIII.

Pro quibus Deo agenda ſint gratia.

Gratiæ Deo agendæ pro ejus beneficiis.

In altera parte precationis, maximas Deo gratias agimus pro divinis ejus, immortalibuſque beneficiis,

clis ; quibus & ſemper affecit , & quotidie afficit humanum genus ; pro beneficiis creationis , conſervationis , redemptionis , ſanctificationis ; ſingulatimque pro donis ab ejus bonitate , & miſericordia collatis. Hic præcipuus Dei cultus eſt , ut docet *S. Auguſt.* lib. *De Spiritu , & litera* , cap. 11. „ „ Cultus Dei (*inquit*) in hoc maxime conſtitutus eſt , ut anima ei non ſit ingrata. Unde & in ipſo veriſſimo , & ſingulari Sacrificio Domino Deo noſtro gratias agere admonemur „ „. Sic Deum agnoſcimus , & profitemur omnium bonorum noſtrorum auctorem ; ſic illi acceptum referimus , quidquid boni habemus , operamur , volumus , aut cogitamus. Unde *S. Auguſt.* lib. *De Dono perſeverantiæ* , cap. 13. „ „ Quod ergo (*inquit*) in Sacramentis fidelium dicitur , ut ſurſum cor habeamus ad Dominum , munus eſt Domini ; de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere , a Sacerdote poſt hanc vocem , quibus hoc dicitur , admonentur , & dignum , ac juſtum eſſe reſpondent. Cum enim non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum , ſed divino ſublevetur auxilio , ut aſcendat , & quæ ſurſum ſunt , ſapiat , ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens , non quæ ſuper terram ; cui de hac tanta re agendæ ſunt gratiæ , niſi hoc facienti Domino Deo noſtro , qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus mundi , elegit , & prædeſtinavit ante conſtitutionem mundi „ „ ? Gratias Deo agere licet , referre non licet. Quid enim Domino retribuere poſſumus , pro omnibus , quæ tribuit nobis ? Nihil de noſtro habemus , niſi mendacium , & peccatum ; nihil divinæ Majeſtati offerre poſſumus , niſi de ipſius donis , ac datis. Ipſa gratiarum actio donum illius eſt. Nobis tamen auxilium ejus non deeſt , quo gratias immenſæ illius benignitati agere poſſimus ; vitium noſtrum eſt , quod non agamus. Multos , heu , videmus ſatis importune petentes , quod ſibi deeſſe cognoverint ; ſed paucos admodum novimus , qui dignas de acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile eſt , quod inſtanter petimus : „ „ Sed plane petitioni negat effe-

Ipſa gratiarum actio donum Dei eſt.

Multi importune petunt , quod ſibi deeſt , pauci gratias agunt.

fectum, quod invenimur ingrati. Et forte hoc etiam clementiæ esse videtur, ingratis negare, quod postulant, ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitudine judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ, & indignationis, misericordiam exhibere, eam sane, de qua per Prophetam ipse Pater misericordiarum loquitur dicens: *Misereamur impio, & non discet facere justitiam;* .. Felix Samaritanus ille, qui cognovit se nihil habere, quod non accepisset, & idcirco servavit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus. Felix, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim sola nos a profectu conversationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans Dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Felix proinde, qui se alienigenam reputans, etiam pro minimis quibusque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans, neque dissimulans, quod alieno impenditur, & ignoto „„. Verba sunt *S. Bernardi*, Serm. 27. *De Diversis*. Sed & ante ipsum *S. Augustin.* Serm. 283. alias *De Diversis* 42. „„ Melior est (*inquit*) incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quam se extollens de magno. Illum enim, qui de parvo gratias agit, ad magnum Deus admittit; qui autem de magnis gratias non agit, & quod habet, amittit. *Qui enim habet, dabitur ei, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Quomodo autem non habet, si habet? Non habens habet, quia nescit, unde habeat. Tollitur enim a Deo res tua; & remanet illi iniquitas sua „„.

Isai. 26.

Locum in nobis facimus ampliori gratiæ, si acceptæ non simus ingrati.

Qui de magnis gratias non agit, & quod habet amittit. Matth. 13.

Gratiæ Deo agendæ ob dona San-

II. Maxime autem fungi debemus hoc munere gratiarum actionis Sanctorum omnium causa, Deum lau-

laudantes de illorum victoriis, & triumphis. Sanctorum laudes in Deum refunduntur; quem in Sanctis ejus laudamus, cui ob dona illis collata gratias agimus. Unde *S. Auguſt.* Serm. 213. alias *De Diverſis* 114. in Natali *S. Cypriani Martyris* ait: „„ Quid niſi Dei ſunt laudes, tanti Martyris laudes? aut cujus honor eſt Cyprianus ad Deum toto corde converſus, niſi ejus, cui dictum eſt: *Deus virtutum converte nos?* Cujus opus eſt Cyprianus Doctor, niſi ejus, cui dictum eſt: *Doce me juſtificationes tuas?* Cujus opus eſt Cyprianus Paſtor, niſi ejus, qui dixit: *Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos cum diſciplina?* Cujus opus eſt Cyprianus Confeſſor, niſi ejus, qui dixit: *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere inimici veſtri?* Cujus opus eſt Cyprianus tantæ illius perſecutionis pro veritate perpeſſor, niſi ejus, cui dictum eſt: *Patientia Iſrael, Domine*; & de quo dictum eſt: *Quoniam ab ipſo eſt patientia mea?* Poſtremo cujus opus eſt Cyprianus in omnibus victor, niſi ejus, de quo dictum eſt: *In omnibus ſupervincimus per eum, qui dilexit nos?* Non ergo recedimus a laudibus Dei, quando laudamus opera Dei in milite Dei „„.

ctis ab illo collata.

Pſalm. 79.

Pſalm 118.

Jerem. 3.

Luc. 21.

Jerem. 17.

Pſalm. 61.

Rom. 8.

III. Ad gratiarum actionem pertinet prima pars angelicæ Salutationis, cum ea ad precandum utimur: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus, &c.* Nam Deum ſummis laudibus celebramus, ipſique gratias agimus, quod cœleſtium bonorum affluentia ſanctiſſimam Virginem ornaverit, & cumulaverit; eidemque beatiſſimæ Virgini ſingularem illam felicitatem gratulamur.

Angelicæ Salutationis explicatio.

Deo gratias agimus ob ſingularia, & uberrima dona B. Virgini collata, ob quæ eidem Virgini Deiparæ gratulamur.

Ave, tibi gratulamur, Virgo ſanctiſſima, quod humilitate tua, & obedientia primæ matris Evæ ſuperbiam, & inobedientiam expunxeris, pariendo Redemptorem: „„ Ave, gratia plena, virtutibus multis exornata, Arca gloriæ ſpiritualis, urna aurea continens Manna cœleſte; Mare ſpiritale, gemmam cœleſtem Chriſtum habens; ſplendidum cœlum, quæ incomprehenſum in cœlis continet Deum; porta cœlorum, *de qua Propheta dixit*: Ecce porta clauſa, &

S. Epiph. Orat. de Laud. Deiparæ.

Summa Laudum ſanctiſſ. Virg. Mariæ.

S. Baſil. Seleuc. Orat. in Annunt.

Chryſipus in Sermon. de Laudibus B. Virginis.

S. Andreas Hieroſol. in ſerm. de Salut angel

S. Joann. Damaſc. in Orat. de Nativ. & Dormit. Deipar. & lib. 4. De Fide orthodoxa c. 15.

S. Bern. Hom. 3. in Evangel. Miſſus eſt.

S. Hildelfonſus, ſermon. 6. De Aſſumpt. S. Mariæ.

nullus ingredietur per eam... Ave, caſtitatis florentiſſime Paradiſe. in quo lignum vitæ plantatum, fructus ſalutis univerſis producit; ex quo Evangeliorum, quaterno initio fons, miſerationum flumina credentibus dedutit. Ave, Dei, & hominum Mediatrix.... Ave fons lucis omnem hominem illuminantis, vitæ theſaurus; radix omnium bonorum, puteus aquæ ſemper vivæ; Rubus igne ſpirituali ardens, quæ tamen nuſquam comburaris; Mons, ex quo lapis angularis ſine manibus abſciſſus.... Ave magnificum divinæ gloriæ templum. Ave thalame, in quo Chriſtus humanam ſibi naturam deſponſavit. Ave, Deo electa antequam naſcereris. Ave divina cum hominibus reconciliatio. Ave, cœlum cœlo altius. Ave, Dei, qui nuſquam capi poſſit, ac poſſit in te ſola, bene capax locus. Ave, indefectibilis gaudii parens. Ave, Seraphica torceps carbonis myſtici. Ave, dioptra perſpectiva, qua ii, qui in triſti peccatorum umbra tenebris obſiti eſſent, venientem de cœlo, cum gloria exortum juſtitiæ ſolem ſuſcipientes, mirabiliter illuſtrati ſunt. Ave, Prophetarum omnium, Patriarcharumque gloriatio... Ave, divinum, ac vivum ſimulacrum, ad quod opifex Deus inventus eſt: Chriſtianorum ſpes, firma ſalutis arrha, Angelorum Domina, rerum omnium conditarum hera... Ave, Regina mundi, Feneſtra cœli, Janua paradiſi, Tabernaculum Dei, Stella maris, Scala cœleſtis, per quam ſupernus Rex ad ima deſcendit, & homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuperna exaltatus aſcendit „ „. Legimus in actibus Apoſtolorum & Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu ſancto, ſed longe diſſimiliter a Maria. *Nec* enim *in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec illi conceperunt de Spiritu ſancto, quomodo Maria.* Quæ fonti gratiæ, ſcilicet Chriſto, præ cæteris Sanctis proxima fuit; & ad munus, atque dignitatem longe majorem electa, uberiori certe gratia donata eſt. *Cæteris electis ex parte gratia datur; huic virgini tota ſe infudit gratiæ plenitudo.* In Chriſto plenitudo fuit redundantiæ: *Ple-*

nus

nus ſcilicet *gratia, & veritate* eſt, & *De ejus plenitudine omnes accepimus.* In Apoſtolis, & Stephano Protomartyre, aliiſque Sanctis, plenitudo fuit ſufficientiæ; tantam ſcilicet gratiam acceperunt, quanta opus erat ad Miniſterium Apoſtolatus obeundum, ad patiendum pro Chriſto, ad ea digne exequenda, ad quæ vocati erant. In ſanctiſſima Virgine plenitudo fuit abundantiæ; quia gratiæ concepit auctorem. *Inveniſti gratiam apud Deum*, inquit, Angelus. Gratiam non habuiſti ut Deus; non reſpuiſti ut Angelus; non amiſiſti ut primus parens; non emiſti ut Simon magus; non abſcondiſti ut ſervus nequam; ſed inveniſti, Dei conferentis bonitate, ſalvantis miſeratione, hominis neceſſitate. S. Albert. magnus in Evangel. Miſſus eſt.

Dominus tecum. Qui ubique æquáliter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, qui in rationalibus creaturis eſt per cognitionem, in ſolis bonis per amorem; & ita in ipſis, ut ſit etiam cum ipſis propter concordiam voluntatis; ſingulari, & excellentiori quadam ratione eſt in *Maria*! cum qua utique tanta ei conſenſio fuit, ut illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi conjungeret, ac de ſua, virgineiſque ſubſtantia, unum Chriſtum efficeret, vel potius unus Chriſtus fieret; qui etſi nec totus de Deo, nec totus de virgine, totus tamen Dei, & totus virginis eſſet, nec duo filii, ſed unus utriuſque filius. *Dominus tecum!* ... Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis; ſed Dominus Spiritus ſanctus, de quo concipis; & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater tecum, qui Filium ſuum facit, & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum mito modo & ſibi referat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus ſanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum ſanctificat uterum ... S. Bernard. dus Homil. 3. in Evangel. Miſſus eſt.

Benedicta tu in Mulieribus; quæ generalem illam maledictionem evaſiſti, qua dictum eſt: *In dolore paries filios*; & nihilominus illam *Maledicta ſterilis in Iſrael*, ac ſingularem conſecuta es benedictionem, ut Gen. 3.

nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias. *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Altiſſimi Filius erit & tuus. Ea eſt dignitas tua, qua major ſub Deo intelligi non poteſt. *Sic & quod natum eſt ex ipſo Patre erit tuus; & quod naſcetur ex te, erit ejus; ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Utitur obumbrandi verbo, quia res in Sacramento erat. *Et quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.* Benedicta tu inter mulieres, quæ benedictum præ filiis hominum caſtis viſceribus concepiſti, & immaculato partu edidiſti cum gaudio. *Beatus venter* tuus, qui portavit eum, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. *Beata ubera*, quæ ſuxit ille, qui omnibus dat eſcam in tempore opportuno. *Benedicta tu* præ *Sara, Rebecca, Rachele, Anna* Samuelis matre, & *Eliſabeth* cognata tua, quæ ſterilitatis opprobrio liberatæ filios conceperunt peccatores, quamvis Dei miſericordia Sanctos futuros; quod vero ex te natum eſt, Virgine perpetua, *Sanctum* vocatum eſt *Filius Dei*, & *Sanctus Sanctorum.* Benedicta tu præ *Maria* ſorore Moyſis, quæ populum de Ægypto cum fratribus ſuis eduxit per Mare rubrum; præ *Deborra* Prophetide, & *Jahele*, uxore Haber, quæ populum occiſo *Siſara* liberaverunt; præ ſapiente muliere *de Abela*, quæ ſeditioſo *Seba* obtruncato, civitatem ab excidio ſervavit; præ pulcherrima *Heſter*, quæ Judaicam gentem a generali internecione eripuit, ſuperbo, & crudeli *Aman* furca damnato; præ generoſa *Judith*, quæ abſciſſo capite Holofernis, inſignem victoriam populo ſuo, diuque duraturam pacem peperit. Tu enim, Virgo ſanctiſſima, ſerpentis antiqui caput per filium tuum contriviſti, neque unſduntaxat genti, ſed omni generi humano peperiſti Salvatorem, ac mediatorem, qui a diaboli ſervitute nos omnes eriperet, noſque Deo reconciliaret. Benedicta tu præ *Abigail* prudentiſſima illa muliere, quæ iram *Davidis* Regis placavit, ne ſtulti *Nabal* domum deleret; præ mulie-

S. Bernardus Hom. in Evang. Miſſus eſt.

Eſther. 8.

Judith. 14.

1. Reg. 25.
2. Reg. 14.

liere *Thecuite*, quæ induſtria ſua, figuraque ſermonis *Abſalom* in Jeruſalem reduxit: Deum enim nobis placaſti, & placare non ceſſas; nos exules filios Evæ ad cœleſtem Jeruſalem prece potentiſſima reducis. Benedicta tu præ mulieribus omnibus conjugatis, quæ virgo in partu, & poſt partum permanſiſti; præ virginibus, quæ matris gaudium cum honore virginitatis habuiſti, & ſanctæ virginitatis vexillum extuliſti, vere virginum Regina. Benedicta ob fidem, qua Archangeli Gabrielis verbis credidiſti: Benedicta ob charitatem, qua Deum dilexiſti, qua proximum profecuta es, iter difficile per montana Judææ ſuſcipiens, ut officium, & miniſterium Eliſabethæ cognatæ tuæ impenderes, ut Joannis Baptiſtæ ſanctificationem in utero per Chriſtum in tuis viſceribus incluſum procurares. Benedicta ob humilitatem, qua Mater Dei electa, & ab Angelo ſalutata, *Ancillam Domini* te profeſſa es. Benedicta ob invictam animi fortitudinem, qua paupertatis incommoda, itinerum difficultates, Simeonis animam tuam doloris gladio tranſfixum in prænunciantis triſte Vaticinium, Filii dilectiſſimi Paſſionem, tormenta, vulnera, mortem, lateris confoſſionem, Judæorum inſultus corde compatiente pertuliſti, ſtans juxta Crucem ejus. Benedicta tu ob innocentiam, quæ ab omni omnino peccati labe pura ſervata es, ut verius dicere poſſis quam Judith; *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Deſideriis tuis paremus, Virgo ſanctiſſima, confitemur Domino, ipſum adoramus, gratias illi agimus, quod tot gratiæ ſuæ donis te cumulaverit quod te in Matrem Dei filius elegerit, & ex te naſci pro nobis dignatus ſit; quod nobis etiam te Matrem dederit ut Joanni, charitate, miſeratione; quod te noſtræ ſalutis hoſtibus terribilem fecerit, ut caſtrorum aciem ordinatam. *Benedicta tu a Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus* Judith. 13.

ſuper terram, Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum; quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus
Judith. 15. *tua de ore hominum... Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.... Manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Fiat, fiat.*

S. Bernar. Hom. 3. in Evangel Miſſus eſt. Addimus cum S. Eliſabeth: *Et benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui; ſed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes; de cujus plenitudine tu quoque accepiſti cum cæteris, etſi differentius a cæteris. Ac propterea benedicta tu, ſed in mulieribus; ille vero benedictus non in hominibus, non inter Angelos, ſed *Qui eſt* (ut ait Apoſtolus) *ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Benedicti illius fructus proprium nomen S. Eliſabethæ verbis addidit Eccleſia, *Jeſus*, ut illum benedictionum omnium, ſive gratiarum ſanctiſſimæ Virginis Mariæ auctorem eſſe ſignificaret, qui non ſolum ejus Filius, ſed & ipſius, omniumque hominum Salvator eſt, in quo Pater æternus *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus.* Nec
Rom. 9. Ephes. 1. S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam. mirum (inquit ſanctus Ambroſius) „ „ Si Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit a Maria; ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore „ „. Mariæ redemptor Chriſtus, quia prohibuit, ne peccatum incurreret, vel committeret.

Gratiarum actioni jure optimo addit Eccleſia preces, & invocationem ejuſdem Virginis Deiparæ. IV. Jure autem optimo Eccleſiæ huic gratiarum actioni preces etiam, & implorationem ſanctiſſimæ Dei Matris adjunxit, qua pie, atque ſuppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus ſua interceſſione Deum conciliaret, auxiliaque tum ad hanc, tum & æternam vitam, nunc, & in hora mortis noſtræ, nobis impetraret. Matrem igitur miſericordiæ, refugium peccatorum, Mediatricem, & Advocatam noſtram Eccleſiæ verbis oremus; nec dubitemus nos

faci-

facilius impetraturos, quod per illam a Deo petierimus, apud quem plus omnibus Sanctis poteſt. Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, implorемus: *Quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* In omnibus ſiquidem, & per omnia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat. Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus, ad folia fugiebas: Jeſum tibi dedit mediatorem; exaudietur utique pro reverentia ſua. An vero trepidas & ad ipſum: Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret: hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo majeſtatem vereare divinam. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro ſua reverentia. Exaudiet utique matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. „ Hæc peccatorum „ ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio „ ſpei meæ. Quid enim, poteſtne Filius aut repellere, „ aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri „ Filius poteſt „? Filius oſtendit Patri latus, & vulnera; Mater oſtendit Filio pectus, & ubera; quid tam potens Mediatrix non obtineat; cui dictum eſt ab Angelo: *Inveniſti gratiam apud Deum?* Semper hæc invenit gratiam, & ſola eſt gratia, qua egemus. „ Prudens Virgo non ſapientiam, ſicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia, qua ſalvamur. Quid nos alia concupiſcimus? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam; ſed gratiam apud Deum; nam apud homines gratia fallax. Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipſam, quam apud Deum gratiam inveniſti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. „„ Memento ſervorum tuorum Chriſtianorum, cun-

Idem Ser. 5. in Aſſumpt. B. Virgin.

S. Germ. Conſtan-

tinop. Epiſcopus, ctorum commenda preces, univerſorum ſtatue ſpes, fidem confirma, Eccleſias ad unitatem coge, imperium trophæis auge, exercitui auxiliare, mundum pace compone, cunctos a periculis, & tentationibus liberans, uniçuique a damnationis reatu ſolutam præſtari exora retributionis diem. Ad quem enim alium ibimus? Verba vitæ æternæ habes, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es, quæ feceris ſemper, nec unquam ceſſes facere nobiſcum magnalia. Et ſanctum eſt nomen tuum, quod ab Angelis, & hominibus, in omnes generationes beatum prædicatur „ „.

ARTICULUS IX.

Qua ratione ſit orandum: Sive quæ conditiones orationis.

Orandum in ſpiritu, & veritate. I. Cum ea, quæ a Deo in oratione petimus, ſæpe non aſſequamur, eo quod male petimus, operæ pretium eſt explicare paucis, quæ ſit optima ratio orandi. Eſt igitur orandum in ſpiritu, & veritate quia *Deus ſpiritus*, & veros *adoratores in ſpiritu, & veritate adorare oportet*; id eſt, ex intimo, & ferventi animi ſtudio, & flagranti Dei deſiderio, quo fides, ſpes, & charitas ſemper orant (ut loquitur S. *Auguſt.* Epiſt. 130.) Hæc orandi ratio propria eſt chriſtianorum hominum, quibus Chriſtus illam præſcripſit, Patrem tales quærere docens, qui adorent eum. In veritate, hoc eſt, abſque omni fuco orare oportet; in ſpiritu, id eſt, non voce ſolum, ſed interiori præſertim animi affectu. *Cum oratis* (inquit Chriſtus) *non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici. Putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite*

Joan. 4.

Matth. 6.

lite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Quæ sunt ista cubicula, in quæ Christus nos intrare jubet oraturos, nisi ipsa corda, de quibus Psalmo 4. dicitur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini?* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea, quæ foris sunt, improbe se ingerunt, & interiora nostra appetunt. „ „ Foris autem sunt omnia temporalia, & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ sit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito „ „. Et ut Christus nobis hanc orandi rationem magis explicet, duos pravos affectus pari censura damnat; alterum, qui Judæorum est; alterum Ethnicorum. Judæi, præsertimque inter illos Pharisæi hypocritæ, spectandos se præbebant in oratione, & hunc potissimum fructum orationis quærebant, hominibus placere. Ethnici exercendæ linguæ potius, quam mundando animo dant operam; & hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur, existimantes Deum perinde ac hominem judicem, multis verbis, & oratione studiose composita adduci posse, in quam voluerimus sententiam. *Nolite ergo assimilari eis* (inquit disciplinæ cœlestis magister.) Si enim verba multa ad id proferuntur, ut doceatur ignarus, quid illis opus est ad eum orandum, qui corda novit? Non ergo ambitione precum nos exaudit Deus, non verba, sed cor attendit. Quamobrem non verborum apparatu agere debemus apud Deum, ut impetremus, quod volumus: *Sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura, & simplici affectu.* Sic explicat *Sanctus August.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 3. Itaque, cum Christus multiloquium in oratione damnat, multum sermonem

abſque interiori animi affectu, & devotione profuſum inanem eſſe apud Deum ſignificat, non autem diuturnas preces pie, & ex intimo animi affectu factas. *Cum diu orare vacat, id eſt, cum alia bonarum, & neceſſariarum actionum non impediuntur officia*, tantum abeſt, ne inutile ſit, ut ſit etiam ſaluberrimum; neque enim hoc eſt orare in multiloquio, ſi diutius oretur. „„ Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quod pernoctaverit in orando, & quod prolixius oraverit; ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum patre exauditor æternus?.... Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeverat intentio. Nam multum loqui, eſt, in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari, eſt ad eum, quem precamur, diuturna, & pia cordis exercitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam ſermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana non quærit„„ (*inquit S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. cap. 10.)

Humilitas orationis.

II. Altera conditio ad recte orandum neceſſaria, eſt humilitas ſupplicantis, qua non ſolum Dei magnitudinem adoret, ſeque coram ejus divina Majeſtate deprimat, & abjiciat, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis*: Sed qua ſe reliquis hominibus longe indigniorem peccatorem exiſtimet. Unde *Iſa. 66.* Dominus ait: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Et Eccleſiaſtici 35. ſcriptum eſt: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Odit Deus pauperem ſuperbum. „„ Omnes *porro* quando oramus, mendici Dei ſumus. Ante januam magni Patrisfamilias ſtamus, imo etiam proſternimus, ſupplices ingemiſcimus, aliquid volentes accipere; & ipſum aliquid, ipſe Deus eſt. Quid a te petit mendi-

Gen. 18.

dicus? Panem. Et tu quid petis a Deo; niſi Chriſtum, qui dicit; *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo de-* Joan. 6.
ſcendi „ „ ? Verba ſunt *S. Auguſt.* Sermone 83. alias 15. *De verbis Domini.* Qui ſe coram Deo, ſpiritualibus præſertim bonis divitem putat, is omnium hominum miſerrimus, & indigentiſſimus eſt. *Hæc dicit,* Apocal. 3.
Amen teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei... Dicis, Quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Ad Deum igitur ſupplices clamemus: *Ego vero egenus, & pauper ſum; Deus, ad-* Pſal. 69.
juva me. Nec ſolum egeni, & pauperes ſumus, ſed & infirmi, & vulnerati, medicinali Salvatoris auxilio indigentes, quod in oratione imploramus. Anima noſtra non eſt ſana ſine charitate; nam *Sanitas mentis eſt charitas;* quæ in nobis, ſed ex Deo, qui diffundit illam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Sed & cum ſana mens eſt per gratiam, & charitatem, remanet ſemper infirmitas ſecundum carnem, in qua *Aliam legem* ſentimus *repugnantem legi mentis* noſtræ, Rom. 7.
& captivantem nos in lege peccati. Quis nos infelices homines *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Humiliemus igitur animas noſtras, ut in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito orantes a Deo ſuſcipiamur, a ſummo animarum noſtrarum medico ſanemur. Semper humiles ſimus, quia tumus infirmi, quamdiu hic vivimus, nec perfecta erit ſanitas, niſi quando plena erit immortalitas. Oremus in humilitate dicentes; *Miſerere mei,* Pſal. 6.
Domine, quoniam infirmus ſum. Sana me, Domine... Pſal. 29.
Ad te, Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor. In Paradiſo non clamabas, ſed laudabas (inquit *S.* S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 29.
Auguſt.) non gemebas, ſed fruebaris; foris poſitus geme, & clama. Propinquat tribulanti, qui deſeruit ſuperbientem. *Deus* enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus* Jac. 4.
autem dat gratiam.

III. Attentio inſuper neceſſaria eſt, ut Deo grata ſit oratio. Si enim mentem alio ſponte diſtrahamus, mente non oramus, atque de nobis Dominus dicere po- Attentio in oratione neceſſaria. Matth. 15. 8.

poteſt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Claudatur ergo contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, cum ad orationem ſtamus. Cogitatio omnis carnalis, & ſecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus quam id ſolum cogitet, quod precatur, quam quod Deo loquitur (inquit *ſanctus Cyprianus* libro de oratione Dominica.) „ Quomodo te audiri poſtulas a Deo, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui, cum rogas; quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt, ab hoſte in totum non cavere; hoc eſt, quando oras Deum, Majeſtatem Dei negligentia orationis offendere; hoc eſt, vigilare oculis, & corde dormire; cum debeat Chriſtianus, & cum dormit oculis, corde vigilare. ... Sit orantibus ſermo, & precatio cum diſciplina, quietem continens, & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare; placendum eſt divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis „. Nobis ſaltem diſpliceant tot mentis evagationes, quæ in oratione nobis irrepunt. Ante orationem præparemus animam noſtram, & ne ſimus ſicut homines tentantes Deum. Magna certe Dei miſericordia, qui orationes noſtras tam diverſis, tam vanis, ſæpe & tam noxiis cogitationibus interruptas tolerat. Orationis initio, cordis intentio ad Deum dirigenda eſt, dicendumque cum Propheta: 85. *Miſerere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te animam meam levavi.* „ In terra erat, & in terra amaritudinem ſen- guſt. at. in Pſal. „ tiebat; ne in amaritudine contabeſceret, ne om- „ nem tuæ gratiæ ſuavitatem amitteret, levavi eam ad „ te, lætifica eam apud te. Solus enim tu es jucundi- „ tas; amaritudine plenus eſt mundus. Admonet Chri- „ ſtus membra ſua, ut ſurſum cor habeant; udiant „ ergo, & faciant. Non putreſcit cor, ſi levatur ad „ Deum. Frumentum ſi haberes in inferioribus, leva- „ res ad ſuperiora, ne putreſceret; & cor permittis „ in terra putreſcere? Leva in cœlum. „ „ Gradus, affectus ſunt; iter tuum, voluntas tua eſt. Amando aſcendis, negligendo deſcendis. Stans in terra, in

cœ-

cœlo es, ſi diligas Deum. Non enim ſic levatur cor, quomodo levatur corpus. corpus ut levetur, locum mutat: Cor ut levetur, voluntatem mutat „„. Toto autem orationis tempore pia illa cordis affectio, & intentio virtutis ſaltem perſeveret, & de mentis evagationibus paſſim ſubrepentibus ingemiſcat. Nemo „ ſibi blandiatur. Attendat quiſque, & videat, quanta „ aguntur in corde humano, quemadmodum ipſæ „ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix ſtet cor ad Deum ſuum; & vult „ ſe tenere, ut ſtet, & quodammodo fugit a ſe, nec „ invenit cancellos, quibus ſe includat, aut obices „ quoſdam, quibus retineat evolationes ſuas, & vagos quoſdam motus, & ſtet jucundari a Deo ſuo. „ Vix eſt, ut occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret unuſquiſque ſibi contingere, & alteri non contingere, niſi inveniremus in ſcripturis „ David orantem, & dicentem: *Quoniam inveni, Domine, cor meum, ut orarem ad te.* Invenire ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum; & non poſſe comprehendere, & clamare ad Deum: *Quoniam cor meum dereliquit me.* Cum igitur ait: *Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi, quoniam tu ſuavis, & mitis*, laudat benignitatem, & miſericordiam Dei, qui noſtrarum evagationes mentium in oratione patitur; & exſpectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; & quando illi eam dederimus, accipit grate, & exaudit; nec meminit tantas, quas incondite fundimus, & accipit unam, quam vix invenimus? „„ Quis enim eſt homo, cum quo ſi cœperit amicus ejus colloqui, & voluerit ille reſpondere collocutioni ejus, & viderit eum averti a ſe, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut ſi forte interpelles Judicem, & conſtituas eum loco, ut te audiat, & ſubito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Sit tolerat Deus tot corda precantium, & diverſas res cogitantium. Omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquan-

1. Reg. 1.

Pſalm. 39.

quando perverſas, & inimicas Deo; ipſas ſuperfluas cogitare, injuria eſt ejus, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio eſt ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris „ „. Sed quid? Deſperandum ne eſt de genere humano, & dicendum ad damnationem pertinere omnem hominem, cui ſubrepſerit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipſius? Nequaquam. Magna eſt miſericordia Domini. Dicamus ergo: *Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te animam meam levavi.* Et quomodo eam levavi? Quomodo potui, quomodo tu vires dediſti, quomodo eam fugientem apprehendere valui. *Quoniam tu, Domine, ſuavis, & mitis.* Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo; cura, & ſtabo; confirma, & firmus ero. Donec autem facias, toleras me: *Quia tu ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.* Ita diſſerit *S. Auguſt.* Enarratione in Pſalmum 85. Toto corde ad Deum clamandum eſt, cum oramus, ſi velimus exaudiri. *Clamavi in toto corde, exaudi me, Domine.* Clamor enim ad Dominum, qui fit ab orantibus, ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intendo in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam ſilente corporis voce, alium quemlibet hominem poteſt latere, non Deum. Sive ergo cum voce canis, quando id opus eſt, ſive cum ſilentio, ad Deum, cum oramus, corde clamandum eſt. „„ Eſt autem clamor cordis magna cogitationis intentio; quæ cum eſt in oratione, magnum exprimit deſiderantis, & petentis affectum, ut non deſperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur „ „ (*inquit S. Auguſt.* Enarrat. in Pſal. 118. Serm. 29.) O rem profluvio lacrymarum deplorandam! Oratio noſtra aliquando ſic tepida eſt, vel potius frigida, & pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus. Nam *Si vel hoc dolemus, jam oramus* (ait *S. Auguſt.* libro 1. *ad Simplicianum*; quæſtione 2.)

IV. Ora-

IV. Oratio aſſidua, & perſeverans eſſe debet. Aſſiduitas enim, & perſeverantia orationis ſæpe impetrat, quod meritum impetrare non valet. Unde Chriſtus ait: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Quantam autem vim habeat apud Deum aſſidua, & perſeverans oratio, duabus parabolis explicuit Salvator noſter. Prima eſt de judice iniquo, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur; quem cum vidua ſedulo interpellaret, ut illam vindicaret ab adverſario ſuo, atque ille jus ipſi dicere diu recuſaſſet, tandem tamen mulieris importunitate victus, ejus poſtulationi conceſſit. Quanto magis *Deus faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte?* Altera parabola eſt de homine, qui media nocte ad amicum accedens, & tres ab illo panes commodato petit; qui etſi non impetret, propter importunitatem, ſi perſeveraverit ad januam ejus pulſans, impetrabit, quotquot ipſi neceſſarii ſunt: *Quanto magis Pater cæleſtis de cælo dabit Spiritum bonum* perſeveranter orantibus? Huc ſpectant apoſtolicæ Sententiæ, quæ orationis aſſiduitatem commendant. *Sine intermiſſione orate* (inquit S. Paulus) *in omnibus gratias agite: Hæc eſt enim voluntas Dei.* Id confirmat S. Jacobus cap. 5. Epiſtolæ ſuæ: *Multum* (inquit) *valet deprecatio juſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis; & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.*

Perſeverantia in oratione.

Luc. 18.

Luc. 11.

1. Theſſ. 5.

Sic autem intelligendum eſt divinum de aſſiduitate, & perpetuitate orationis Præceptum, 1. ut nullo die intermittantur certa orandi tempora, ſicut de Miphiboſet dicitur 2. *Regum* 9. *De menſa Regis jugiter veſcebatur*, id eſt, quotidie ſtatutis horis.

Qua ratione orare ſine intermiſſione poſſumus, & debemus.

2. Ut continuum Dei, & beatæ vitæ, quæ in illius fruitione poſita eſt, deſiderium habere jubeamur, quod quidem deſiderium in omnibus operibus ex charitate factis perſeverans, orationis vim habet. Unde *S. Auguſt.* Epiſt. 130. „ „ In ipſa (*inquit*) fide, &

Continuum Dei, & beatæ vitæ deſiderium in omnibus bonis ope-

ſibus virtute perſeverans.

& ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc augendum nos ipſos acrius excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc, & quod ait Apoſtolus: *ſine intermiſſione orate*, quid eſt aliud, quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo, qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo deſideremus, & oremus ſemper „„.

Et Enarrat. in Pſalm. 37. explicans hæc Prophetæ verba: *Domine, ante te omne deſiderium meum*, ait: „„ Ipſum deſiderium tuum oratio tua eſt; & ſi continuum deſiderium, continua oratio... Quidquid aliud agas, ſi deſideras illud ſabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare. Continuum deſiderium tuum, continua vox tua eſt. Tacebis, ſi amare deſtiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum eſt: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Frigus charitatis, ſilentium cordis; flagrantia charitatis, clamor cordis eſt. Si ſemper manet charitas, ſemper clamas; ſi ſemper clamas, ſempet deſideras; ſi deſideras, requiem recordaris „„.

Matth. 24.

Perpetuus Dei præſentis per fidem intuitus.

3. Aſſidue orari poteſt Deus, ſi eum præſentem ſemper habentes, in omnibus negotiis, & operibus noſtris breves identidem preces toto cordis affectu ad ipſum fundamus. Iſtud orationis genus priſcis monachis uſitatum fuiſſe narrat *S. Auguſt.* Epiſtola 130. Dicuntur „„ Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras evaneſcat, atque hebetetur intentio „„. *Et Caſſianus* lib. 2. *de Inſtitutis cœnobiorum*, cap. 10. „„ Utilius cenſent, breves quidem, ſed creberrimas oratio-

tiones fieri; illud quidem, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere poſſimus; hoc vero ut inſidiantis diaboli jacula ſuccincta brevitate vitemus „ „. Jaculatorias hujuſmodi orationes Pſalmorum, & Prophetarum libri cuique ſuppeditabunt. Hujus generis ſunt: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur... Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam... Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele... Cor mundum crea in me, Deus... Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens... Tuus ſum ego, ſalvum me fac... Erravi ſicut ovis, quæ periit, quære ſervum tuum, Domine... Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam... Adhæſit anima mea poſt te... Deus, adjuva me... Deus, ne derelinquas me... Deus meus, miſericordia mea... Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam... Deus, ne elongeris a me, Deus meus, in auxilium meum reſpice... Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum... Laudabo te, Domine, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua, Domine, magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori... Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea... Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus... Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine requiram.* Item illa ex Evangelio: *Deus propitius eſto mihi peccatori. Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Jeſu Præceptor miſerere noſtri... Domine, ut videam... Domine, ſi vis, potes me mundare... Domine, ſalva nos, perimus... Domine, tu ſcis quia amo te, &c.*

Orationes jaculatoriæ.

4. Continuo Deum laudat, qui omnia opera ſua ex Dei amore, & propter illius gloriam facit. „„ Vis pſallere (*inquit S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm.* 146.) Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaveris,

Deum continuo laudat, qui omnia opera ſua ex Dei amore,

& propter illum facit.

veris, ſilebis aliquando; vita ſic canta, ut nunquàm ſileas. Negotium agis, & fraudes cogitas, ſiluiſti a laude Dei; & quod gravius eſt, non ſolùm a laude ſiluiſti, ſed in blaſphemiam perrexiſti. Cum enim Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; & cum blaſphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blaſphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne ſileas, vita ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, pſallis Deo. Cum manducas, & bibis, pſalle; non intermiſcendo ſonorum ſuavitates ad aures aptas, ſed modeſte, & frugaliter, & temperanter manducando, & bibendo. 1. Cor. 10. Quia hoc dicit Apoſtolus: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo bene agis, quod & manducas, & bibis, & ad refectionem corporis ſumis, reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi præbuit mortali, & fragili iſta ſupplementorum ſolatia; & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum; ſi vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua ſonet, vita blaſphemat. Poſt cibum, & potum requieſcis, ut dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas ultra conceſſam licentiam in lege Dei: Sit caſtus cum conjuge thorus, & ſi eſt cura propagandi liberos, non ſit effrænata luxuries libidinum; defer in lecto tuo conjugi tuæ, quia membra Chriſti eſtis ambo, ambo ab illo conditi, ambo ſanguine ipſius reparati; hæc agens laudas Deum, nec omnino ſilebit laudatio tua. Quid cum ſomnus advenerit? & cum dormis, non te excitet a quiete mala conſcientia tua, & per innocentiam ſomni tui laudet Deum. *Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus; Deo noſtro jucunda ſit, decoraque laudatio.* Quomodo erit Deo noſtro jucunda laus? Si bene vivendo laudatur „ „. Hinc *S. Fulgentius* Epiſt. 1. „ Oratio eſt (*inquit*) in conſpectu Dei omne opus „ bonum, quo delectatur nullo indigens Deus „.

Miſericordiam Dei, qua ſemper indigemus, non impetrabimus, niſi in oratione perſeveremus. *Benedictus Deus* (inquit Propheta) *qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.* Quamdiu hic ſumus (inquit S. Auguſt.) hoc rogemus Deum, ut non a nobis amoveat deprecationem noſtram, & miſericordiam ſuam, id eſt, ut perſeveranter oremus, & perſeveranter miſereatur. Multi enim langueſcunt in orando, & in novitate ſuæ converſionis ferventer orant, poſtea languide, poſtea frigide, poſtea negligenter, quaſi ſecuri ſint: Vigilat hoſtis; dormis tu... „ „ Ergo non deficiamus in oratione. Ille, quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert. Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt a te amota miſericordia ejus „.

Miſericordiam Dei non impetrabimus niſi in oratione perſeveremus. Pſal. 65.

S. Auguſt. Enarr. in hunc Pſ.

V. Orationi vero adjungi debent eleemoſyna, & jejunium, quibus apud Deum maxime commendatur. „ „ Orantes autem (*inquit S. Cyprianus*) non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum veniant. Ineficax petitio eſt, cum precatur Deum ſterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur; utique & ſermo non habens fructum, promereri Deum non poteſt, qui nulla eſt operatione fœcundus. Et ideo Scriptura divina inſtruit dicens: Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna. Nam qui in die judicii præmium pro operibus, & eleemoſynis redditurus eſt, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor eſt „ „. Quod Tobiæ, & Cornelii Centurionis exemplis confirmat.

Orationi adjungi debent eleemoſyna, & jejunium. Tract. De Or. Dom.

Et *S. Auguſt.* Enarratione in Pſal. 42. „ „ Quam celeriter (*inquit*) accipiuntur orationes bene operantium; & hæc juſtitia hominis in hac vita, jejunium, eleemoſyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illis duas alas, jejunium, & eleemoſynam „ „.

VI. Quamvis autem in omni loco Deus orari poſſit, ac debeat, qui ubique præſens eſt, quemdam tamen ſpeciatim ad id deſtinatum, conſecratumque lo-

Locus orationis.

locum ſibi Dominus elegit, ad quem Fideles conveniant, ejus Majeſtati ſupplicaturi; non quaſi ipſe loco indigeat, ſed ut nos per corporalem domum, quæ *Domus orationis*, & domus ipſius ſingulari quadam ratione dicitur, & in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventius orandum excitet. Quod ſi Templum Salomonis Deus ſanctificavit, ibique oculos ſuos, & cor ſuum futurum promiſit, ut populi ſui preces exaudiret, ſi Apoſtoli, accepto etiam Spiritu ſancto, Templum illud orationis gratia frequentabant; multo magis Templis noſtris benedicit, in quibus Chriſti Jeſu Corpus offertur, confecratur, ſumitur, aſſervatur. Si *Ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine* Chriſti, ipſe *in medio eorum* eſt; multo magis cum tota ad eum laudandum, & orandum convenit Eccleſia, illic medius aderit. Major certe vis eſt orationis, quæ a multis offertur Deo in domo ejus, quæ vere *Domus orationis eſt cunctis gentibus.* Unde Propheta ait: *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Et *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Pſal. 28. Pſal. 5.

Reverentia templis debita.

Quanta porro veneratione, reverentia, modeſtia in domo Dei adeſſe debeamus, Chriſti factum oſtendit, qui facto ex funiculis flagello ejecit e templo Salomonis vendentes oves, & boves, & columbas, & menſas nummulariorum evertit, dicens: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Non ut alias Angeli miniſterio Adamum e Paradiſo voluptatis ejecit, aut ad puniendos peccatores cœleſtium illorum Spirituum, aut etiam hominum opera uſus eſt; aut elementa, vel bruta animantia ad ſceleris ultionem Deus adhibuit; ſed Filii ſui incarnati manus adorandas ad puniendum ſacrilegos, Templi ſui violatores armari voluit. Adverſus alia crimina verbo duntaxat ſuo, vique doctrinæ uſus eſt Chriſtus, adverſus eos, qui Templi ſanctitatem violarent, brachium omnipotens adhibet; flagellis etiam utitur manſuetiſſimus Salvator. Quod criminis illius gravitatem demonſtrat. „ „ Plerique (*inquit S. Hieron. in*

Matth. 21. Joan. 2. Lucæ 19.

cap.

cap. 21. *Matth.*) arbitrantur maximum eſſe ſignorum, quod & Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex utero lumen acceperit, quod ad Jordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtendit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad illius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam, atque ſydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis Majeſtas lucebat in facie „„. Templum illud typicum erat, figura erat noviſſimæ domus, cujus gloria major eſt, quam primæ, ſcilicet Eccleſiæ chriſtianæ; non intra Templum, ſed in Porticu Salomonis, in Atrio gentium negotiatores illi ſedebant; ea duntaxat vendebant, quæ in Templo debebant offerri; expulit tamen eos Chriſtus, & paſſus non eſt domum orationis fieri domum negotiationis. Quanto majori pœna digni ſunt, qui in chriſtianis Templis, ubi Chriſtus quotidie immolatur, & corporaliter reſidet, ubi Sacramenta veteribus longe nobiliora, & ſanctiora conficiuntur, & adminiſtrantur, ubi Angelorum frequentia divini Sacrificii tempore Deum ſupplex, & tremens adorat, *abominationes majores* committuntur? Qua ſeveritate punientur ſacrilegi, qui domum orationis faciunt domum ſcortationis; mulieres, quæ ibi ſcandala uſque ad cœlum jaculantur; non peccata ſua, ſed Adonidem plorantes; viri, qui nutibus oculorum, colloquiis, ac lenociniis libidinem paſcunt, & accendunt? utriuſque ſexus homines, qui ibi non Dei vivi Majeſtatem, ſed *reptilium, & animalium* ſimilitudines, id eſt, cupiditates ſuas adorant? Ubi plerique Eccleſiæ miniſtri *Dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, adorant ad ortum ſolis*; id eſt, ſecularem gloriam, commodaque Ezech. 8.

temporalia, rerum ſacrarum ſtudio, miniſterii ſui ſanctitati, vocationis ſuæ officiis, Dei gloriæ, ac zelo domus ejus, Eccleſiæ denique utilitatibus anteponunt: *Ergo* (inquit Dominus) *& ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miſerebor; & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

Illam in Templis Chriſtianorum irreverentiam graviſſimis verbis perſtringit *Salvianus*, lib. 3. De Gubernatione Dei. „ „ Eccleſias (*inquit*) vel potius Templa, atque altaria Dei, minori reverentiæ quidam habent, quam cujuslibet minimi, ac municipalis judicis domum. Siquidem intra januas non modo illuſtrium poteſtatum, ſed etiam præſidum, aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præſumunt; niſi quos aut Judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipſa honoris proprii dignitas introire permiſerit; ita ut ſi quiſquam fuerit inſolenter ingreſſus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia, atque exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. In Templa autem, vel potius Altaria, atque in ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi, ac flagitioſi ſine ulla penitus reverentia ſacri honoris irrumpunt; non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, ſed quia, qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum; neque enim ejuſdem officii eſt, indulgentiam poſcere, & iracundiam provocare. Novum ſiquidem monſtri genus eſt; eadem pene omnes jugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui intrant eccleſiaſticam Domum, ut mala antiqua defleant, exeunt; & quid dico, exeunt? In ipſis pene hæc orationibus ſuis, ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt; & dum verbis præterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur; ac ſic oratio eorum auctrix eſt magis criminum, quam exoratrix; ut vera illa in eis Scripturæ maledictio compleatur; ut de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique ſi vult quiſpiam ſcire, quid in Templo hujuſmodi homines cogitaverunt, videat, quid

quid ſequatur ; ſiquidem conſummatis Solemnitatibus ſacris , ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt ; alii ſcilicet ut furentur , alii ut inebrientur , alii ut fornicentur ; ut evidenter appareat hoc eos eſſe meditatos , dum intra Templum ſunt , quod poſtquam egreſſi fuerint , exequuntur „„.

Maximum reverentiæ , pietatiſque ſenſum , dum in Templo verſamur , excitare debet hæc cogitatio ; quod locus , in quo ſtamus , terra ſancta eſt , regia Dei , ubi Angelorum illi adſiſtentium , & miniſtrantium frequentia , ubi non urna , & manna , & tabulæ lapideæ , & virga Aaron , ſed Chriſti Corpus , & Sanguis reipſa prælentia ſunt , & Spiritus ſanctus pro litera legis ; ubi peccata condonantur , gratiæ diſpenſantur , Dei verbum prædicatur , Chriſtus in ſacrificium offertur , Deus laudatur , & oratur , ceu in loco ad eum finem conſecrato. Legatur iſto de argumento *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia 1. de verbis Iſaiæ , *Vidi Dominum* , Homilia 74. in Matthæum , Homilia 36. in 1. Epiſtolam ad Corinth. & Homilia 25. in Epiſtolam ad Hebræos. De veneratione templi debita præclarus eſt *Stephani* ſexti Pontificis maximi Sermo apud *Anaſtaſium Bibliothecarium* in ejus vita. „„ Filiationem veſtram (*inquit*) commonemus , ut convenientes ad ſacratiſſimum Dei templum , id diligenter pertractare ſtudeatis , ad quod veniſtis. Si enim veraciter templum Dei eſſe creditis illud , ad quod convenitis , id procul dubio inibi operari debetis , quod ei placeat , cujus templum eſt , ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus ſit , in ſuo tamen templo ſpecialiter debet requiri , & quantum ipſe inſpirare dignatus fuerit , inibi quod ei placeat , debet expeti. Eſt igitur miſericors Deus , ita tamen ſuam miſericordiam unicuique diſponit impertiri , ut rogantibus eam tribuat , non ingratis , & tanto largiori illam tribuat unicuique pietate , quanto majoribus gemitibus , & ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus , ſicut ipſe dicit ; *Dimittuntur ei peccata multa , quia dilexit multum.* Eſt namque templum Dei

Stephani ſexti Pontific. max. Sermo de veneratione templi debita.

Luc. 7.

Iſai. 56. Marc. 11. Pſalm. 92.

locus orationis, ſicut ipſe alicubi dicit: *Domus mea domus orationis eſt cunctis gentibus.* Et Pſalmiſta: *Domum tuam decent Sancta, Domine.* Quippe ſi orationis domus eſt, id ibi oportet agere, quod vocatur, id eſt, orare, pſallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commiſſis culpis implorare. Eſt quippe ibi ſpecialiter reſpectus divinus. Aſſiſtunt ibi angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces noſtras ad aures perferunt Domini Sabaoth. Qua, rogo, fronte in ſacratiſſimo Dei templo aſſiſtit, qui inanibus fabulis, & otioſis verbis inſiſtit? Nam ſi de omni verbo otioſo in die judicii ratio eſt reddenda, de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conſpectu tantorum Sanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua, inquam, ſpe veniam conſequi de præteritis arbitraretur delictis, qui non ſolum peccata ſua negligit abluere, ſed potius contendit augere? Paveſcite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes, & ementes de templo. Remiſſius ſcilicet eſt, utiliter negotiari, quam inaniter, & otioſe confabulari. Cum convenitis ad locum orationis, cum ſilentio ſtate, intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis Sacerdotis vota ſuſcipiat, preces exaudiat, habentes præ oculis monentem

Marc. 11.

Dominum, & dicentem: *Cum ſtatis ad orationem, dimittite, ſi quid habetis adverſus alterum, ut & Pater veſter cœleſtis dimittat vobis peccata veſtra* „.

Extra Sacrarium, & Chorum, & extra cancellos Altaris orare debent Laici, præſertim mulieres.

VII. Extra ſacrarium, ſive chorum orare debent Laici, præſertim vero mulieres, & extra cancellos Altaris, dum Sacrum, aut divina officia celebrantur. Notus S. Joannis Chryſoſtomi circa hujus diſciplinæ obſervantiam zelus, qui Theodoſium Imperatorem intra ſacrarium conſiſtere paſſus non eſt; nota *Theodoſii* pietas, & obedientia. Canones antiquos ea de re editos referre minime opus eſt. Unum Concilii Rothomagenſis anno 1581. celebrati Decretum deſcribo, ex quo illud diſciplinæ caput negligendum non eſſe compertum eſt. „ Cum (*inquit*) nihil magis

ornet

ornet Eccleſiam, quam rerum omnium in ea ordo, Sacrarium, ſeu Chorus, Presbyteris ſacra facientibus ſemper fuit aſſignatus. Eo tamen progreditur quorumdam laicorum arrogantia, ut vix relinquant altare Sacerdotibus. Hos monemus in Domino, ut potius Publicanum imitentur in imo loco Templi pro peccatis ſupplicem, & per humilitatem juſtificatum, quam Phariſæum præ ſuperbia ad inferos uſque dejectum. Pro ſua vero dignitate, ſtatu, & gradu, locum ſibi unuſquiſque in Eccleſia capiat, ſed Sacrarium ad obeunda Sacra ſciat eſſe Sacerdotibus deſtinatum. Quiſquis in hac re Eccleſiam per ſuos miniſtros monentem & rogantem non audierit, per hanc Synodum excommunicetur „„.

Honeſto, modeſtoque corporis ſitu orandum.

VIII. Honeſto ſemper, ac modeſto corporis ſitu orandum eſt, & qui intenſiorem animi devotionem, ac humilitatem ſignificet. „„ Nam & orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; ſed hinc magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius. Et neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit. Verumtamen ſi eo modo quiſque teneatur, vel ligetur, ut hæc de ſuis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, & ante oculos Dei in ſecretiſſimo cubili, ubi compungitur, ſternitur „„. *Verba ſunt S. Auguſt. lib. De Cura gerenda pro mortuis*, cap. 5. *Itaque*: „„ Non eſt præſcriptum, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dum animus Deo præſens peragat intentionem ſuam. Nam & ſtantes oramus, ſicut ſcriptum eſt: *Publicanus autem de longinquo ſta-* Luc. 18.

tera dare, & conferre dignatus est, ut dum prece, & oratione, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Jam prædixerat horam venire, quando veri adoratores adorarent patrem in spiritu, & veritate, & implevit, quod ante promisit; ut qui Spiritum, & veritatem de ejus sanctificatione percepimus, de traditione quoque ejus vere & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio, quam quæ vere a Christo nobis data est, a quo nobis, & Spiritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa; quando ipse posuerit, & dixerit: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.* Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Amica, & familiaris oratio est Deum de suo rogare; ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater filii sui verba, cum precem facimus; qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris; quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat: Quia quodcunque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione „„? Verba sunt *S. Cypriani* in Tractatu de oratione Dominica. Matth. 15.

Oratio Dominica (inquit *S. August.* Enarratione in Psal. 142.) est *Regula postulandi a cœlesti jurisperito data.*

II. Brevitate sua commendatur, propter quam ab omni ætate & sexu, a rudibus, & imperitis, non minus, quam ingenio, & doctrina præstantibus viris memoriæ commendari facile potest. Catechumenis tradebatur post symbolum ex Ecclesiæ disciplina, & post octo dies a competentibus reddebatur, id est, recitabatur, ut ante Baptismi susceptionem nossent, non solum quid credere, sed quem, & quomo- Orationem dominicam ignorare nemini christiano licet.

modo invocare deberent, ut conſtat ex *S. Auguſt.* Sermonibus 56. 57. 58. & 59. poſtremæ editionis. Hanc orationem *Ignorare nulli Chriſtiano licet* (inquit Concilium Remenſe 2. ann. 813. celebratum, Canone 12.) Quamobrem Regum noſtrorum Capitularibus ſancitum eſt, lib. 5. cap. 161. ut „ „ Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum chriſtianum; & ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio, ſive in alia caſtigatione. *Et cap.* 170. Quod Presbyteris prævidendum ſit, ut omnes, qui chriſtiano nomine cenſentur, orationem Dominicam, & ſymbolum memoriter teneant, & intelligant „ „. Inter leges eccleſiaſticas in Anglia regnante *Edgaro* editas 22. ſtatuit: „ „ Ut quiſque diſcat *Pater noſter*, & *Credo*, prius quam in conſecrato ſepeliatur cœmeterio, vel idoneus cenſeatur Euchariſtiæ percipiendæ; propterea quod Chriſtiani non eſt dignus nomine, qui hæc noluerit ediſcere; nec in Baptiſmo alios valeat a ſacro Fonte levare, nec in Confirmatione a manibus Epiſcopi ſuſcipere, ſi hæc prius non calluerit „ „. Divinam iſtam orationem cœleſtis doctrinæ compendium *S. Cyprianus* vocat. „ „ Qualia autem ſunt (*inquit*) Orationis dominicæ Sacramenta quam multa, quam magna, breviter in ſermone collecta, ſed virtute ſpiritaliter copioſa; ut nihil omnino prætermiſſum ſit, quod non in precibus, atque orationibus noſtris cœleſtis doctrinæ comprehendatur „ „.

Oratio dominica cœleſtis doctrinæ compendium.

III. Itaque & plenitudine ſua cæteris orationibus antecellit dominica Oratio, quia nihil in illa prætermittitur eorum, quæ a Deo poſtulare fideles poſſunt, ac debent. Unde *S. Auguſt.* Serm. 56. alias *De Diverſis* 48. ait: „ Verba, quæ Dominus noſter Je„ ſus Chriſtus in oratione docuit, forma eſt deſide„ riorum. Non tibi licet petere aliud, quam quod „ ibi ſcriptum eſt „. Et lib. *De perfectione juſtitiæ*, cap. 8. Orationem iſtam complecti ait: *Omnes regulas ſancti deſiderii.* Et certe „ „ Quælibet alia verba di-

Orationis dominicæ plenitudo.

Omnes regulas ſancti deſiderii.

dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format, complectitur. ut clareat, vel conſequendo attendit, ut creſcat, nihil aliud dicimus, quam quod in iſta dominica oratione poſitum eſt, ſi recte, & congruenter oramus. Quiſquis autem id dicit, quod ad iſtam evangelicam precem pertinere non poſſit, etiam ſi non illicite orat, carnaliter orat; quod neſcio quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem Spiritu renatos nonniſi ſpiritualiter decet orare „ „. Qui enim dicit v. g. *Clarificare in omnibus gentibus, ſicut clarificatus es in nobis, & Prophetæ tui fideles invchiantur;* quid aliud dicit, quam *Sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit: *Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus;* quid aliud dicit, quam *Adveniat regnum tuum?* Qui dicit: *Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas;* quid aliud dicit, quam *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra?* Qui dicit: *Paupertatem, & divitias ne dederis mihi;* quid aliud dicit, quam: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?* Qui dicit *Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus,* Aut, *Domine, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala;* quid aliud dicit, quam *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Qui dicit: *Aufer a me concupiſcentias ventris, & deſiderium concubitus, ne apprehendat me;* quid aliud dicit, quam *Ne nos inferas in tentationem?* Qui dicit: *Eruc me ab inimicis, Deus, & ab inſurgentibus ſuper me libera me;* quid aliud dicit, quam *Libera nos a malo?* Et ſi „ „ per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo nihil invenies, quod in iſta Dominica non contineatur, & concludatur oratione. Unde liberum eſt aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere. Hæc & pro nobis, & pro noſtris, & pro alienis, atque pro ipſis inimicis ſine fluctu dubitationis oranda ſunt; quamvis alius pro iſto, alius pro illo, ſicut ſe habent propinquitates, vel longinquitates

Eccl. 36. Pſalm. 79. Pſal. 118. Prov. 34. Pſal. 131. Pſal. 7. Eccli. 23. Pſalm. 58.

ne-

neceſſitudinem, in corde orantis oriatur, aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, v. gr. Domine, multiplica divitias meas, aut da mihi tantas, quantas illi, vel illi dediſti, aut honores meos auge; fac me in hoc ſeculo præpotentem, atque clarentem, vel ſi quid hujuſmodi eſt, & hæc dicit eorum habens concupiſcentiam, non id attendens, ut ex his ſecundum Deum proſit hominibus; puto eum non invenire in oratione dominica, quo poſſit hæc vota coaptare „„. Verba ſunt *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. cap. 12.

Oratio dominica quotidiana fidelium medicina. Matth. 6.

IV. Oratio Dominica quotidiana eſt fidelium medicina, ut docent SS. Patres, & inter alios *S. Auguſt.* Ser. 17. alias 27. ex Homiliis 50. „„ Propter ipſa peccata humana, & tollerabilia (*inquit*) & tanto crebriora, quanto minora, conſtituit Deus in Eccleſia tempore miſericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: ut his verbis lota facie ad Altare accedamus, & his verbis lota facie Corpore Chriſti, & Sanguine communicemus „„. Et Serm. 181. alias 21. De Verbis Apoſtoli: „ Mortifera peccata (*inquit*) non facit bonæ „ fidei, & bonæ ſpei Chriſtianus, ſed illa ſola, quæ „ quotidiana orationis penicillo tergantur „.

Et Serm. 213. alias de Tempore 119. „„ Quoniam victuri ſumus in iſto ſeculo, ubi quis non vivit ſine peccato, ideo remiſſio peccatorum non eſt in ſola ablutione ſacri Baptiſmatis, ſed etiam in oratione dominica, & quotidiana. In illa invenietis quaſi quotidianum Baptiſmum veſtrum „„.

Et *Enchiridii* cap. 71. „„ De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: *Pater noſter, qui es in cœlis*, qui jam patri tali regenerati ſunt ex aqua, & Spiritu, delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. Delet & illa, a quibus vita fidelium etiam ſcelerate geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſce-

ſtedit, ſi quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra*, quoniam non deſunt, quæ dimittantur; ita veraciter dicatur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ſi fiat, quod dicitur „.

ARTICULUS II.

Quot petitiones oratio Dominica complectatur.

EX Fidei confeſſione, quæ breviter Symbolo continetur, naſcitur ſpes bona fidelium, cui charitas ſancta comitatur. Sed de iis omnibus, quæ fideliter ſunt credenda, ea tantum ad ſpem pertinent, quæ oratione Dominica continentur. *Maledictus* enim *omnis*, ſicut divina eloquia teſtantur, *qui ſpem ponit in homine*: quo maledicti vinculo & ille innectitur, qui ſpem ponit in ſeipſo. Ideo nonniſi a Domino Deo petere debemus, quidquid ſperamus, nos, vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. Comes autem fidei, & ſpei charitas adjungatur neceſſe eſt. Nam qui recte amat, proculdubio recte credit, & ſperat. „ Qui vero non amat, inaniter cre„ dit, etiamſi ſint vera, quæ credit; inaniter ſperat, „ etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, „ quæ ſperat; niſi & hoc credat, ac ſperet, quod „ ſibi petenti donari poſſit, ut amet „. Quamvis enim ſperare ſine amore non poſſit, fieri tamen poteſt, ut id non amet, ſine quo ad id, quod ſperat, non poteſt pervenire. Tanquam ſi ſperet vitam æternam (quam quis non amat?) & non amet juſtitiam, ſine qua nemo ad illam pervenit. „ „ Ipſa eſt autem fides Chriſti, quam commendat Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur, & quod ſi dilectionem nondum habet, petit, ut accipiat, quærit, ut inveniat, pulſat, ut aperiatur ei. Fides namque impetrat, quod lex imperat. *Porro* Fides, ſpes, & charitas ad Deum perducunt orantem, hoc eſt, credentem, ſperantem, deſiderantem, & quæ petat a Domino in Dominica oratione conſiderantem „.

Jerem. 17.

S. Auguſt. Enchirid. cap. 114.

S. Auguſt. Epiſt. 130.

Se-

Matth. 6. Septem petitiones a fide, ſpe, & charitate formatas oratio dominica complectitur.

Septem Petitiones ab his tribus virtutibus formatas Dominica continet Oratio apud S. Matth. Evangeliſtam. „ Quarum tribus æterna poſcuntur, reliquis „ quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna „ conſequenda ſunt neceſſaria. „ Nam quod dicimus: *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra* (quod non „ abſurde quidam intellexerunt ſpiritu, & corpore) „ omnino ſine fine retinenda ſunt; & hic inchoata, quan„ tumcunque proficimus, augentur in nobis, perfe„ cta vero, quod in alia vita ſperandum eſt, ſemper „ poſſidebuntur. „ Quod vero dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo,* „ quis non videat ad præſentis vitæ indigentiam per„ tinere? In illa itaque vita æterna, ubi nos ſem„ per ſperamus futuros, & nominis Dei ſancti„ ficatio, & regnum ejus, & voluntas ejus in no„ ſtro ſpiritu, & corpore perfecte, atque immortali„ ter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo di„ ctus eſt, quia hic eſt neceſſarius, quatenus animæ, „ carnique tribuendus eſt, ſive ſpiritualiter, ſive car„ naliter, ſive utroque intelligatur modo. Hic eſt „ etiam quam poſcimus remiſſio, ubi eſt commiſſio „ peccatorum; hic tentationes, quæ nos ad peccan„ dum vel alliciunt, vel impellunt; hic denique ma„ lum, unde cupimus liberari, illic autem nihil iſto„ rum eſt. Evangeliſta vero S. Lucas in oratione Do„ minica petitiones non ſeptem, ſed quinque com„ plexus eſt; nec ab iſto utique diſcrepavit, ſed quo„ modo iſtæ ſeptem ſint intelligendæ, ipſa ſua brevi„ tate commonuit. Nomen quippe Dei ſanctificatur „ in ſpiritu, Dei autem regnum in carnis reſurrectio„ ne venturum eſt. Oſtendens ergo Lucas tertiam „ petitionem duarum ſuperiorum eſſe quodammodo „ repetitionem, magis eam prætermittendo facit in„ telligi. Deinde tres alias adjungit, de pane quoti„ diano, de remiſſione peccatorum, de tentatione

vi-

„ vitanda. At vero quod ille in ultimo poſuit, *Sed „ libera nos a malo*; iſta non poſuit, ut intelligere„ mus ad illud ſuperius, quod de tentatione dictum „ eſt, pertinere. Ideo quippe ait: *Sed libera*, non ait, „ *Et libera*, tanquam unam petitionem demonſtrans; „ ut ſciat unuſquiſque in eo ſe liberari a malo, quod „ non infertur in tentationem. Sic utrumque Evan„ geliſtam conciliat *S. Auguſt.* in *Enchiridio*, cap. 115. „ & 116.

Et lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 10. Septem petitionum diſtinctionem ita rurſus explicat: Septem petitionum explicatus diſtinctio.

„ Cum vita noſtra temporaliter nunc agatur, atque ſperetur æterna, & cum æterna priora ſint dignitate, quamvis temporalibus prius actis ad illa tranſeatur, trium primarum petitionum impetrationes, quamquam in hac vita, quæ in iſto ſeculo agitur, exordium capiant: (Nam & ſanctificatio nominis Dei ab ipſo humilitatis Domini adventu agi coepit; & adventus regni ejus, quo in claritate venturus eſt, non jam finito ſeculo, ſed in fine ſeculi manifeſtabitur; & protectio voluntatis ejus, ſicut in coelo, & in terra, ſive juſtos, & peccatores coelum, & terram intelligas, ſive ſpiritum, & carnem, ſive Dominum, & Eccleſiam, ſive omnia ſimul, ipſa perfectione noſtræ beatitudinis, & ideo ſeculi terminatione complebitur.) Tamen omnia tria in æternum manebunt. Nam & ſanctificatio nominis Dei ſempiterna erit, & regni ejus nullus eſt finis, & perfectæ noſtræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo iſta tria conſummata, atque cumulata in illa vita, quæ nobis promittitur „.

„ Reliqua vero quatuor, quæ petitius, ad temporalem iſtam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Hoc ipſo enim quod dictus eſt quotidianus panis, ſive ſpiritualis ſignificetur ſive in Sacramento, aut victu iſto viſibili, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit hodie; non quia ſpiritalis cibus non eſt ſempiternus, ſed quia iſte, qui quotidianus dictus eſt

in Scripturis, ſive in ſtrepitu ſermonis; ſive quibuſque temporalibus ſignis exhibetur animæ; quæ omnia tunc utique non erunt, cum omnes erunt docibiles Deo, & ipſam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum ſignificantes, ſed puritate mentis haurientes.... Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, quæ harum quatuor reliquarum ſecunda petitio eſt; tunc autem nulla erit venia peccatorum; quia nulla peccata. Et tentationes temporalem iſtam vitam infeſtant; non autem erunt, cum perfectum erit, quod dictum eſt: *Abſcondes eos in abſcondito vultus tui.* Et malum, a quo liberari optamus, & ipſa liberatio a malo ad hanc utique vitam pertinet, quam ex juſtitia Dei mortalem meruimus, & unde ipſius miſericordia liberamur „ „.

Pſalm. 30.

Septenarius ille petitionum numerus beatitudinibus Evangelicis, & ſeptem donis Spiritus S. reſpondet. „ „ Si enim timor Dei eſt, quo beati ſunt pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; petamus, ut ſanctificetur in hominibus nomen Dei, timore caſto permanente in ſecula ſeculorum. Si pietas eſt, qua beati ſunt mites, quoniam ipſi hereditate poſſidebunt terram; petamus, ut veniat regnum ejus, ſive in nos ipſos, ut miteſcamus, nec ei reſiſtamus, ſive de cœlo in terras in claritate adventus Domini, quo nos gaudebimus, & laudabimur, dicente illo: *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. In Domino enim* (inquit Propheta) *laudabitur anima mea; audiant mites, & jucundentur.* Si ſcientia eſt, qua beati ſunt, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, oremus, ut fiat voluntas ejus ſicut in cœlo, & in terra; quia cum corpus tanquam terra, ſpiritui tanquam cœlo, ſumma, & tota pace conſenſerit, non lugebimus; nam nullus alius hujus temporis luctus eſt, niſi cum adverſum ſe iſta confligunt, & cogunt nos dicere: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* & luctum notum lacrymoſa voce teſtari: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis*

Matth. 5. Septem orationis Dominicæ petitiones beatitudinibus evangelicis, & Spiritus ſancti donis reſpondent.

Matth. 25. Pſal. 33.

Rom. 7.

tis hujus? Si fortitudo eſt, qua beati ſunt, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, oremus. ut panis noſter quotidianus detur nobis hodie, quo fulti, atque ſuſtentati, ad pleniſſimam illam ſaturitatem venire poſſimus. Si conſilium eſt, quo beati ſunt miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur, dimittamus debita debitoribus noſtris, & oremus, ut nobis noſtra dimittantur. Si intellectus eſt, quo beati ſunt mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo ſimplex bonum, quo referamus omnia, quæ operamur, ſed ſimul temporalia, & terrena ſectando. Tentationes enim de his rebus, quæ graves, & calamitoſæ videntur hominibus, non in nos valent; ſi non valeant illæ, quæ blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas, & lætandas putant. Si ſapientia eſt, qua beati ſunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, oremus, ut liberemur a malo; ipſa etiam liberatio liberos nos facit, id eſt, filios Dei; ut Spiritu adoptionis clamemus: *Abba, Pater*. Hæc *S. Auguſt. lib. 2. De Serm. Domini in monte*, cap. 11. Rom. 8.

ARTICULUS III.

Orationis Dominicæ proœmium explicatur: Pater noſter, qui es in cœlis.

Cum in omni deprecatione benevolentia conciliianda ſit ejus, quem deprecamur, deinde dicendum, quid deprecemur; laude illius, ad quem oratio dirigitur, ſolet benevolentia conciliari; & hoc in orationis principio poni ſolet; in quo Dominus noſter nihil aliud nos dicere juſſit, niſi *Pater noſter, qui es in cœlis.* Cum enim multa in Scripturis ſanctis dicta ſint in laudem Dei; nuſquam tamen invenitur præceptum populo Iſrael, ut diceret: *Pater noſter*, aut ut oraret *Patrem Deum*, ſed Dominus eis inſinuatus eſt, *tanquam ſervientibus, id eſt, ſecundum carnem adhuc vivensibus.* Hoc autem dico, cum man- S. Auguſt. lib. 2. de

rum, ſed gratiæ Dei; eamdem ipſam gratiam in orationis principio commemoramus, cum dicitur: *Pater noſter.* „ Quo nomine & charitas excitatur „ quid enim charius filiis debet eſſe quam Pater? & „ ſupplex affectus, cum homines dicunt Deo *Pater* „ *noſter*, & quædam impetrandi præſumptio, quæ petituri ſumus; cum priuſquam aliquid peteremus, „ tam magnum donum accepimus. ut ſinamur dicere, *Pater noſter*, Deo. Quid enim jam non det filiis „ petentibus, cum hoc ipſum ante dederit. ut filii eſſent? Poſtremo quanta cura animum tangit, ut „ qui dicit, *Pater noſter*, tanto Patre non ſit indignus? Si enim quiſquam plebejus ſenatorem grandioris ætatis ab eo ipſo patrem vocare permittatur, „ ſine dubio trepidabit, nec facile audebit, cogitans „ humilitatem generis ſui, & opum indigentiam, & „ plebejæ perſonæ vilitatem; quanto ergo magis trepidandum eſt appellare Patrem Deum, ſi tanta eſt labes, tantæque ſordes in moribus, ut multo juſtius „ eas a ſua conjunctione Deus expellat, quam ille ſenator cujuſvis mendici egeſtatem? Quandoquidem „ ille hoc contemnit in mendico, quo & ipſe poteſt rerum humanarum fragilitate devenire; Deus „ autem in ſordidos mores nunquam cadit. Et gratias miſericordiæ ipſius, qui hoc a nobis exigit, ut „ Pater noſter ſit, quod nullo ſumptu, ſed ſola bona „ voluntate comparari poteſt „. Verba ſunt *S. Auguſt.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 4.

cùm Deum Patrem noſtrum appellamus.

Sed & *S. Cyprianus* longe ante docuerat, Dominicam orationem ad Chriſtianos ſolos pertinere. „ „ Homo novus (*inquit*) renatus, & Deo ſuo per ejus gratiam reſtitutus, primo in loco dicit: *Pater noſter, qui es in cœlis*, quia filius *eſſe jam cœpit. In ſua* (inquit) *propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis poteſtatem, ut filii Dei fierent, his, qui credunt in nomine ejus.* Qui ergo credidit in nomine ejus, & factus eſt Dei filius, hinc debet incipere, ut & gratias agat, & profiteatur ſe Dei filium, dum nominat Patrem ſibi eſſe in cœ-

Dominica oratio ad ſolos Chriſtianos pertinet.

Joan. 1.

Tract. De Orat. Domin.

cœlis Deum; conteſtetur quoque inter prima ſtatim nativitatis ſuæ verba renuntiaſſe ſe terreno, & carnali patri, & Patrem ſolum noſſe ſe, & habere cœpiſſe, qui ſit in cœlis, ſicut ſcriptum eſt: *Qui dicunt patri, & matri: Non novi te, & filios ſuos non agnoverunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſervaverunt.* Item Dominus in Evangelio ſuo præcepit, ne vocemus nobis Patrem in terra, quod ſit ſcilicet nobis *Unus Pater, qui eſt in cœlis.* Et diſcipulo, qui mentionem defuncti patris fecerat, reſpondit: *Sine, mortui mortuos ſuos ſepeliant.* Dixerat enim patrem ſuum mortuum, cum ſit credentium Pater unus. Dicimus, *Pater noſter*, id eſt, eorum, qui credunt; eorum, qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritalis nativitate reparati, filii Dei eſſe cœperunt. Quæ vox Judæos etiam perſtringit, & percutit, qui Chriſtum ſibi per Prophetas annuntiatum, & ad ſe prius miſſum, non tantum infideliter ſpreverunt, ſed & crudeliter necaverunt. Qui jam non poſſunt Patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat, & redarguat dicens: *Vos de diabolo patre nati eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis, &c.* Et per Iſaiam Prophetam Deus clamat indignans: *Filios generavi, & exaltavi, ipſi autem me ſpreverunt, &c. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis; Semen nequam, filii ſceleſti.* In quorum exprobrationem, Chriſtiani quando oramus, *Pater noſter*, dicimus; quia noſter eſſe cœpit, & Judæorum, qui eum reliquerunt, eſſe deſiit; nec peccator populus poteſt eſſe filius, ſed quibus remiſſio peccatorum datur, eis filiorum nomen adſcribitur, eis & æternitas repromittitur, Domino ipſo dicente: *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus, & bonitatis ubertas; qui ſic nos voluerit orationem celebrare in conſpectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, & ut eſt Chriſtus Dei Filius, ſic & nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo noſtrum in oratione aude-

Deut. 33. 9.

Matth. 23.

Luc. 9. 60.

Joan. 8. 44.

Iſai. 1.

Joan. 8. 44.

auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare. Meminiſſe itaque, fratres dilectiſſimi, & ſcire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis. Converſemur quaſi Dei templa, ut Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter a ſpiritu, ut qui cœleſtes, & ſpiritales eſſe cœpimus, nonniſi ſpiritalia, & cœleſtia cogitemus, & agamus. Hæc S. Cyprian.

Paterno Dei in nos amori grato animo reddamus mutui amoris vicem. Noſtri nulquam obliviſcitur Deus. *Nunquid* (inquit) *obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Nec nos igitur Dei capiat unquam oblivio. Nulla hominum injuria Dei in homines amor exhauritur; neque *Continet in ira ſua miſericordias ſuas*; ſed *cum iratus fuerit, miſericordiæ recordatur.* Ea nos ratio vehementer excitare debet ad amorem Dei ceu optimi, ac beneficentiſſimi Patris, ad ejus miſericordiam quærendam, & amplectendam, cavendumque, ne redundantiam bonitatis ejus novis injuriis offendamus. Patrem ſe probat amantiſſimum, ſive cum nos proſperis rebus conſolatur, ſive cum adverſis exercet. Percutiendo ſanat, vulnerando medetur; hic urit, hic ſecat, ut nos ab interitu ſempiterno redimat. Viſitat *in virga iniquitates* noſtras, *& in verberibus peccata* noſtra: *Miſericordiam* tamen ſuam a nobis non aufert. In utroque igitur ſtatu filios Dei nos exhibere, & probare debemus, eique humiliter adhærere, & fideliter obſequi, ut nec tribulatio, nec anguſtia, nec egeſtas, nec perſecutio, nec divitiæ, nec honores, nec deliciæ ab ejus charitate nos ſeparent. Res proſperas, ut ſolatia itineris noſtri a Patre immiſſa; calamitates, ut diſciplinam, quam amantiſſimus Pater ad emendationem noſtram adhibet, ab illo ſuſcipiamus. In adverſis rebus divinam illam ſententiam uſurpemus: *Caſtigaſti me,*

Paterno Dei in nos amori grati animi vicem reddere debemus. Iſai. 49. Pſal. 76. Pſalm. 88. Jerem. 31.

me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus; convertе me, & convertar; quia tu Dominus Deus meus. Sancti viri *Tobiæ* ſectemur exemplum, qui cum in illa plaga cæcitatis paternam Dei manum cædentem
Tob. 11. ſenſiſſet, exclamavit: *Benedico te, Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me; & tu ſalvaſti me.* Vox illa
Apoc. 3. Heb. 12. Patris noſtri, qui in cœlis eſt, nos conſoletur: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo.* In illa Apoſtoli cohortatione conquieſcamus: *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filii eſtis. Deinde patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos; num multo magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos; hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus.*

III. Deum non modo Patrem appellamus orantes, ſed noſtrum. Non dicimus, *Pater meus*, ſed, Pater noſter. Quamquam enim alias Deo ſupplicare poſſit Chriſtianus dicendo, *Pater meus*; non minus, quam dicendo: *Deus Deus meus*; quia ſingulorum non minus, quam omnium Pater eſt; nefas tamen eſt orationis Dominicæ formulam immutare, ſive interpolare, in eaque non aliter dicendum, quam *Pater noſter*, quia his verbis orare Chriſtus nos docuit.
Deo gratior oratio, quam fraterna charitas commendat. Ideo autem docuit cœleſtis præceptor, ut noſtrum vocaremus, quia Deo gratior eſt oratio, quam fraterna charitas commendat, & quam non pro ſe uno Chriſtianus fundit, ſed pro toto Eccleſiæ corpore, cujus ipſe membrum eſt. „„ Ante omnia pacis Doctor, atque unitatis magiſter ſingulatim noluit, & privatim precem fieri, ut quis, cum precatur, pro ſe tantum precetur. Non enim dicimus, Pater meus qui es in cœlis; nec, Panem meum da mihi hodie;

nec

nec dimitti ſibi tantum unuſquiſque debitum poſtulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro ſe ſolo rogat. Publica eſt nobis, & communis oratio; & quando oramus, non pro uno, ſed pro toto populo oramus; quia totus populus unum ſumus. Deus pacis, & concordiæ magiſter, qui docuit unitatem, ſic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipſe portavit „„ (*Verba ſunt S. Cypriani,*)

IV. Hæc verba Dominicæ orationis aptiſſima ſunt ad confirmandos in chriſtiana pietate, & excitandos inopum & abjectorum hominum animos, nec non ad coercendam atque deprimendam divitum, ac potentium arrogantiam. His enim verbis, *Pater noſter*, docemur unum eſſe Deum, & Patrem, & Dominum omnium, divitem in omnes, qui invocant illum, apud quem non eſt acceptio perſonarum; unam eſſe Chriſtianorum omnium ex ſpirituali regeneratione nobilitatem, unum ſplendorem generis, parem dignitatem; cum omnes ex eodem Spiritu, ex eodem fidei Sacramento nati ſimus filii Dei, ejuſdemque regni cœleſtis cohæredes, Fratres ſumus omnes: *Membra ſumus Corporis Chriſti, de carne ejus, & de oſſibus ejus* (inquit Apoſtolus) *Omnes enim*, ait, *filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Unus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt* (inquit Chriſtus.) *Omnes autem vos fratres eſtis.* Fratres ſunt omnes homines jure naturæ matris unius; „„ At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis „„? (*inquit Tertullianus*, cap. 38. *Apologetici*,) Fraternæ itaque neceſſitudinis iſtius memores chriſtiani, fraterne, comiter ſe gerant invicem, nec ſe alii ſuper alios efferant inſolentius. His enim ſalu-

Omnes Chriſtiani ſunt fratres.

Epheſ. 5. Galat. 3.

Matth. 23.

ſalutaris orationis verbis: *Pater noſter*, quæ proferunt: „„ Admonentur etiam divites, vel genere nobiles ſecundum ſeculum, cum Chriſtiani facti fuerint, non ſuperbire adverſus pauperes, & ignobiles; quoniam ſimul dicunt Deo: *Pater noſter*; quod non poſſunt vere, ac pie dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant „„ (*Verba ſunt S. Auguſtini*, libro 2. *De Sermone Domini in monte.*)

Ad Deum oraturi adire debemus tanquam filii ad patrem.

V. His etiam verbis, quibus Dominica inchoatur oratio, admonemur, nos ad Deum oraturos adire debere tanquam filios ad Patrem, ſumma cum reverentia, pietate, & fiducia; non in timore ſervili, ſed in dilectione. Danda nobis eſt opera, ut tales nos præbeamus, quales eſſe decet Dei filios; id eſt, ut orationes, & actiones noſtræ non indignæ ſint divino genere, quo nos nobilitare dignatus eſt beneficentiſſimus Deus. *Dei enim & genus ſumus.* Quamobrem implere debemus, ad quod nos Apoſtolus hortatur, officium: *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi.* Vere namque, ac pie dicere Deo non poteſt, *Pater noſter*, qui Dei inimicus eſt, qui in affectu peccati perſeverat; ille Deum non orat, ſed potius Deo inſultat. Neceſſe eſt, ut qui Patrem appellat Deum, filius Dei ſit, ſin minus perfecta reconciliatione, & remiſſione peccatorum, bona ſaltem voluntate, odio, & deteſtatione peccati, ſpe veniæ, ſancto deſiderio, amore inchoato; quemadmodum filius prodigus *in ſe reverſus*, dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Utatur ergo voce novi Teſtamenti populus novus, ad æternam hereditatem vocatus, & dicat: *Pater noſter, qui es in cœlis,*

Act. 17.

Ephes. 5.

Luc. 15.

Deum, quem invocamus, ubique præſentem eſſe credimus.

VI. Deum, quem invocamus, ſpatio locorum non contineri, ſed ubique præſentem eſſe credimus. Ipſum intelligimus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia Creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem; ſine loco ubique totum (ut loquitur *S. Auguſt.* lib. 5. *De Trinitate*, cap. 1.) Illi tamen, dicimus; *Pater noſter, qui es*

in

in cœlis; tum quia in cœlis magnificentiam gloriæ ſuæ maxime oſtendit; tum quia ibi præſertim regnat in Sanctis ſuis. Sic explicat *S. Auguſt.* Epiſtola 120. alias 222. „ „ Deo dicimus: *Pater noſter, qui es in cœlis*; non quia ibi eſt, & hic non eſt, qui præſentia incorporea ubique eſt totus; ſed quia in eis habitare dicitur, quorum pietati adeſt, & hi maxime in cœlis ſunt; ubi etiam noſtra converſatio eſt, ſi os noſtrum veraciter ſurſum cor habere reſpondeat „ „. Sane quemadmodum terra appellatus eſt peccator, cum ei dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis*; ſic cœlum juſtus e contrario dici poteſt. Juſtis enim dicitur: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quapropter ſi in templo ſuo habitat Deus, & Sancti templum ejus ſunt; recte dicitur: *Qui es in cœlis*, id eſt, *in Sanctis, & juſtis*, ut explicat *S. Auguſt.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 5. „ „ Et accommodatiſſima iſta ſimilitudo eſt, ut ſpiritaliter tantum intereſſe videatur inter juſtos, & peccatores, quantum corporaliter inter cœlum, & terram. Cujus rei ſignificandæ gratia, cum ad orationem ſtamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit; non tanquam ibi habitet & Deus, quaſi cæteras mundi partes deſerperit, qui ubique præſens eſt, non locorum ſpatiis; ſed Majeſtatis potentia; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, id eſt, ad Deum, cum ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus cœleſte convertitur. Convenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, ut omnium ſenſibus & parvulorum, & magnorum bene ſentiatur de Deo. Et ideo qui viſibilibus adhuc pulchritudinibus dediti ſunt, nec poſſunt aliquid incorporeum cogitare; quoniam neceſſe eſt cœlum præferant terræ; tolerabilior eſt opinio eorum, ſi Deum, quem adhuc corporaliter cogitant, in cœlo potius credant eſſe, quam in terra; ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ cœleſte etiam corpus excedere, magis eum quærant in anima, quam in

Geneſ. 3.

1. Cor. 3.

cor-

corpore etiam cœleſti ; & cum cognoverint quantum diſtet inter peccatorum animas , & juſtorum, ſicut non audebant, cum adhuc carnaliter ſaperent, eum in terra collocare, ſed in cœlo; ſic poſtea meliori fide , vel intelligentia magis Eum in animis juſtorum, quam in peccatorum requirant. Recte ergo intelligitur , quod dictum eſt : *Pater noſter, qui es in cælis* , in cordibus juſtorum eſſe dictum tanquam in templo ſancto ſuo. Simul etiam , ut qui orat, in ſe quoque ipſo velit habitare, quem invocat; & cum affectat , teneat juſtitiam , quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus „„.

Vide, quæ lib. I. hujus operis diximus , ad primum Symboli apoſtolici articulum, de divinis perfectionibus , atque inter alias de illius immenſitate agentes, & cum Deum ubique præſentem , & non ſpatiis diſtantibus, quaſi aliqua mole, vel diſtenſione diffuſum, ſed ubique totum cogitas, averte mentem ab omnibus imaginibus corporum, quas humana cogitatio volvere conſuevit. Non enim ſic ſapientia, non juſtitia, non ſic denique charitas cogitatur, de qua ſcriptum eſt, *Deus charitas eſt.* Cum vero habitationem ejus cogitas: „„ Unitatem cogita , congregationemque Sanctorum, maxime in cœlis; ubi propter ea præcipue dicitur habitare, quia ibi fit voluntas ejus, perfecta eorum, in quibus habitat, obedientia; deinde in terra , ubi ædificans habitat domum ſuam, in fine ſeculi dedicandam „„.

ARTICULUS IV.

Orationis Dominicæ petitio prima explicatur :
Sanctificetur nomen tuum.

Quid ſit nominis divini, quam petamus, ſanctificatio.

I. Nomen Dei dicitur, non hoc ſolum, *Deus*, quo eum appellamus, ſed hominum de illius divina Majeſtate , & perfectionibus adorandis exiſtimatio, & quidquid ad illud quovis modo pertinet, quod tunc ab hominibus ſanctificari dicitur , cum ab illis timetur, amatur, colitur, cum ejus gloria apud ho-

homines augetur, cum bonitas, ſanctitas, majeſtas celebratur. Sanctificare ſcilicet, Scripturæ ſacræ phraſi, idem eſt, ac celebrare, ut Ezech. cap. 44. *Sabbata mea ſanctificabunt.* Et Joelis 1. *Sanctificate jejunium.* Paterni ergo honoris, tanquam boni filii, curam gerentes, in primis petimus, ut Deus, qui ſemper ſanctus eſt, apud omnes homines ſanctus habeatur, id eſt, non contemnatur, ſed ab omnibus, & ſingulis cognoſcatur, & colatur fide, ſpe, charitate; ab omnibus verbo, & opere laudetur, & celebretur; quod non Deo, ſed hominibus prodeſt. Ita primam illam petitionem *S. Auguſt.* explicat lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 5. „ „ Primum omnium quæ petuntur (*inquit*) hoc eſt *Sanctificetur nomen tuum.* Quod non ſic petitur, quaſi non ſit ſanctum nomen Dei, ſed ut ſanctum habeatur ab hominibus; ideſt, ita illis innoteſcat Deus, ut non exiſtiment aliquid ſanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum eſt: *Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomen ejus*; ſic intelligendum eſt, quaſi alibi minor ſit Deus, alibi major; ſed ibi magnum eſt nomen ejus, ubi pro ſuæ majeſtatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur ſanctum nomen ejus, ubi cum veneratione, & offenſionis timore nominatur. Et hoc eſt, quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc uſque per diverſas gentes innoteſcendo, commendat unius Dei nomen per adminiſtrationem filii ejus „ „. Petimus, ut ad cœleſtium civium imitationem homines univerſi Deum in terra colant, diligant, laudent, & celebrent. Verba enim illa, quæ tertiæ petitioni adjuncta ſunt, *Sicut in cœlo, & in terra*, ad quamlibet primarum trium petitionum referri poſſe docet Concilii Tridentini Catechiſmus, ut ſic intelligamus: *Sanctificetur nomen tuum, ſicut in cœlo, & in terra. Adveniat regnum tuum ſicut in cœlo, & in terra. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.*

II. Petimus, ut Infideles divino lumine illuſtrati verum Deum agnoſcant, & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti veram ſanctitatem per Baptiſmum

ſmum conſequantur. Nihil magis in votis habuerunt; nihil ferventius deſideraruntSancti omnes, quotquot ab origine mundi in terris vixerunt, quam ut divini nominis gloria apud omnes gentes inclaresceret, ac ubique, ut par erat, coleretur. In hanc ſententiam orabat Sirácides Eccleſiaſtici 36. *Immitte timorem tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te, ut cognoſcant, quia non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua. Alleva manum tuam ſuper Gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis, ut cognoſcant te, ſicut & nos cognovimus, quoniam non eſt Deus præter te, Domine.* Sic orantes, Chriſti doctrinam & exemplum ſectamur, qui nihil ardentioribus votis optavit, quam ut paterni gloria
1. 17. nominis propagaretur, ac celebraretur. *Hæc eſt* (inquit) *vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificavi ſuper terram: Opus conſummavi, quod dediſti mihi.... Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.... Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.... Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.*

III. Petimus inſuper his verbis, *Sanctificetur nomen tuum*, ut omnes hæreſes deſtruantur, & eradicentur, ut omnes agnoſcant, & venerentur ſanctiſſimam Chriſti Sponſam, & matrem noſtram catholicam, apoſtolicam, & romanam Eccleſiam, extra cujus unitatem, & communionem nemini datur Spiritus ſanctus totius ſanctificationis auctor. Petimus, ut magicæ artes, incantationes, ſortilegia, ſuperſtitiones omnes, quibus divini nominis imminuitur, & violatur honor,
or. 2. penitus aboleantur; ut Evangelii miniſtri in *ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei* converſentur in hoc mundo;
1. 2. 2. nec *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis* Evangelium prædicent, *ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, ut non evacuetur Crux Chriſti.* Ut paſtores, & prædicatores divini verbi non quærant, *quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti.*

IV.

IV. Oramus etiam his verbis, ut qui puram Baptiſmi integritatem, & innocentiæ ſtolam amiſerunt, ac mortalibus peccatis contaminati ſunt, ad Deum ſincere convertantur, & priſtinam ſanctitatem pœnitentiæ Sacramento redimant. Conc. Tr. Cathec. 1

V. Precamur iiſdem verbis, ut omnes homines agnoſcant, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſſe, deſcendens a patre luminum.* Virtutem omnem, omnia animi, corporis, externa, vitalia, & ſalutaria bona illi accepta referri debere, a quo bona cuncta procedunt; ut intelligamus ſemper nihil boni in nobis eſſe ex nobis, ſed totum ex Dei gratia, & munere; ut omnia, quæcunque facimus, *In nomine Domini*, & ad ejus gloriam faciamus, dicentes cum Propheta: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Jacobi 1. Pſalm. 113.

VI. Poſtulamus rurſus, & nos ipſos his verbis admonemus, *Sanctificetur nomen tuum*, ut non ſolum verbis, ſed etiam caſtis, & inculpatis moribus, Dei, quem colimus, & religionis, quam profitemur, ſanctitatem comprobemus, & demonſtremus, ne culpa noſtra nomen Dei blaſphemetur inter Gentes, ſed morum integritate, & virtutum operibus nomine, quod gerimus, filiorum Dei omnino dignis, omnes homines ad laudem divini nominis excitemus, ſecundum illud Chriſti Domini præceptum: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Cui congruit monitum illud Principis Apoſtolorum: *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam; ut ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* Matth. 5. 1. Petri 2.

VII. Quia denique Deus dixit: *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum;* hac prima dominicæ Orationis petitione: „ „ Id petimus, & rogamus, ut qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, ut quia quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione Levit. 1. Prima Dominicæ orationis petitione donum perſeverantiæ a Deo poſtulamus.

ne aſſidua repurgemus. Quæ autem ſit ſanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apoſtolus prædicat, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores, regnum Dei conſequentur. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Hæc ſanctificatio, ut in nobis permaneat oramus; & quia Dominus, & Judex noſter ſanato a ſe, & juſtificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus, ac noctibus poſtulamus, ut ſanctificatio, & vivificatio, quæ Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſervetur „„. Verba ſunt *S. Cypriani*, Tract. *De Oratione dominica.* Ex quo loco *S. Auguſt.* lib. *De Correptione, & Gratia*, cap. 6. probat perſeverantiam eſſe donum Dei. „„ Ecce (*inquit*) glorioſiſſimus Martyr hoc ſentit, quod in his verbis quotidie fideles Chriſti petunt, ut perſeverent in eo, quod eſſe cœperunt. Nullo autem dubitante, quiſquis a Domino, ut in bono perſeveret, precatur, donum ejus eſſe talem perſeverantiam confitetur. *Et lib. De dono perſeverantiæ, cap.* 3. In ſanctificatione igitur perſeverantiam, hoc eſt, ut in ſanctificatione perſeveremus, nos ab eo petere iſte Doctor intelligit, cum ſanctificati dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Quid eſt enim aliud petere, quod accepimus, niſi ut id quoque nobis præſtetur, ne habere deſinamus? Sicut ergo ſanctus, cum Deum rogat, ut ſanctus ſit, id utique rogat, ut ſanctus eſſe permaneat, ita utique & caſtus, cum rogat, ut caſtus ſit; continens, ut continens ſit, juſtus, ut juſtus, pius, ut pius. & cætera, quæ contra Pelagianos dona Dei eſſe defendimus, hoc ſine dubio petunt, ut in eis perſeverent bonis, quæ ſe accepiſſe noverunt. Quod ſi accipiunt, profecto & ipſam perſeverantiam, magnum Dei donum, quo cætera dona ejus conſervantur, accipiunt „„.

1. Cor. 6.

A R-

ARTICULUS V.

Orationis Dominicæ petitio altera explicatur:
Adveniat regnum tuum.

Hominum ad regnum Dei directio, Evangelii ſcopus.

I. Unus Evangelii ſcopus eſt, ut ad regnum Dei nos dirigat, ut obſervat Concilii Tridentini Catechiſmus; nam & inde S. Joannes Baptiſta miniſterium ſuum, & Chriſtus prædicationem ſuam exorſus eſt. *Pœnitentiam agite* (inquit S. Præcurſor) *appropinquavit enim regnum cœlorum... Exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ita admirabilem illum ſermonem in monte inchoavit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quin etiam turbis ipſum requirentibus, & detinentibus, ne diſcederet ab eis, ait: *Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo miſſus ſum.* Et duodecim Apoſtolos ad prædicandum Evangelium mittens: *Euntes* (inquit) *prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.* Et homini, qui ſe ad ſepeliendum patrem ſuum ire velle dixerat, ait: *Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Poſt reſurrectionem denique ſuam per dies quadraginta multoties conſpicuum ſe præbuit Apoſtolis, *Loquens de regno Dei.* Id ut ſummo ſtudio quæramus, Chriſtus jubet: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus* (inquit) *& hæc omnia adjicientur vobis.* Quod autem ardentiſſimis ſtudiis præ cæteris omnibus rebus optare, & quærere jubemur, id oratione Dominica petimus, dicentes: *Adveniat regnum tuum.*

Luc. 4. Matth. 10. Lucæ 9. Act. 1. Matth. 6.

Multiplex regni Dei ſignificatio.

II. Multiplex eſt regni Dei in Scripturis ſacris ſignificatio; dicitur enim regnum Dei poteſtas ejus, & imperium in omne hominum genus, rerumque creatarum univerſitatem; necnon providentia, qua cuncta moderatur, & regit. De quibus *Eſther* 13. dicitur: *Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Dominus omnium es; nec eſt, qui reſiſtat*

boli imperio per extinctionem fœtentium vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari, & devicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcata superbia humilitas in nostra mente regnaverit; vel certe illud, quod præstituto tempore omnibus est perfectis, ac Dei filiis generaliter repromissum „ „.

IV. Tertio regnum Dei est gloria, & felicitas æterna, in cujus possessionem Christus electos suos mittens in die judicii, dicet: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Hoc regnum latro pœnitens expetebat, sic Dominum in cruce pendentem rogans: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* De hoc regno intelligenda est ista Salvatoris sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* De eodem regno loquitur *S. Paulus* ad Ephesios scribens, cap. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hereditatem in regno Christi, & Dei.* In eo itaque, quod dicimus: *Adveniat regnum tuum*, „ „ quod seu velimus, seu nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur „ „ (*inquit S. August.* Epist. 130. alias 121.)

Matth. 25.

Lucæ 23.

Joan. 3.

Desiderium nostrum, ad æternam gloriam, & Dei fruitionem excitamus.

Et Serm. 58. alias 42. inter Homilias quinquaginta. „ „ Optare (*inquit*) & orare, ut veniat regnum ejus, nihil est aliud, quam optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Multis enim non est venturum, quod tamen venturum est. Eis enim venturum est, quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Illis non veniet, quibus dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Cum ergo dicimus: *Veniat regnum tuum*, oramus, ut nobis veniat. Quid est, ut nobis veniat? Ut bonos nos inveniat. Hoc ergo oramus, ut bonos nos faciat; tunc enim nobis veniet regnum ejus „ „.

Matth. 25.

Item Serm. 57. alias 9. *De Diverſis*, cap. 5. „ „ Non ſic dicimus: *Veniat regnum tuum*, quaſi optantes, ut regnet Deus. Regnum ipſius nos erimus, ſi in illum credentes in eo profecerimus. Omnes fideles redempti ſanguine Unici ipſius, erunt regnum ipſius. Venturum eſt autem ipſum regnum, cum facta fuerit reſurrectio mortuorum; tunc enim veniet ipſe... Hoc eſt, quod optamus, & rogamus, ut nobis veniat. Nam ſi nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis venturum eſt, non nobis. Si autem in eo numero fuerimus, qui pertinent ad membra unigeniti Filii ejus, nobis veniet regnum ejus „ „. *Et Sermone* 56. *alias de Diverſis* 48. cap. 4. „ „ Hoc deſideras, hoc cupis orando, ut ſic vivas, quomodo ad regnum Dei, quod eſt omnibus Sanctis dandum, pertineas. Ergo ut bene vivas, tibi oras, cum dicis: *Veniat regnum tuum*. Pertineamus ad regnum tuum; veniat & nobis, quod venturum eſt Sanctis, & juſtis tuis „ „.

Et libro *de Dono Perſeverantiæ*, cap. 3. „ „ Cum dicimus: *Veniat regnum tuum*; num aliud poſcimus, niſi ut veniat & nobis, quod eſſe venturum non dubitamus omnibus Sanctis? Ergo & hic qui jam Sancti ſunt, quid orant, niſi ut in ea ſanctitate, quæ illis data eſt, perſeverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, ſed his, qui perſeverant uſque in finem, certum eſt eſſe venturum „ „.

Oremus, ut non ſolum nobis ſed omnibus hominibus regnum gratiæ & gloriæ Dei adveniat.

Neque vero nobis duntaxat, ſed omnibus hominibus regnum gratiæ, & gloriæ, ut adveniat, precamur. Itaque poſtulamus a Deo, ut Eccleſiam ſuam propagare, adunare, & cuſtodire dignetur toto orbe terrarum. Ut ad veri Dei, & Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, fidem, & cultum infideles, & Judæi adducantur; ut hæretici, & ſchiſmatici ejuratis erroribus ad ſanæ, & catholicæ doctrinæ profeſſionem, & ad Eccleſiæ communionem redeant, ut compleatur, & ad exitum perducatur, quod ab *Iſaia* Propheta de Eccleſia prænuntiatum eſt: *Dilata locum tentorii tui, & pelles taberna-*

Iſaiæ 54.

culo-

culorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida. Ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis; & semen tuum Gentes hereditabit, & civitates desertas inhabitabit. Et alibi: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: Filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Petimus etiam, ut hi, qui verbis confitentur Deum, factis autem negant, divinæ lucis radiis illustrati, & peccatorum pœnitentia compuncti, restituantur in pristinam filiorum Dei dignitatem; atque ita nec illis, nec nobis dominetur omnis iniquitas, non regnet peccatum in mortali nostro corpore, sed solus in illis, nobisque vivat, & regnet Deus. Cap. 60.

V. Postremo, regnum Dei vocatur illud, quo Deus, positis omnibus inimicis suis in scabellum pedum suorum, ubique regnaturus est, destructo prorsus corpore, & regno peccati, absorbtaque morte in victoria Christi Domini. Nam etsi nunc ubique regnat Deus, tamen quia non pacifice, & sine hoste, ac bello regnat, & quia multi quasi rebelles ejus imperio, ac mandatis resistunt, factis, sin minus verbis, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*, regnare perfectissime non dicitur. Tunc autem subjugatis hostibus, & amicis liberatis, inimicis damnatis, plene regnare dicetur. De quo regno Apostol. 1. ad Corinth. 15. scribit: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia; tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Eo igitur affectu dicimus: *Adveniat regnum tuum*, quo filii Patri regi pacificum regnum, & victoriam contra hostes

Secundum Christi adventum optamus, & ut cito adveniat, oramus.

De istius loci sensu lege S. August. lib. quæst. 81, quæst. 69.

ſtes precantur. Quod quia non perficietur, donec Jeſus Chriſtus Dominus noſter veniat ad judicandum vivos, & mortuos; ideo cum petimus, ut adveniat regnum Dei, ſecundum Chriſti Adventum, & illud quibuſdam formidandum, quibuſdam vero valde deſiderandum judicium vehementer optamus, ut-

Tit. 2. que cito adveniat, oramus; *Exſpectantes beatam ſpem, & Adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* „ Grandis audaciæ eſt (*inquit S. Hieron.*) &

In Cap. 6. S. Matth. „ puræ conſcientiæ, regnum Dei poſtulare, & judi„ cium non timere „. Sint ergo lumbi noſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus noſtris; & ſimi-

Luc. 12. les ſimus hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. „„ Venit Dominus, cum ad judicium properat. Pulſat vero, cum jam per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat; cui confeſtim aperimus, ſi hunc cum amore ſuſcipimus „„. Verba ſunt *S. Greg. magni*, Homil. 13. in

1. Joan. 4. Evangelia. Adventum Domini diligamus, & deſideremus, ut perfecta charitate dicamus: *Adveniat regnum tuum.* Nam, ut ait S. Joannes: *In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Quid eſt fiduciam habere in die judicii? *Non timere, ne veniat dies judicii* (inquit *S. Auguſt.* Tract. 9. in *Joan.*) Qui non credunt futurum diem judicii, nec timent, nec deſiderant, quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem judicii; ſi cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum eſt in illo perfecta charitas. Nunquid tamen deſperandum eſt?

Caſtus, & purus amor adventum Chriſti, & diem judicii delide rat In quo vides initium, cur deſperas finem? Quod initium video? (inquis) ipſum timorem. *Initium Sapientiæ timor Domini* (inquit Scriptura.) „„ Cœpit

Eccl. 1. ergo timere diem judicii; timendo corrigat ſe; vigilet adverſus hoſtes ſuos, id eſt, adverſus peccata ſua; incipiat reviviſcere interius, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram; ſicut Apoſtolus di-

Coloſſ. 3. cit: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; for-*

fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus. Quantum autem mortificat iſte, qui timere cœpit diem judicii, membra ſua ſuper terram, tantum ſurgunt, & corroborantur membra cœleſtia. Membra autem cœleſtia omnia opera bona. Surgentibus cœleſtibus membris, incipit deſiderare, quod timebat. Timebat enim, ne veniret Chriſtus, & inveniret impium, quem damnaret; deſiderat, ut veniat, quia inventurus eſt pium, quem coronet. Jam cum cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus Sponſi, renuntiat adultero, fit virgo interius ipſa fide, ſpe, & charitate; habet jam fiduciam in die judicii. Non contra ſe pugnat, quando orat, & dicit; *Adveniat regnum tuum*: qui enim timet, ne veniat regnum Dei, timet, ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet, ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia charitatis, optat jam, ut veniat „ „. Hoc deſiderio inflammatus David ajebat: *Et tu Domine, uſquequo? Converterе, Domine, & eripe animam meam.* Pſal. 6. Gemebat ſe differri; ſic & nos ingemiſcamus, cum eodem Propheta dicentes: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Pſal. 119. .. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Pſal. 41. Et cum Apoſtolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* .. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* .. *Nos ipſi primitias Spiritus habentes* Rom. 7. Philipp. 1. ingemiſcamus, *adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri.* Rom. 8. Mortem ne timeamus, ſed deſideremus peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum; ideoque ſtudiis omnibus contendamus placere illi. „ „ Sunt homines (*inquit S. Auguſt. Tract. 9. in Joann.*) qui cum patientia moriuntur; ſunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui adhuc deſiderat iſtam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem; luctatur adverſum ſe, ut ſequatur voluntatem Dei; & hoc potius agit animo, quod eligit Deus, non Perfecti patienter vivunt, delectabiliter moriuntur. Philipp. 1.

eſt enim evaſiſſe incrementa peccati, lucrum fugiſſe deteriora, & ad meliora tranſiiſſe. Et addit: *Diſſolvi enim, & cum Chriſto eſſe, multo melius; permanere autem in carne magis neceſſarium propter vos.* Aliud melius, aliud neceſſarium. Neceſſarium propter fructum operis, melius propter gratiam & copulam Chriſti „ „ Verba ſunt *S. Ambr.* lib. *De bono mortis.* cap. 2. Mors juſtorum ſacrificium eſt; unde David poſtquam pretioſam in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus eſſe dixit: *Dirupiſti* (inquit) *vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*; ſignificans „ „ Illud perfectum „ eſſe Sacrificium; quando unuſquiſque Domino cor„ poris hujus vinculis abſolutus adſiſteret, & offerret „ ſe hoſtiam laudis (*inquit S. Ambr.* cap. 3. ejuſdem libri.) Fruſtra igitur homines mortem timent, quaſi finem naturæ. Nam ſi recolamus, quod Deus mortem non fecerit; ſed poſtquam lapſus homo in flagitium eſt prævaricationis, & fraudis, ſententia eum comprehenderit, ut in terram ſuam terra remearet. „ „ Inveniemus, mortem finem eſſe peccati; ne quo eſſet vita diuturnior, eo fieret culpa numeroſior. Paſſus eſt igitur Dominus ſubintrare mortem, ut culpa ceſſaret. Sed ne iterum naturæ finis eſſet in morte, data eſt reſurrectio mortuorum; ut per mortem culpa deficeret, per reſurrectionem autem perpetuaretur natura „ „. Ideoque mors hæc tranſitus univerſorum eſt. Opus eſt, ut conſtanter tranſeas. Tranſitus autem a corruptione ad incorruptionem; a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem. Non igitur nomen te mortis offendat, ſed boni tranſitus beneficia delectent. *Quid eſt enim mors, niſi ſepultura vitiorum, virtutum ſuſcitatio?* Verba ſunt *S. Ambroſii*, cap. 4. ejuſdem libri. Vita morte amarior, etiam impio. „ „ Gravius eſt enim ad peccatum vivere, quam in peccato mori; quia impius, quamdiu vivit, peccatum auget; ſi moriatur, peccare deſinit. Plerique criminum ſuorum abſolutione lætantur. Si emendaturi ſunt, recte; ſi perſeverant in eis, ſtulte; quia longe illis plus damnatio profuit.

Mors juſtorum perfectum Sacrificium. Pſal. 115.

Mors finis peccati.

Peccatori ſe nunquam emendaturo, mors aliquo ſenſu magis optanda, quam vita

Precibus frequenter iteratis rogamus, ut acceleretur dies regni, & Dei fruitio,

fuiſſet, ne incrementa facerent peccatorum „„. (*inquit S. Ambr.* cap. 7. ejuſdem libri.) Quod ſi vel ipſis peccatoribus mors optanda magis quam vita eſt, potiori longe ratione Sanctis, & juſtis eſt expetenda, ut cum Chriſto regnent, utque in illis Deus regnet in æternum. „„ Quid ergo oramus, & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, ſi captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poſcimus, ut acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & vota potiora ſunt ſervire iſthic diabolo, quam regnare cum Chriſto? (*inquit S. Cyprianus, lib. De Mortalitate.*) Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire; ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui non credat cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt

Rom. 1.

enim, juſtum ex fide vivere. Si juſtus es, & fide vivis, ſi vere in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum vocaris, amplecteris; & quod diabolo

Luc. 2.

careas, gratularis? *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace* (inquit S. Simeon) probans ſcilicet, atque conteſtans tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc tranquillam quietem, quando de iſtius mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa eſt enim noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis, & firma & perpetua ſecuritas. Cæterum, quid aliud in mundo, quam pugna adverſus diabolum quotidie geritur; quam adverſus jacula ejus, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt; cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus aſſidua, & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exturgit libido; ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio; ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere, quod

di-

divina Lex prohibet; compelleris jurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare; cum magis concupiſcendum ſit & optandum ad Chriſtum ſubveniente velocius morte properare, ipſo inſtruente nos, & dicente; *Amen,* Jo. 16. 20.
amen dico vobis, quoniam vos plorabitis, & plangetis, ſeculum autem gaudebit; vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in lætitiam veniet. Quis non triſtitia carere optet? Quis non ad lætitiam venire feſtinet? Quando autem in lætitiam veniat noſtra triſtitia, Dominus denuo ipſe declarat dicens; *iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum & gaudium veſtrum nemo auferet a vobis.* Cum ergo Chriſtum videre, gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, niſi cum viderimus Chriſtum; quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare preſſuras, & pœnas, lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod nunquam poſſit auferri? Hoc autem fit, Fratres dilectiſſimi, quia fides deeſt; quia nemo credit vera eſſe, quæ promittit Deus, qui verax eſt, cujus ſermo credentibus æternus, & firmus eſt... Si in Chriſtum credimus, fidem verbis, & promiſſis ejus habeamus, & non morituri in æternum ad Chriſtum, cum quo & victuri, & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur; nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire; non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet?... Ejus eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſeculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porro cum mundus oderit Chriſtianum; quid amas eum, qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum, qui te redemit, & diligit „„? *Hæc S. Cyprianus,* lib. *De Mortalitate.* Cave re ab omni avaritia Chriſtus jubet, „ Parum eſt ava- „ ritia pecuniæ, cave avaritiam vitæ. Horrenda avari- „ tia, metuenda avaritia „ (*inquit S. Auguſt.* Serm. 107.

Avaritia vitæ cavenda.

107. alias *De Tempore* 196. & *De Diverſis* 28.) Ab amore igitur vitæ præſentis, ab amore ſeculi expeditum eſſe oportet chriſtianum hominem, ut, quo par eſt, animo dicat in Dominica oratione: *Ad veniat regnum tuum.* Seculi finem, judicii diem votis ardentiſſimis optet neceſſe eſt. *Votum Chriſtianorum, confuſio nationum, exultatio Angelorum, propter quod oramus;* inquit Tertullianus.

Continuo orandum, ne a regno cœleſti excidamus.

VII. Continua autem oratione, & prece opus eſt, ne excidamus a regno cœleſti, ſicut Judæi, quibus hoc prius promiſſum fuerat, exciderunt, Domino manifeſtante, & probante: *Multi* (inquit) *venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abrahæ, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Oſtendit, quia ante filii regni Judæi erant, quando & filii Dei eſſe perſeverabant; poſtquam ceſſavit circa illos nomen paternum, ceſſavit & regnum. „ Et ideo chriſtiani, qui in oratione appellare Patrem Deum cœpimus, nos, & ut regnum „ Dei nobis veniat oramus „ (*inquit S. Cyprianus* in Tract. *De oratione Dominica.*)

Matth. 8.

ARTICULUS VI.

Orationis Dominicæ petitio tertia explicatur: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

I. Cum nomen Dei a nobis, ut par eſt, ſanctificari non poſſit, niſi fiat in nobis, & a nobis voluntas ejus, quæ eſt ſanctificatio noſtra; cumque ad regnum cœleſte pervenire non poſſimus, niſi Dei voluntatem faciamus, hoc eſt, niſi mandata ejus ſervemus, ſecundum illa Chriſti Domini oracula: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* & *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum*; primis duabus orationis Dominicæ petitionibus tertia hæc ordine congruo ſubjungitur: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.*

Matth. 19. 17. Matth. 7. 21.

II.

II. Hujus autem petitionis ratio eſt hominis lapſi miſeria & infirmitas. Quamvis enim per baptiſmum deleatur, ac remittatur peccatum originale, manet tamen ignorantia, & concupiſcentia, manet proclivitas ad malum, voluntas carnis, lex membrorum legi mentis repugnans, qua fit, ut non quæcunque voluerimus, eadem etiam faciamus. Quamobrem a Deo ſuppliciter poſtulandum eſt, ne voluntati noſtræ nos permittat, quæ ad peccandum tantum valet, niſi ab ipſo adjuvetur; ſiquidem *Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Poſtulandum a Deo eſt, ne corrupto judicio noſtro nos relinquat, quo ſæpe dicimus *Malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Ægrotis enim ſimiles ſumus, qui vero guſtandi ſenſu amiſſo, a ſalubri victu alieni ſunt; & niſi pulſo morbo ſane guſtandi vim non recipiunt, nec bonorum, & integrorum hominum officia poſſunt obire. Sic nos, etſi juſti ſimus, adeoque ſani ſecundum mentem, quod nobis gratia ſua medicinali præſtitit Chriſtus, infirmi tamen ſemper remanemus ſecundum carnem, per quam ſervimus legi peccati; qua fit, ut animalis homo non percipiat, quæ Dei ſunt, nec guſtare poſſit, quam ſuavis eſt Dominus, niſi divina gratia adjuvetur. Pueris ſimiles ſumus, qui ſuo relicti arbitrio, temere moventur ad omnia, ludictis ſermonibus, & actionibus dediti ſunt, & ea quæ noxia ſunt, imprudenter amplectuntur. Unde Sapientia his verbis nos commonet: *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupiunt?* Et Apoſtolus: *Nolite* (inquit) *pueri effici ſenſibus.* Prudentiam quidem carnis, prudentiam hujus ſeculi ex nobis habemus, ſed prudentiam Spiritus, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, habere non poſſumus, niſi auctore, & adjutore Deo. Petendum igitur a Deo eſt, ut voluntas noſtra & abſtrahatur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur, ut poſt concupiſcentias noſtras nos ire non permittat, nec tradat nos de-

Hujus petitionis ratio.

Poſtulandum a Deo, ne voluntati noſtræ nos permittat. Genes. 8. Matth. 5.

Conc. Tr. Catech.

Proverb. 1.

1. Cor. 14.

deſideriis cordis noſtri, atque in adinventionibus noſtris ire ſinat; ſed quod cœpit in nobis, ipſe perficiat, hoc eſt, carnalis concupiſcentiæ vim in nobis coerceat, compeſcat, mortificet, carnem repugnantem ſpiritui ſubjiciat, ſuamque voluntatem in nobis impleat, & a nobis perfici tribuat, ut carne, & ſpiri-
Pſal. 83. 3. tu Deo ſervire, & vere dicere poſſimus: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Sic pro
Coloſſ. 4. Coloſſenſibus orabat Epaphras, Apoſtolo teſte: *Semper* (inquit) *ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.* Sic Apoſtolus
2. Theſſ. 1. ipſe pro Theſſalonicenſibus: *In quo etiam oramus ſemper pro vobis, ut dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus*
Heb. 13. *fidei in virtute.* Et pro Hebræis: *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum.* A ſatanæ tyrannide per Chriſti gratiam erepti, & in Dei regnum translati ſumus; neceſſe eſt igitur, ut ad iſtius regni leges vitam, omneſque actiones noſtras componere modis omnibus ſtudeamus, noſtramque voluntatem ad voluntatem Dei velut ad ſupremam, & indeficientem Regulam dirigamus, quod ut aſſequi poſſimus, ſuppliciter illud a Deo petimus his verbis: *Fiat voluntas tua.*

Quid voluntatis Dei, quam fieri petimus, nomine intelligatur.

III. Nomine igitur voluntatis Dei hic intelliguntur univerſa, quæ nobis ad cœleſtem beatitudinem comparandam proponuntur; ſive illa ad fidem, ſive ad mores pertineant; omnia denique, quæcunque nos Chriſtus Dominus per ſe, vel per Eccleſiam ſuam facere juſſit, aut prohibuit. De qua voluntate ſcribit
Epheſ. 5. Apoſtolus: *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* Cum igitur Deum oramus dicentes: *Fiat voluntas tua*; petimus a Deo, ut nos faciat ſuis obedire mandatis; ut qui ſine illo eſſe non
Conc. Tr. Catech. poſſumus, ſecundum illum vivere valeamus; ut ad nutum, & voluntatem ejus omnia faciamus; in omnibus, quæ nobis agenda ſunt, ſemper attendentes;
Rom. 12. 2. *Quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta;*

ut

ut ea colamus officia, de quibus in ſacris Literis admonemur, quarum adorandis verbis, velut Epiſtola quadam ad creaturam ſuam miſſa, voluntatem ſuam nobis explicat Deus optimus maximus Rex, & Legislator noſter. Oramus, ut ipſo duce, & auctore, illa omnia præſtemus, quæ eos decent: *Qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*, ad exemplum Chriſti Domini, qui dicit: *Non veni, ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*; & *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Ac dulciſſimarum neceſſitudinum vinculis ſibi conjunctos eſſe ſignificavit, qui cœleſtis Patris mandatis obtemperarent: *Quicunque* (inquit) *fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Voluntati Dei obediendo ſecundus Adam ſe diſcrevit a primo; iſte non fecit voluntatem ſuam, ſed ejus, a quo miſſus eſt, cum ille fecerit ſuam, non ejus, a quo creatus eſt (inquit *S. Auguſt.* lib. 2. *Contra Maximinum arianum*, cap. 20.) Ejus exemplum imitari cupientes, oramus, ut nulla nos tentatio, nullæ blandientis mundi illecebræ, nulla temporalium bonorum, vel adipiſcendorum ſpes, vel amittendorum timor, non proſperæ, non adverſæ res, nulla tandem creatura nos abducat unquam a voluntate Dei perficienda. Hoc affectu orabat David Spiritu Dei edoctus, & impulſus: *Utinam* (inquit) *dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas... Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui... Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua... Judicia tua doce me... Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum; & non dominetur mei omnis injuſtitia... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Juſtus ſemper facit voluntatem Dei, ſemper ſecundum ejus voluntatem vivit: „ Voluntas Dei de corde ejus non recedit; quia voluntas Dei ipſa eſt lex Dei. *Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte* „. Id ut in nobis fiat, precamur, cum dicimus: *Fiat voluntas tua.* Bonam voluntatem a Deo ſupplices petimus, id eſt, charitatem.

Joan. 1.
Joan. 6.
Philipp. 2.
Matth. 12.
Pſalm. 118.
Pſal. 142.
S. Auguſt. in Pſal. 36. Serm. 3.
Pſal. 1.
Bonam voluntatem a Deo petimus.

is, id eſt, charitatem, quam niſi illo donante habere non poſ-
aritatem. ſumus. „ „ Niſi amor ejus detur inde nobis, non eſt unde eſſe poſſit in nobis. Ac per hoc voluntas bona, qua diligitur Deus, in homine non poteſt eſſe, niſi in quo Deus operatur, & velle. Hæc igitur voluntas bona, id eſt, Deo fideliter ſubdita, voluntas ſanctitate ſuperni amoris accenſa, voluntas, quæ diligit Deum, & proximum propter Deum, non diffunditur in cordibus noſtris, niſi per Spiritum, qui datus eſt nobis „ „ (*inquit S. Auguſt.* lib. *De Patientia*, cap. 25.) Bonam illam voluntatem a Deo nobis dari petimus, dicentes: *Fiat voluntas tua.*

fiat. 5. IV. Petimus inſuper, ne faciamus *Opera carnis*, quæ Apoſtolus enumerat ad Galatas ſcribens, ne *ſecundum carnem* vivamus, Ne *deſideria carnis* perficia-
m. 8. mus; quia (ut ipſe ait) *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Petimus, ne ſinat Deus ea nos perficere, quæ ſenſus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas noſtra ſuaſerit, ſed ut Spiritu ſancto ſuo nos ducat, regat, & agat; *Quoniam qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Petimus, ut propriam noſtram voluntatem, amoremque noſtri perverſum, qui fons eſt omnium vitiorum, extinguat, & deſtruat, ſuaque voluntate nos moderetur. Voluntati propriæ contraria eſt recta fronte charitas, quæ Deus eſt. „ „ Quid enim odit, aut punit Deus propter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit (*inquit S. Bernardus, Serm. 2. pro tempore Paſchali.*) Porro voluntas propria, quo furore Dominum Majeſtatis impugnet, audiant, & timeant ſervi propriæ voluntatis. Primo namque ſeipſam & ſubtrahit, & ſubducit ejus dominatui, cui tanquam auctori ſervire jure debuerat, dum efficitur ſua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? Nequaquam; addit adhuc, & quod in ſe eſt, omnia quoque, quæ Dei ſunt, tollit, & diripit. Quem enim modum ſibi ponit humana cupiditas? Nonne, qui per uſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mundum lucrari conaretur univerſum,

luntati
opriæ
ntraria
ritas.

ſum, ſi non deeſſet poſſibilitas, ſi ſuppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini, qui ſit in propria voluntate, poſſet univerſus mundus ſufficere. Sed utinam vel rebus iſtis eſſet contenta, ne in ipſum (horribile dictu!) deſæviret auctorem. Nunc autem, & ipſum (quantum in ipſa eſt) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata ſua, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo non eſſe Deum, quæ, quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem: aut injuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis plane, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam, perire deſiderat „ „. Crudelem hanc beſtiam, feram peſſimam, Dei inimicam expugnari, vinci, ſubjici precamur Dei voluntati, ut non noſter ſenſus in nobis, ſed jugiter ejus prævaleat affectus.

V. Non ſolum petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod temere, & libidinis impulſu cupimus, privatoque ſtudio, quod depravatum eſt; ſed ne id etiam detur, quod ſuaſore, & impulſore dæmone, qui ſe in Angelum lucis transfigurat, tanquam bonum interdum poſtulamus. Rectiſſimum illud Principis Apoſtolorum ſtudium videbatur, pietatemque ſpirans, quo Dominum a profectione Jeroſolymam, ubi paſſionem, & mortem ſe proxime ſubiturum diſcipulis prænuntiabat, avocare nitebatur; & tamen eum Dominus acriter objurgavit, quod humanis ſenſibus, non divina ratione duceretur: *Vade poſt me ſatana* (inquit) *ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Eaque occaſione Chriſtus diſcipulis ſuis præclarum hoc abnegandæ propriæ voluntatis documentum dedit, quod totius vitæ ſpiritualis fundamentum eſt: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ardentiſſimi in Chriſtum amoris argumentum videbatur, quod ſancti Apoſtoli Jacobus, & Joannes petierunt, ut juberet ignem e cœlo deſcendere, quo Samaritanorum illorum impia inhoſpitalitas plecteretur, qui eum in civitatem ſuam recipere

Petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod interdum, ſuadente diabolo, tanquam bonum poſtulamus.

Matth. 16.

Luc. 9. noluerunt. Verum a Chriſto Domino reprehenſi ſunt his verbis: *Nejcitis, cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Cum ergo plerumque diabolus, cui mille nocendi artes, nos ad aliqua ſuſcipienda, vel agenda impellat, quæ tametſi per ſe mala non ſint, ſpectatis tamen rerum circumſtantiis mala ſunt, noſtræque vel proximi ſaluti noxia, nihil, quod alicujus ſit momenti, ſuſcipiendum, vel agendum eſt, niſi a ſpiritalibus viris, conſcientiæque noſtræ peritis Moderatoribus conſilium exquiſierimus, Deumque ferventiſſimis precibus rogaverimus, ut ſuam nobis voluntatem aperiat, illique totum commiſerimus, humili, & obedienti animo dicentes: *Fiat voluntas tua.*

Quo præſertim tempore poſtulare debeamus, ut Dei voluntas in nobis, ac de nobis impleatur.

VI. Maxime vero in adverſis rebus, in rerum temporalium jactura, in charorum noſtrorum amiſſione, in morbis & infirmitatibus graviſſimis, in egeſtate, ignominia, oppreſſione, ſi quam a Potentioribus patimur, in ipſo mortis diſcrimine, ex animo precari debemus, ut Dei voluntas in nobis, ac de nobis impleatur, exemplo Chriſti, qui cum naturaliter inſito cruciatuum, & mortis acerbiſſimæ timore commoveretur, ſuam tamen ad Dei Patris retulit, penituſque conformavit, voluntatem: *Non mea* (inquit) *voluntas, ſed tua fiat.* Nuſquam adverſus Dei voluntatem, & providentiam obmurmurandum; mentis æquabilitas, & cor rectum cum eo tam in proſperis, quam in adverſis ſervare debemus, ſive nos vivere, ſive mori velit, ſive affligi, ut emendemur; ſive ſublevari, ut ejus benignitati gratias agamus. Injurias, vim, calamitates ab hominibus nobis immiſſas patienter ferre debemus, imo cum gaudio, quod hæc ita Deus adminiſtret, ut noſtra voluntas impediatur, quo magis adoranda illius voluntas nobis dominetur. Nec in homines, qui ſunt flagella iræ Dei, aut vindictæ ejus inſtrumenta, excandeſcere debemus ultionis libidine, canum inſtar, qui cum hominem verberantem mordere non poſſint, baculum, aut lapidem morſibus appetunt. Si quis igitur, quod frequenter

Luc. 22.

uſu-

uſuvenit, contra voluntatem noſtram aliquid faciat, vel omittat, loquatur, aut ſileat; ne ea re ad impatientiam, aut iram commoveamur, ne quæramur, vociferemur, judicemus, condemnemus, aut verbis durioribus, & contumelioſis proſcindamus; imo Deo gratias agamus, quod Dei voluntatem contra noſtram promoverint. Hanc gratiam petimus his verbis: *Fiat voluntas tua.*

VII. Cum item Dei voluntas ſit, ut *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*, hoc eſt, ut ſortem ſuam æquo animo ferat; hac petitione Dominicæ orationis admonemur, ne ſtatum noſtrum temere mutare contendamus, niſi aliqua detur opportunitas melioris conditionis citra ullam rerum perturbationem amplectendæ, quæ Dei providentia oblata potius, quam noſtra cupiditate quæſita videatur; ſed magis, ut ſua cuique ſors a Deo contigit, in ea quieto, ac tranquillo animo divinæ Majeſtati ſerviat. *Alligatus es uxori? Noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem* (inquit Apoſtolus) *Servus vocatus es? Non ſit tibi curæ; ſed & ſi potes fieri liber, magis utere.* Sed cum illa animi moderatio abſque Dei gratia non habeatur, hanc a Deo poſtulamus his verbis: *Fiat voluntas tua.* Rectus corde eſt, qui ex animo ſic orat: *Prætende mi ſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde* (orabat David.) *Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde.* Illi recto ſunt corde, qui ſequuntur in hac vita voluntatem Dei (inquit *S. Auguſt.* Enarr. in Pſal. 35.) „ „ Voluntas Dei eſt aliquando, ut ſanus ſis; aliquando, ut ægrotes; ſi quando ſanus es, dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotas, amara eſt voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curvare ad tuam; illa recta eſt, ſed tu curvus; voluntas tua corrigenda eſt ad illam, non illa curvanda eſt ad te, & rectum habebis cor. Bene eſt in hoc ſeculo, benedicatur Deus, qui conſolatur; laboratur in hoc ſeculo, benedica-

1. Cor 7. Animi moderationem poſtulamus, ut in ſtatu noſtro Deo fideliter, ac tranquille ſerviamus.

1. Cor. 9.

Pſalm. 35.

Pſalm. 72. Recti corde voluntatem Dei ſequuntur.

tur Deus, qui emèndat, & probat; & erit recto corde
33. dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Et Enarr. in Pſal. 63. illum Verſum explicans: *Laudabuntur omnes recti corde*, ait: „„ Qui ſunt recti corde? Qui omnia quæcunque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt inſipientiæ, ſed conſilio Dei ad medicinam ſuam; nec præſumunt de juſtitia ſua, ut putent ſe injuſte pati, quod patiuntur, aut ideo eſſe Deum injuſtum, quia non plura patitur, qui plus peccat. Aliquid ſentis, ſive ſecundum corpus, ſive ſecundum diſpendium rei familiaris, ſive per orbitatem aliquam chariſſimorum tuorum, noli reſpicere eos, quos noſti iniquiores, & florere in iſtis, & non flagellari, ut diſpliceat tibi conſilium Dei, & dicas: Ecce, puta peccator ſum, & propterea flagellor, quare ille non flagellatur, cujus novi tanta flagitia? Quantumcunque mali fecerim ego, nunquid ego tantum feci, quantumcumque mali fecerim ego, nunquid ego tantum feci, quantum ille? Diſtortum eſt cor tuum. *Quam bonus Iſrael Deus*, ſed *rectis corde*. Tui autem labuntur pedes, quia zelas in peccatores, pacem peccatorum intuens. Sine curari; novit, quid agat, qui vulnus novit. Non ſecatur alius? Quid ſi deſperatur? Quid ſi propterea tu ſecaris, quia non deſperaris? Patere ergo, quidquid pateris recto corde; novit Deus, quid tibi donet, quid tibi ſubtrahat. Quod tibi donat ad conſolationem valeat, non ad corruptionem; & quod tibi ſubtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blaſphemiam. Si autem blaſphemas, & diſplicet tibi Deus, & tu tibi places; perverſo corde, & diſtorto es; & hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat, quod tu vis, cum tu debeas facere, quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod ſemper rectum eſt, ad pravitatem cordis tui? Quanto melius ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus? Nonne
26. infirmitatem tuam portabat, quando dixit: *Triſtis eſt*

ani-

anima mea uſque ad mortem? Nonne teipſum in ſe figurabat, cum dicebat: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte?* Non enim duo corda, & diverſa Patris, & Filii; ſed in forma ſervi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo ſuo. Jam ecce quaſi aliud cor tuum invenit tribulatio, volens tranſire, quod imminebat; ſed noluit Deus. Non conſentit Deus cordi tuo; conſenti tu cordi Dei: audi vocem ipſius: *Verum non quod ego volo, ſed quod tu vis, Pater* „„

Et Enarr. 2. in Pſal. 32. explicans hæc verba: *Rectos decet collaudatio*, ait: „„ Qui ſunt recti? Qui dirigunt cor ſecundum voluntatem Dei; & ſi eos perturbat humana fragilitas, divina conſolatur æquitas: quamvis enim corde mortali privatim aliquid velint, quod ſuæ interim cauſæ, vel negotio, vel præſertim neceſſitati conveniat; ubi intellexerint, vel cognoverint aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati ſuæ, & voluntatem Omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus diſtat ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde gerens hominem Chriſtus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & præſtans nobis vivere, oſtendit hominis quamdam privatam voluntatem, in qua ſuam figuravit, & noſtram, quia caput noſtrum eſt, & ad eum tanquam membra pertinemus. *Pater* (inquit) *ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.* Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, & tanquam privatum volens; ſed quia rectum corde voluit eſſe hominem, ut quidquid in illo aliquantum curvum eſſet, ad illud dirigeret, qui ſemper eſt rectus: *Verum non, quod ego, volo* (ait) *ſed quod tu Pater.* Sed quid poſſet mali velle Chriſtus? Quid aliud poſſet velle, quam Pater? Quorum una eſt Divinitas, non poteſt eſſe diſpar voluntas... Oſtendit quamdam hominis propriam voluntatem, oſtendit te, & correxit te. Ecce vide (*inquit*) te in me; quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit, conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur

humanæ infirmitati. Aliquid proprium velle difficile eſt, ut non tibi contingat; ſed ſtatim cogita, qui ſit ſupra te. Illum ſupra te, te infra illum; illum Creatorem, te creaturam; illum Dominum, te ſervum; illum omnipotentem, te infirmum; & corrigens te, ſubjungenſque voluntati ejus, ac dicens: *Verum non quod ego volo, ſed quod tu vis Pater.* Quomodo disjunctus es a Deo, qui jam hoc vis, quod Deus? Eris ergo rectus; & te decebit laudatio, quoniam *Rectos decet laudatio* „ „.

Perſeverantiam petimus, cum oramus, ut voluntas Dei fiat.

VIII. Sed quia ita depravatum eſt cor noſtrum, ut cum vim etiam intulerimus noſtræ cupiditati, eamque divinæ voluntati ſubjecerimus, tamen ſine auxilio Dei, quo a malo protegimur, & in bonum dirigimur, peccata vitare non poſſimus, & in juſtitia perſeverare, petendum a Deo eſt, ut qui in nobis ſalutis opus incœpit, ipſe perficiat. Petunt ergo perſeverantiam juſti homines, qui faciunt voluntatem Dei, cum dicunt in oratione: *Fiat voluntas tua. Cum* „ enim jam facta ſit in eis, cur, ut fiat, adhuc petunt, „ niſi, ut perſeverent in eo, quod eſſe cœperunt (*inquit S. Auguſt.* lib. *De Dono perſeverantiæ*, cap. 3.) Oramus, ut voluntas Dei non ſolum fiat in nobis, ſed a nobis. *Fiat voluntas tua*: Id eſt: „ „ Fiat in me, ut non reſiſtam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te oras, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etſi non fit a te. Nam & quibus dicturus eſt: Matth. 25. *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*, fiet in illis voluntas Dei, ut juſti, & Sancti accipiant regnum; & quibus dicturus eſt: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*, fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem ſempiternum. Aliud eſt, ut fiat a te. Ut ergo fiat in te, non ſine cauſa oras, niſi ut bene ſit tibi. Sive ergo bene ſit tibi, ſive male ſit tibi, fiet in te; ſed fiat & a te. Quare ergo dico: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*; & non dico: Fiat voluntas tua a cœlo, & a terra? Quia quod fit a te, ipſe facit in te. Nunquam fit a te, quod

quod non ipſe facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit a te; nunquam autem aliquid fit a te, ſi non facit in te „ „. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Serm. 56. alias *De Diverſis* 48.

Oramus, inquit *S. Cyprianus*, non ut Deus faciat, quod vult, ſed ut nos faciamus, quod Deus vult; nam Deo quis obſiſtit, quo minus, quod velit, faciat? „ „ Sed quia nobis a diabolo obſiſtitur, quo minus per omnia noſter animus, atque actus Deo obſequatur, oramus, & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope ejus & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia, & miſericordia tutus eſt „ „. Ad faciendam Dei voluntatem *S. Joannes* hortatur dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas Patris in illo. Quia omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt a Patre, ſed ex concupiſcentia mundi. Et mundus tranſibit, & concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.* Si in æternum manere volumus, Dei, qui æternus eſt, voluntatem facere debemus: „ „ Voluntas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit, & docuit; humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis juſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, injuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod Pater eſt, timere, quod Deus eſt; Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præpoſuit; charitati ejus inſeparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter, ac fidenter adſiſtere; quando de ejus nomine, & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confirmetur; in quæſtione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur; hoc eſt coheredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt

Tr. de or. Dom. Oramus, ut faciamus, quod Deus vult.

1. Joan. 2.

Voluntas Dei eſt, quam Chriſtus fecit, & docuit.

dum & in ſpiritu, & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt, anima ſervetur. Quod aperte, atque manifeſte Apoſtolus Paulus ſua voce declarat: *Caro* (inquit) *concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Hæc enim invicem adverſantur ſibi, ut non, quæ vultis, ipſa faciatis.*.. Et idcirco quotidianis imo continuis orationibus hoc precamur, & in cœlo, & in terra voluntatem circa nos Dei fieri; quia hæc eſt voluntas Dei, ut terrena cœleſtibus cedant, ſpiritalia, & divina prævaleant. Potuit & ſic intelligi, ut quoniam mandat, & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque, qui nos perſequuntur, orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra ſunt, & necdum cœleſtes eſſe cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Chriſtus hominem conſervando, & redintegrando perfecit. Nam cum diſcipuli ab eo non jam terra appellentur, ſed ſal terræ; & Apoſtolus primum hominem vocet de terræ limo, ſecundum vero de cœlo; merito & nos, qui eſſe debemus Patri Deo ſimiles (qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos) ſic Chriſto monente oramus, & petimus, ut precem pro omnium ſalute faciamus; ut quomodo in cœlo, id eſt, in nobis per fidem noſtram voluntas Dei facta eſt, ut eſſemus e cœlo; & in terra, hoc eſt, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, ut qui adhuc ſunt prima nativitate terreni, incipiant eſſe cœleſtes, ex aqua, & Spiritu nati „ „.

Galat. 5.

Ita *S. Auguſt.* lib. 2. *De Sermone Domini in monte*, cap. 6. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*; „ „ Id eſt, ſicut eſt in Angelis, qui ſunt in cœlis, voluntas tua; ut omnimodo tibi adhæreant, teque perfruantur, nullo errore obnubilante ſapientiam eorum, nulla miſeria impediente beatitudinem eorum, ita fiat in Sanctis tuis, qui in terra ſunt, & de terra, quod ad corpus attinet, facti ſunt, & quamvis in cœleſtem habitationem, atque immutationem, tamen de terra aſſumendi ſunt. Ad hoc reſpicit etiam

Luc. 2. illa Angelorum prædicatio; *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; ut cum præceſſerit bona voluntas noſtra, quæ vocantem ſequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, ſicuti eſt in cœleſtibus Angelis; ut nulla adverſitas reſiſtat noſtræ beatitudini, quod eſt pax. Item: *Fiat voluntas tua*, recte intelligitur, obediatur præceptis tuis; *Sicut in cœlo, & in terra*, id eſt, ſicut ab Angelis, ita ab hominibus. Eſt etiam ille intellectus: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, ſicut in Sanctis, & juſtis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi poteſt; ſive ut oremus etiam pro inimicis noſtris (Quid enim ſunt aliud habendi, contra quorum voluntatem chriſtianum, & catholicum nomen augetur) ut ita dictum ſit: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*; tanquam ſi diceretur, Faciant voluntatem tuam ſicut juſti, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur. Sive ita; *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*; ut ſua cuique tribuantur; quod fiet extremo judicio, ut juſtis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cum agni ab hædis ſeparabuntur. Ille etiam non abſurdus, imo & fidei, & ſpei noſtræ convenientiſſimus intellectus eſt, ut cœlum, & terram accipiamus ſpiritum, & carnem. Et quoniam dicit Apoſtolus:

Oramus, ut ſpiritu & carne Deo ſerviamus.

Rom. 7. *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*; videmus factam voluntatem Dei in mente, id eſt, in ſpiritu; cum autem abſorpta fuerit mors in victoriam, & mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis Reſurrectione, atque illa immutatione, quæ promittitur juſtis; fiat voluntas Dei, & in terra, ſicut in cœlo, id eſt, ut quemadmodum ſpiritus non reſiſtit Deo, ſequens, & faciens voluntatem ejus; ita & corpus non reſiſtat ſpiritui, vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur; & in carnalem conſuetudinem prona eſt; quod erit ſummæ pacis in vita æterna, ut non ſolum velle adjaceat nobis, ſed etiam perficere bonum. *Nunc* enim *Velle* (inquit) *adjacet mihi; perficere autem bonum, non*; quia nondum

dum in terra ſicut in cœlo, id eſt, nondum in carne ſicut in ſpiritu, facta eſt voluntas Dei. Nam & in miſeria noſtra fit voluntas Dei, cum ea patimur per carnem, quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit noſtra natura; ſed id orandum eſt, ut ſicut in cœlo, ita & in terra fiat voluntas Dei; id eſt, ut quemadmodum corde condelectamur legi ſecundum interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione facta, huic noſtræ delectationi nulla pars noſtra terrenis doloribus; ſeu voluptatibus adverſetur „„. Legatur & Sermone 56. alias 48. *De Diverſis*, item Sermon. 57. alias *De Diverſis* 9. Serm. 58. alias 42. inter Homilias 50. & libro *De Dono Perſeverantiæ*, cap. 3.

Interpretationi priori, quæ magis literalis eſt, adhæſit *S. Hilarius* in Pſal. 134. hujus petitionis ſenſum eſſe dicens: „„ Fac, ut ſicut voluntati tuæ in cœlis ab indefeſſis, & cœleſtibus virtutibus paretur, ita & a nobis in terra pareatur, ne corporalis nos infirmitas ab exequenda tua voluntate deflectat. In cœlis enim indefeſſis quotidie vocibus dicitur; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli, & terra gloria tua. Fac, ut nobis quoque nihil aliud in opere ſit, niſi per quod ſanctificetur Nomen tuum; nihil aliud in ſpe, niſi per quod etiam in nos tuum regnum ſperamus; nihil aliud in voluntate, niſi per quod tibi Deo noſtro æternæ a nobis laudes ſunt deferendæ „„.

ARTICULUS VII.

Orationis dominicæ Petitio quarta explicatur: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Tres priores petitiones ad vitam æternam pertinent. Quatuor ſequentes ad vitam iſtam peregrinationis noſtræ. Quamvis enim Angelis æquales aliquando nos futuros ex Dei miſericordia ſperemus; quia tamen carnales interim, ac mortales ſumus, multis corporis, animique ſubſidiis egentes, donec mor-

Quamvis porro laborandum ſit, ut neceſſaria temporalis vitæ ſubſidia nobis procuremus, panem tamen a Deo poſtulare in dies ſingulos jubemur, ut agnoſcamus illum de manu Dei, id eſt, ejus providentia, & paterna benignitate nos recipere, qui filios ſuos non relinquit, cum malis etiam provideat, & brutis etiam animantibus det eſcam opportuno tempore. Unde Propheta ait: *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum,* Pſal. 36. *nec ſemen ejus quærens panem.* Improbi, qui Deum non timent, nec ex fide vivunt, laboribus ſuis, induſtriæ, ſolicitudini tribuunt comparata vitæ temporalis ſubſidia: Juſti vero, tametſi labori parcendum non eſſe ſciant, quia ex juſta Dei ſententia in ſudore vultus noſtri parare nobis panem debemus, Deo tamen acceptum referunt quotidianum victum, & quidquid ad vitæ ſuſtentationem opus eſt. Firmiſſime enim credunt (ut par eſt) inanes fore labores noſtros, niſi Deus illis benedixerit; quod & experientia comprobatur, ſiquidem Deo ſæpe ob ſcelera noſtra irato fruges in deteriorem ſegetem degenerant, vel ſuccreſcente agreſtium herbarum aſperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine perculſæ, & proſtratæ intereunt; aut ſalubri nutriendi, roborandique corpora noſtra virtute quodammodo ſunt deſtitutæ. Quo pertinet illud Iſa. 3. *Auferet Dominus a Jeruſalem, & a Juda omne robur panis, & omne robur aquæ.* Itaque: *Neque qui plantat eſt* 1. Cor. 3. *aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus,* a quo & *Imbrem matutinum, & ſerotinum,* opportu- Joel. 2. naſque frugum noſtrarum incrementis, & maturitati tempeſtates, & ſolis, aliorumque ſiderum influxus immitti, atque diſpenſari fides docet.

Laborandum igitur, ſed ſine ſolicitudine, quam prohibet Chriſtus, dicens: *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Matth. 6. Labores noſtri Dei benedictioni ſunt commendandi; qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Qui ſic in timore Dei laborant, labores manuum ſua-

cia panem noſtrum *Quotidianum* a Patre noſtro cœleſti ut poſtulemus, neceſſe eſt, ut quotidie in ejus cultu, & amore perſeverare firmo propoſito ſtatuamus. Sic enim implebitur in nobis Propheticum illud oraculum: *Timete Dominum omnes ſancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Divites egueſtarunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quamvis enim ſæpe pauperes ſint juſti, cum tamen victum vel in diem habent, & ſua forte ſunt contenti, divitibus feliciores ſunt. *Pereat avaritia, & dives eſt natura*; inquit *S. Auguſt.*

Pſalm. 33.

A Dei benignitate præſentis vitæ ſubſidia nos expectare profitemur. 1. Tim. 6.

IV. Quotidianum Panem a Deo nobis dari, ſupplicamus, *Da nobis*, ab ejus benignitate duntaxat nos præſentis vitæ ſubſidia expectare profeſſi. His verbis monentur divites: *Non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.* Nam & ipſi mendici Dei ſunt. „ „ Profiteris te mendicum Dei (*inquit S. Auguſt. Serm. 56. alias De Diverſis 48.*) ſed noli erubeſcere. Quantumlibet quis ſit dives in terra, mendicus Dei eſt. Stat mendicus ante domum divitis, ſed & ipſe dives ſtat ante domum magni divitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei non pulſaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipſo pane quotidiano eget dives. Quare enim abundant illi omnia? Unde, niſi quia Deus dedit? Quid habebit, ſi Deus ſubtrahat manum ſuam? Nonne multi dormierunt divites, & ſurrexerunt pauperes? Et quod illi non deeſt, miſericordiæ Dei eſt, non potentiæ ipſius „ „

Hac voce Hodie, paupertatem evangelicam edocemur.

V. Hunc Panem dari nobis *Hodie* rogamus, id eſt, eo ipſo die, quo petimus; vel toto vitæ hujus mortalis decurſu. Nullus præterit dies, nulla hora, nullum momentum temporis, quo non indigeamus temporali aliquo ſubſidio, quod, qualecunque ſit, nomine panis quotidiani ſignificatum eſt. Hac voce, *Hodie*, paupertatem Evangelicam edocemur, quam ſpiritu, & animo amplecti, affectum a terrenis opibus, & temporalibus bonis abſtrahendo, Chriſtianus

quil-

quiſque tenetur. Unde *S. Cyprianus*, Tract. de oratione Dominica: „„ Poteſt vero & ſic intelligi (*inquit*) ut qui ſeculo renuntiavimus, & divitias ejus, & pompas fide gratiæ ſpiritalis abjecimus, cibum nobis tantum petamus, & victum; quando inſtruat Dominus, & dicat: *Qui non renuntiat omnibus, quæ ſunt ejus, non poteſt meus diſcipulus eſſe.* Qui autem Chriſti cœpit eſſe diſcipulus, ſecundum magiſtri ſui vocem renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum deſideria petitionis extendere... Merito Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur; quia & contrarium ſibi fit, & repugnans, ut quæramus in ſeculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire „„. Ait *S. Auguſt.* Serm. 56. alias *de Diverſis* 48. cap. 6. „ Impudentia eſt (*inquit*) ut a Deo „ petas divitias; non eſt impudentia, ut petas panem „ quotidianum. Aliud eſt, unde ſuperbias, aliud, unde „ vivas „. *Hodie* petimus, id eſt, „„ hoc tempore (*inquit idem Doctor Ser.* 57.) Cum tranſierit vita iſta, nunquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur *Quotidie*, ſed *Hodie*. Nunc vocatur *Quotidie*, quando tranſit dies; & venit alius dies. Nunquid vocabitur *Quotidie*, quando erit æternus unus dies „„? Luc. 14.

VI. Quem *Panem quotidianum* dicimus, ut apud S. Lucam legitur, *S. Hieronymus* vertit *ſuperſubſtantialem*, quam vocem in S. Matthæi latina Verſione ſervavit Eccleſia. Hujus tamen vocis eadem vis eſt, ac iſtius, *Quotidianum*. Dicitur *ſuperſubſtantialis*, Græce Epiuſios; id eſt, ſubſtantiæ ſuperadditus, vel ſuper ſubſtantiam adjectus, ad illam roborandam, conſervandam, augendam. Hebraicam vocem hoc verbo expreſſam, ſeptuaginta Interpretes, ubicunque in veteri Teſtamento occurrit, reddunt Perliſion ixæreton, id eſt, *præcipuum*, vel *egregium*, ut tranſtulit *Symmachus*. Quando ergo petimus, ut peculiarem, vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, panem ſpiritualem petimus, illum ſcilicet, qui dicit: *Ego ſum* Quid ſit panis ſuperſubſtantialis. Matth. 6. Joan. 6.

tis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes a cœleſti Pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur; ipſo prædicante, & monente: *Ego ſum Panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de meo Pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de ejus pane; ut manifeſtum eſt eos vivere, qui Corpus ejus attingunt, & Euchariſtiam jure communicationis accipiunt; ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur a Chriſti Corpore, procul remaneat a ſalute, comminante ipſo, & dicente: *Niſi ederitis Carnem Filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo Panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Chriſto manemus, & vivimus, a ſanctificatione ejus, & corpore non recedamus „„. Quæ verba ſancti Hominis Dei: „„ Perſeverantiam prorſus a Domino Sanctos indicant poſcere, quando hac intentione dicunt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* ne a Chriſti Corpore ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneant, qua nullum, quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant „„; *inquit S. Auguſt.* lib. *De Dono Perſeverantiæ* cap. 4. Euchariſtia panis noſter quotidianus. Joan. 6.

Et Serm. 58. alias 42. inter Homilias 50. „„ Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Euchariſtiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles, quid accipiant, & bonum eſt eis accipere panem quotidianum huic tempori neceſſarium: pro ſe rogant, ut boni fiant, ut in bonitate, & fide, & vita bona perſeverent. Hoc optant, hoc orant; quia ſi non perſeveraverint in vita bona, ſeparabuntur ab illo pane. Ergo, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, quid eſt? Sic vivamus, ut ab Altari tuo non ſeparemur „„.

VIII. Panis quotidianus, quem a Deo poſcimus, verbum etiam Dei Patres interpretantur. *S. Auguſt.* audiamus Serm. 56. alias *De Diverſis* 48. „„ Quia Panis noſter quotidianus eſt & Dei verbum.

(*inquit*) iſte panis viſibilis, & tractabilis datur, & bonis & malis, eſt panis quotidianus, quem petunt filii; ipſe eſt ſermo Dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noſter quotidianus eſt; inde vivunt non ventres, ſed mentes: neceſſarius nobis etiam nunc operariis in vinea; cibus eſt, non merces. Operario enim duas res debet qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat, & mercedem, unde gaudeat. Cibus noſter quotidianus in hac terra ſermo Dei eſt, qui ſemper erogatur Eccleſiis; merces noſtra poſt laborem vita æterna nominatur „„. *Et Sermone* 57 *alias de Diverſis* 9. „„ Et quod vobis tracto (*inquit*) panis quotidianus eſt; & quod in Eccleſia lectiones quotidie auditis, panis quotidianus eſt; & quod hymnos auditis, & dicitis, panis quotidianus eſt. Hæc enim ſunt neceſſaria peregrinationi noſtræ. Nunquid illuc, quando venerimus, codicem ſumus audituri? Ipſum verbum viſuri, ipſum verbum audituri, ipſum manducaturi, ipſum bibituri, quomodo Angeli modo. Nunquid Angelis codices ſunt neceſſarii, aut diſputatores, aut lectores? Abſit. Videndo legunt; vident enim ipſam veritatem, & illo fonte ſatiantur, unde nos irroramur „„.

Dei verbum quanta reverentia audiendum.

Quanta reverentia audiendum ſit Chriſti verbum, docet *S. Cæſarius*, Serm. 95. in Appendice Auguſtiniana 300. „„ Quid vobis plus eſſe videtur (*inquit*) verbum Dei, an Corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc utique dicere debetis, quod non ſit minus verbum Dei, quam Corpus Chriſti. Et ideo quanta ſolicitudine obſervamus, quando nobis Corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat; tanta ſolicitudine obſervemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro depereat; quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui Corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit „„.

Matth. 5.

Panis noſter quotidianus, quem aſſidue deſiderare, & petere a Deo debemus, juſtitia eſt: *Beati qui eſu-*

rient;

riunt, & ſitiunt juſtitiam. Juſtitia porro Chriſtus eſt: *Qui factus eſt nobis juſtitia, & ſapientia.* Cibus eſt, qui reficit, nec deficit; qui ſumitur, & non conſumitur; qui eſurientes ſatiat, & integer manet. Hunc cibum manducant, qui pie Dei verbum audiunt. Sed „ Bene manducat, & male digerit, qui audit verbum Dei, & non facit; non enim ducit utile ſuccum, ſed crudum ructat indigeſtione faſtidium „ (inquit S. Auguſt. Sermone 28. alias 7. editorum ex Carthuſiæ Miſſ.) In cœlis *Non erit aliquis Magiſter verbi, ſed Magiſtrum verbum*; in terris autem etſi alius ſit Prædicator verbi, alii auditores: „ „ Intus tamen, ubi nemo videt, omnes auditores ſumus; & omnes & foris, & intus in conſpectu Dei factores eſſe debemus. Unde intus factores? *Quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et poteſt eſſe mœchus nullo hominum vidente, ſed Deo puniente. Quis eſt ergo intus factor? Qui non ad concupiſcendum videt. Quis eſt foris factor? *Frange panem tuum eſurienti*; hoc enim cum fit, videt & proximus; ſed quo animo fit, non videt niſi Deus. *Eſtote ergo factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos*; non Deum, non eum, qui prædicat. Ego enim, vel quiſquis vobis prædicat verbum, cor veſtrum non videt; quid agatis intus in cogitationibus veſtris, judicare non poteſt. Quia homo non poteſt, intuetur Deus, cui cor humanum non poteſt occultari; ipſe videt, quo ſtudio audis, quid cogites, quid teneas, quid proficias de ſupplementis ſuis, quam inſtanter ores, quemadmodum deproceris Deum, ex eo quod non habes, quomodo gratias agas ex eo, quod habes; ille novit, qui exacturus eſt „ „. Verba ſunt S. Auguſt. Serm. 179. alias *de Diverſis* 27. Pane illo cœleſti paſci debent, eoque pariter indigent & illi, qui erogant. Nam (ut ibidem ait S. Auguſt.) „ Verbi Dei inanis eſt forinſecus Prædicator, qui non eſt intus auditor „ „.

1. Cor. 1.

Matth. 5.

Iſai. 58.

Jacobi 1.

Panis quotidiani nomine omnia ſubſidia ſpiritualia intelliguntur.

IX. Panis denique quotidiani nomine, quem a Deo poſtulamus, intelliguntur omnia ſubſidia ſpiritualia, quæ animæ noſtræ neceſſaria ſunt in dies, ſive *Gratia quotidiana*, ut vocat *Innocentius I.*

ARTICULUS VIII.

Orationis Dominicæ petitio quinta explicatur.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Cur peccata noſtra dicantur debita.

I. Peccata noſtra *debita* vocantur, quod illis tanquam ære alieno obſtricti divinæ juſtitiæ teneamur. Unde *Lucæ* cap. 11. eadem petitio his verbis enuntiatur: *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis.* Cum enimvero peccando abſtulerit homo debitum honorem, & obedientiam Deo, ejus legem violaverit, divinæ Majeſtati irrogaverit injuriam, ipſi ſatisfacere debet per pœnitentiam, aut pœnas invitus dare. „ „ A Deo *quippe* accipit natura peccatrix, ut ſit miſera, ſi non rectum fecerit; & beata, ſi fecerit. Quia enim nemo ſuperat leges omnipotentis Creatoris, non finitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo, quod accipit; aut reddit amittendo, quo bene uti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo juſtitiam, reddet patiendo miſeriam, quia in utroque verbum illud debiti ſonat. Hoc enim etiam modo dici potuit, quod dictum eſt, ſi non reddit faciendo, quod debet, reddet patiendo, quod debet. Nullo autem temporis intervallo iſta dividuntur, ut quaſi alio tempore non faciat, quod debet, & alio patiatur, quod debet, ne vel puncto temporis univerſalis pulchritudo turpetur, ut ſit in ea peccati dedecus ſine decore vindictæ Sicut enim, qui non vigilat, dormit; ſic quiſque non facit, quod debet, ſine intervallo patitur, quod debet; quoniam tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea niſi ad miſeriam poſſit abſcedere „ „ (*inquit S. Auguſt.*) Igitur, ſtatim atque peccavit homo, pœna obnoxius eſt ſatisfactioni; ſtatim di-

S. Auguſt. lib. 3. de Lib. arb. cap. 15.

divinæ juſtitiæ debitor eſt. Omne peccatum eſt iniquitas, pro qua juſtitiæ lege ſatisfieri debet, aut pœna dari. Quocirca peccata debita nuncupantur. & debitis aſſimilantur *Matth.* 18. propoſita parabola ſervi, qui Domino ſuo debebat decem millia talenta, quod debitum dominus liberaliter dimiſit, & alterius, cui conſervus debebat centum denarios, quos ille immiſericorditer exegit. Et Chriſtus de hominibus illis decem, & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloe ait, Lucæ 13. *Putatis, quia, & ipſi debitores fuerint prater omnes homines habitantes in Jeruſalem? Non dico vobis; ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Hinc *S. Cæſarius* Arelatenſis Epiſcopus viduam ære alieno obſtrictam, cujus oleum miraculo auxit Eliſæus, ut debita ſolveret, Eccleſiæ per Chriſtum a debitis peccatorum liberatæ figuram fuiſſe ait, Serm. 25. in Auguſtiniana Appendice 47. alias De Tempore 206. „„ Vidua iſta (*inquit*) debitum grave contraxerat, non ſolidorum, ſed peccatorum. Debitum habebat, & creditorem crudeliſſimum ſuſtinebat; quia ſe diabolo multis peccatis obnoxiam fecerat. Sic enim & Propheta prædixit: *In peccatis veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* Vidua ergo illa pro tam grandi debito captiva quodammodo tenebatur; captiva erat, quia Redemptor nondum venerat. Sed poſtea quam viduam iſtam verus Redemptor Chriſtus Dominus viſitavit, ab omnibus debitis liberam fecit. Unde enim illa vidua liberata ſit, videamus. Unde, niſi de augmento olei? In oleo miſericordia intelligitur. Ergo viduæ illi ideo debitum creverat, quia oleum miſericordiæ peccando perdiderat. Defecit oleum, & debitum crevit; crevit oleum, & periit debitum; creverat cupiditas, & periit charitas; rediit charitas, & periit iniquitas. Veniente vero Eliſæo Chriſto Domino, vidua, hoc eſt, Eccleſia, per augmentum olei, id eſt, donum gratiæ, & miſericordiæ, vel charitatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur „„. De iſto debito Chriſtus Dominus ore Pro- Iſai. 50.

Pſalm. 68. phetæ locutus eſt: *Quæ non rapui* (inquit) *tunc exolvebam.* Ex qua Salvatoris ſententia intelligitur, non ſolum nos debitores eſſe, ſed etiam non eſſe ſolvendo; cum peccator per ſe ſatisfacere nullo modo poſſit. Quare confugiendum nobis eſt ad Dei miſericordiam, & ad virtutem, ac meritum Paſſionis Jeſu Chriſti, a qua omnis ſatisfaciendi vis, & ratio, tanquam ex fonte profluxit, & ſine qua nemo unquam veniam peccatorum impetravit. Pretium igitur illud incomparabile a Chriſto Domino in cruce perſolutum, ubi Sanguine ſuo delevit chirographum, quod erat contrarium nobis, applicari nobis a Dei miſericordia rogamus his verbis: *Dimitte nobis debita nostra.* Ad Deum tanquam ad Patrem, non quaſi ad judicem confugimus, a quo, ut non ex juſtitia nobiſcum agat, ſed ex miſericordia, poſtulamus. Si enim iniquitates obſervaverit, quis ſuſtinebit? Sed apud ipſum miſericordia eſt, & copioſa redemptio. Oramus, inquam, ut non intret in judicium cum ſervis ſuis, ſed ineffabilem miſericordiam ſuam clementer oſtendat, qua ſimul nos, & a peccatis omnibus exuat, & a pœnis, quas pro his meremur, eripiat; ut alias etiam orat Eccleſia.

Confiteri debemus nos omnes reos eſſe Deo peccatorum plurimorum.

II. Ut autem petitionis iſtius fructum conſequamur, agnoſcere, & confiteri debemus imprimis nos omnes reos eſſe Deo peccatorum plurimorum, in quæ quotidie labimur. Neminem enim, Chriſto, & Deipara Virgine exceptis, aliquando fuiſſe, eſſe, aut futurum eſſe ita perfecte juſtum, ut ſine peccato fuerit, ſit, vel futurus ſit in hac vita, quæ tentatio eſt ſuper terram, dogma fidei eſt, verbo Dei firmatum. 3. Reg. 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Pſ. 142. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Pſ. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Eccl. 7. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Et cap. 24. *Septies enim*

ca-

cadit justus, & resurget. Jerem. 2. *Dixisti, Absque peccato & innocens ego sum; & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi.* Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joannis 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Hoc fidei dogma confirmant Patres; inter alios *S. Hieron.* in Epist. ad *Ctesiphontem*, & *S. August.* lib. 2. *De Peccatorum meritis, & Remissione*, cap. 10. & sequentibus usque ad 17. lib. *De Natura, & Gratia*, cap. 34. 36. 60. libro *De Gratia Christi*, cap. 48. & 49. lib. 4. Contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 10. & toto libro *De Perfectione justitiæ hominis.* Sic habet lib. *De Natura, & Gratia*, cap. 36. „ „ Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem... si omnes alios Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato: quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc, quod isse dicit (*scilicet Pelagius*) an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est?* An illud humilius fortasse responderent, quam verius? Sed huic jam placet, & recte placet: *Laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis.* Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum; quod humiliter, quia faterentur, veritas in eis esset; si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset „ „.

III. Objiciebant Pelagiani multa Scripturæ testimonia, quibus Deus homines ad sanctimoniam, & perfectionem adhortatur, & illud Davidis: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Pelagianorum argumentis respondetur. Psalm. 14.

figuram geſtabant, qui hanc neceſſitatem Sacerdos incontaminabilis non haberet. Itaque omnes quicunque in hac vita divinarum Scripturarum teſtimoniis in bona voluntate, atque actibus juſtitiæ prædicati ſunt, & quicunque tales, vel poſt eos fuerunt, quamvis non eiſdem teſtimoniis prædicati, atque laudati, vel nunc uſque etiam ſunt, vel poſtea quoque futuri ſunt, omnes magni, omnes juſti, omnes veraciter laudabiles ſunt, ſed ſine peccato aliquo non ſunt; quoniam Scripturarum teſtimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus: „„ Non juſtificari in conſpectu Dei omnem viventem; ideo rogari, ne intret in judicium cum ſervis ſuis; & non tantum univerſaliter fidelibus omnibus, verum etiam ſingulis eſſe orationem Dominicam neceſſariam, quam tradidit diſcipulis ſuis „„. Denique aliud eſt eſſe *ſine peccato* quod de ſolo in hac vita Unigenito dictum eſt, aliud eſſe *ſine querela*, quod de multis juſtis etiam in hac vita dici potuit; quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in iſta humana converſatione juſta querela eſſe non poſſit. Quis enim juſte quæritur de homine, qui nemini male vult, & quibus poteſt, fideliter conſulit, nec contra cujuſquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Et tamen eo ipſo, quo verum dicit: *Dimitte, ſicut & nos dimittimus*, ſine peccato ſe non eſſe declarat. S. Auguſt. lib. 2 de Peccator. mer. c. 14.

V. Neque favent Pelagianis verba illa Job 23. *Viam ejus cuſtodivi, & non declinavi a mandatis ejus, neque diſcedam.* Ut enim reſpondet *S. Auguſt.* lib. *De Perfectione juſtitiæ*, cap. 11. „„ Cuſtodit vias Dei, qui non ſic exorbitat, ut eas relinquat, ſed in eis currendo proficit; etſi aliquando ut infirmus offendit, aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perveniat, ubi ſine peccato ſit. Non enim aliter poteſt eo modo proficere, niſi cuſtodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini, atque diſcedit Apoſtata; non ille, qui etiamſi habeat peccatum, con-

confligendi tamen cum eo perſeverantiam non relinquit, donec eo perveniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit „ „.

VI. Non favent etiam Pelagianis verba illa Job 27. *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ut enim ibidem obſervat *S. Auguſt.* „ „ Tunc nos in iſta vita, in qua ex fide vivimus, non reprehendit cor noſtrum, ſi eadem fides, qua corde creditur ad juſtitiam, non negligit reprehendere peccatum noſtrum. Unde dicit Apoſtolus: *Non enim quod volo, facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago.* Rom. 7. Bonum eſt enim non concupiſcere, & hoc bonum vult juſtus, qui ex fide vivit, & tamen facit, quod odit, quia concupiſcit; quamvis poſt concupiſcentias ſuas non eat.. Ideo non eum reprehendit cor ejus in omni vita ejus; hoc eſt in fide ejus, quia juſtus ex fide vivit; & ideo fides ejus eſt vita ejus. Scit enim, quia non habitat in carne ejus bonum, ubi habitat peccatum; ſed non ei conſentiendo vivit ex fide, qua invocat Deum, ut adjuvetur pugnans contra peccatum; quod ut omnino ibi non ſit, adjacet ei velle, ſed perficere bonum non adjacet. Non facere bonum non adjacet, ſed perficere. Nam in eo, quod non conſentit, bonum facit; & in eo, quod odit concupiſcentiam ſuam, bonum facit; & in eo, quod eleemoſynas facere non ceſſat, bonum facit; & in eo, quod illi, qui in eum peccat, ignoſcit, bonum facit; & in eo, quod petit ſibi dimitti debita ſua, & veraciter dicit, quod dimittit etiam ipſe debitoribus ſuis, & orat, ut ne inferatur in tentationem, ſed liberetur a malo, bonum facit. Ei tamen perficere bonum non adjacet, quod tunc erit, quando illa concupiſcentia, quæ habitat in membris ejus, nulla erit. Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum, quod habitat in membris ejus, & non habet, quam reprehendat, infidelitatem ejus. Ita nec in vita ſua, id eſt, in fide ſua, a corde ſuo reprehenditur, & ſine peccato non eſſe convincitur. Quod & ipſe Job de ſe confitetur, ubi dicit: *Nihil te latuit peccatorum meorum. Signaſti ini-* Job 14.

qui-

quitates meas in ſæculo, & annotaſti; ſi quid invitus tranſgreſſus ſum „.

VII. Objiciebant Pelagiani verba illa Tobiæ: *Noli timere, fili, pauperem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus; ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tob. 4.

Reſpondet *S. Auguſt.* lib. *De Perfectione juſtitiæ*, cap. 13. In hac mortali vita dici non poſſe, quod hominum aliquis receſſerit ab omni peccato, ſed ſolum in altera. Hic juſti proficiunt, illic perfecti erunt, & in illa perfectione bonorum omnium cumulo perfruentur. „ Veriſſime (*inquit*) tunc erunt homini multa bona, cum receſſerit ab omni peccato. Nunc enim ei nulla erunt mala, ut opus habeat dicere: *Libera nos a malo.* Quamvis, & nunc omnis, qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quanto plenitudini juſtitiæ, perfectionique propinquior, quia & ipſa concupiſcentia, quod eſt peccatum habitans in carne noſtra, etſi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non deſinit in proficientibus. Aliud eſt ergo, recedere ab omni peccato, quod nunc eſt in opere; aliud eſt, receſſiſſe ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit „.

VIII. Objiciebant Pelagiani illud 1. Joannis 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Reſpondet *S. Auguſt.* Eum, qui ex Deo natus eſt, ea ratione nullum prorſus peccatum, ſive mortale, ſive veniale admittere, quamvis in peccata venialia interdum labatur, quatenus ex carne, & ſanguine natus eſt. „ Secundum id (*inquit*) quod ex Deo nati ſumus, in eo, qui apparuit, ut peccata tolleret, id eſt, in Chriſto, manemus, & non peccamus; hoc eſt autem, quod homo interior renovatur de die in diem; ſecundum autem, quod de homine illo nati ſumus, per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertran-

tranſit, ſine peccato non ſumus, quia ſine illius infirmitate nondum ſumus, donec illa renovatione, quæ fit de die in diem, quoniam ſecundum ipſam ex Deo nati ſumus, infirmitas tota ſanetur, in qua ex primo homine nati ſumus, & in qua ſine peccato non ſumus; cujus reliquiis in homine interiore manentibus; quamvis de die in diem minuantur in proficientibus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeduximus, & veritas in nobis non eſt.* Quamobrem in quantum Deo noſtro fide, ſpe, & charitate connectimur, & eum, in quantum poſſumus, imitamur, non peccamus, ſed filii Dei ſumus. In quantum autem ex occaſione carnalis infirmitatis, quia nondum morte reſoluta, nondum Reſurrectione mutata eſt, motus reprehenſibiles, improbique ſubrepunt, peccamus. Quod utique fateri nos convenit; ne dura cervice non languoris noſtri ſanitatem, ſed damnationem ſuperbiæ mereamur. Unde utrumque veriſſime ſcriptum eſt, & *: Qui natus eſt ex Deo, non peccat;* Et *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Illud enim ex primitiis novi hominis, hoc ex reliquiis veteris dictum eſt; utrumque enim agimus in hac vita. Paulatim autem novitas accedit, & paulatim vetuſtate cedente ſuccedit. Cum vero utrumque agitur, in ſtudio ſumus; nec ſolum percutimus adverſarium bonis operibus, ſed etiam peccata incautius vitando percutimur „„. Verba ſunt *S. Auguſt.* Serm. 351, alias 50. inter Homilias 50.

Nec venialia tantum, ſeu levia, ſed gravia, mortaliaque peccata committere poteſt, qui ex Deo natus eſt; illa quidem manendo in ſtatu juſtitiæ, iſta vero excidendo a felici illo ſtatu, & gratia adoptionis filiorum Dei. Hæc explicatio doctrinæ Patrum conſentanea eſt. *Tertull.* enim libro *de Pudicitia*, cap. 19. ubi duo diſtinxit genera delictorum, quædam quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſumus obnoxii; alia graviora, & exitialia, qualia ſunt idololatria, negatio, blaſphemia, homicidium, fraus, moechia,

chia, & ſi qua alia violatio legis Dei, ſubdit: „ Hæc „ non admittet omnino, qui natus ex Deo eſt; non „ futurus Dei filius, ſi admiſerit „ „. Et *S. Auguſt.* lib. 1. Contra *Gaudentium* Donatiſtam, cap. 30. ait: „ Quod non poteſt juſte, non poteſt juſtus; quoniam „ hoc quidem decernendo prius amittit juſtitiam, ut „ quod non poteſt juſtus, poſſit injuſtus „. Et lib. 83. quæſtionum, qu. 66. exponens illa verba Apoſtoli: *Prudentia carnis legi Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt*, ait, hæc verba idem ſignificare, ac ſi diceretur: Nix non calefacit, nec enim poteſt. Quamdiu ſcilicet nix eſt, non calefacit; ſed reſolvi poteſt, & fervere, ut calefaciat; ſed cum hoc facit, jam nix non eſt. Sic anima Deo ſubjecta eſſe non poteſt, quamdiu pro magnis & ſpiritualibus bonis temporalia bona concupiſcit, quæ prudentia carnis eſt; ſed Deo ſubjecta erit, cum ſpiritualia bona deſiderare cœperit, & temporalia contemnere, quæ prudentia eſt ſpiritus. Ita qui ex Deo natus eſt, non peccat, ſed nec peccare poteſt lethaliter, quatenus ex Deo natus; cum autem peccabit eo genere peccati, quod charitatem extinguit, filius Dei eſſe deſinet. Et hæc quidem expoſitio gemina eſt illi, qua ſimiles Scripturæ ſacræ ſententiæ, neceſſario exponendæ ſunt, & vulgo a ſacris interpretibus exponuntur; ut illa Chriſti Domini ſententia, Matth. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; cujus ſenſus eſt, non poſſe bonam voluntatem, quatenus bona eſt, & in ſua integritate permanet, mala opera edere; quamvis ab illo ſtatu mutari poſſit, & malos fructus, ſive mala opera producere, cum depravata fuerit, & in arborem malam degeneraverit. Sic exponitur & illa ſententia Apoſtoli 1. ad Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Senſus eſt, non poſſe intelligere, quamdiu animalis manet & ſenſibus, atque cupiditatibus addictus eſt; quamvis facile intelligat, ſi in virum ſpiritalem evaſerit. Rom. 8.

IX. Objiciebant Pelagiani omnia ſcripturæ teſtimo-

monia, quibus probatur esse præceptum homini; ut sine peccato sit; non esset porro præceptum, si esset impossibile.

Respondet *S. August.* lib. *de Perfectione justitiæ*; cap. 8. Id esse revera præceptum hominibus, nec tamen sequi, quod impleri possit in corpore mortis hujus, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: „ Quamdiu ergo peregrinantes a Domino per fidem ambulamus, non per speciem, unde dictum est: *Justus ex fide vivit*; hæc est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena, & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus; castigando corpus nostrum, & servituti subjiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis; & dimittendis, quæ in nos sunt commissa, peccatis, hilariter, & ex corde faciendo; & orationibus indesinenter instando; & hæc faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Hæc est nunc nostra justitia, qua currimus esurientes, & sitientes ad perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ut ea postea saturemur „. Sed quia in his ipsis operibus justitiæ quædam labeculæ subrepunt tanto magis, quanto minus quisque, & tanto minus, quanto magis profecerit: „ Merito in oratione dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris!* Si tamen, quod dicimus, & faciamus; ut vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondum facit, pœnitenti tamen, quod in eum quisque peccavit, & veniam petenti, ex intimo cordis ignoscat, si vult, ut ejus orationem Pater cœlestis exaudiat. In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciat vita Justorum, quia ex fide vivunt, & perfecte currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt, *Dimitte nobis*, quia nondum, quo curritur, pervenerunt „. Præceptum certe dilectionis Dei nonnisi in futura vita perfectissime implebitur, cum

Rom. 1.

nulla

nulla lex erit in membris repugnans legi mentis. Tunc prorſus toto corde, tota anima, tota mente Juſtus diligit Deum, quod eſt primum, ſummumque præceptum. „„ Cur ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, ſi, quo currendum eſt, neſciatur; quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur „„?

X. Verum (inquies) Deus vult hominem eſſe ſine peccato; itaque ſine peccato eſſe poteſt. Deinde, niſi juſti vitare poſſent omnia peccata venialia, libere non peccarent. Tandem ſequeretur, peccandi neceſſitatem quamdam hominibus etiam juſtis ineſſe.

Reſpondetur, velle quidem Deum optimum maximum, ut homo ſit ſine peccato, & inde ſequi, quod ſine peccato eſſe poſſit, partim in hac vita, partim in altera; in hac quidem ſine peccato quovis damnabili, & mortali, & ſine plurimis venialibus; non tamen ſine omni prorſus peccato veniali. Interior enim homo noſter renovatur de die in diem divinæ gratiæ beneficio ſanantis infirmitates noſtras; ſed tamen perfectam ſanitatem hic non conſequimur. „„ Tunc ergo erit perfecta juſtitia, quando plena ſanitas, tunc plena ſanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis charitas; tunc autem plena charitas, quando videbimus eum, ſicuti eſt. Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem „„ (*inquit S. Auguſt.* libro *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 3.)

Poſſunt autem juſti vitare ſingula peccata venialia, quod ſufficit, ut liberrime peccent, quamvis omnia vitare non valeant, ut docet Theologorum Princeps. „„ Non poteſt (*inquit*) homo abſtinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt, non autem omnes. Quia dum uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit; & etiam quia ratio non poteſt ſemper eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos „„. S. Th 1. 2. q 109. ar. 8.

Cuidam revera peccandi venialiter neceſſitati hypotheticæ, & morali juſtos eſſe obnoxios, quamdiu in corpore mortis hujus verſantur, non diffitendum eſt, quæ tamen neceſſitas, cum humana libertate facile cohæret, ut explicat *S. Auguſt.* libro *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 4. „„ Reſpondetur (*inquit*) per arbitrii libertatem factum, ut eſſet homo cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate facit neceſſitatem. Unde ad Deum fides clamat: *De neceſſitatibus meis educ me*: Sub quibus poſſi; vel non poſſumus, quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipſa libertas credentibus a liberatore promittitur: *Si vos* (inquit) *Filius liberavit, tunc vere liberi eritis*; victa enim vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate naturæ. Hinc alia Scriptura dicit: *A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Sicut ergo non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus; ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis, ut ei dicat gratulatio libertatis: *Salvam feciſti de neceſſitatibus animam meam.* Ipſa enim ſanitas eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permaniſſet voluntas. Quia vero peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua ſicut neceſſe eſt, permaneat beate vivendi voluntas, ita ut ſit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas „„.

Pſalm. 24.

Joan. 8.

2. Petri 2.

Pſal. 36.

XI. Objiciebant Pelagiani, Deum juſte non imputare peccata, ſi vitari omnia non poſſint.

Reſpondet *S. Auguſt.* lib. *De Perfectione juſtitiæ*, cap. 6. Deum non imputare peccata his, qui fideliter ei dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et juſte non imputat, quia juſtum eſt, quod ait: *In qua menſura menſi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum eſt autem: „„ Cum vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit; quia ſi poteſt, prætens volun-

Matth. 7.

luntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hæc fecit, & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur „„.

XII. Pelagianorum errorem, quo contendebant, eſſe in hac vita vel fuiſſe juſtos nullum omnino habentes peccatum, refellit rurſus *S. Auguſt.* lib 4. ad *Bonifacium* cap. 10. teſtimoniis luculentiſſimis *S. Cypriani*, & *Ambroſii*. Illud *S. Cypriani* prætermittere non poſſum in Tractatu de oratione Dominica: „„ Poſt ſuperſidium cibi (*inquit*) petitur & venia delicti, ut qui a Deo paſcitur, in Deo vivat, nec tantum præſenti, & temporali vitæ, ſed & æternæ conſulatur, ad quam veniri poteſt, ſi delicta donentur, quæ debita Dominus appellat, ſicut in Evangelio ſuo dicit: *Dimiſi tibi omne debitum, quia me rogaſti.* Quam Matth. 18.
neceſſarie autem, quam providenter, & ſalutariter admonemur, quod peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia a Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur: ne quis ſibi quaſi innocens placeat, cum innocens nemo ſit, & ſe extollendo, plus pereat, inſtruitur, & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in Epiſtola ſua monet dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,* 1. Joan. 1.
nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. In Epiſtola ſua utrumque complexus eſt, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam, cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem policitationis ſuæ reſervantem. Quia qui orare nos pro peccatis, & debitis docuit, paternam miſericordiam promiſit, & veniam ſecuturam „„.

XIII. Africana denique Synodus a Sede apoſtolica confirmata, Pelagianum errorem, Catholicæ, quam expoſuimus, veritati contrarium damnavit Canonibus 6. 7. & 8. ex iis, qui Synodi Milevitanæ nomi-

Cuidam revera peccandi venialiter neceſſitati hypotheticæ, & morali juſtos eſſe obnoxios, quamdiu in corpore mortis hujus verſantur, non diffitendum eſt, quæ tamen neceſſitas, cum humana libertate facile cohæret, ut explicat *S. Auguſt.* libro *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 4. „ Reſpondetur (*inquit*) per arbitrii libertatem factum, ut eſſet homo cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate facit neceſſitatem. Unde ad Deum fides clamat: *De neceſſitatibus meis educ me*: Sub quibus potiùs; vel non poſſumus, quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipſa libertas credentibus a liberatore promittitur: *Si vos* (inquit) *Filius liberavit, tunc vere liberi eritis*; victa enim vitio, in quod cecidit voluntate, caruit libertate naturæ. Hinc alia Scriptura dicit: *A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* Sicut ergo non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus; ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis, ut ei dicat gratulatio libertatis: *Salvam feciſti de neceſſitatibus animam meam.* Ipſa enim ſanitas eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia vero peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua ſicut neceſſe eſt, permaneat beate vivendi voluntas, ita ut ſit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas „.

Pſalm. 24.

Joan. 8.

2. Petri 2.

Pſal. 30.

XI. Objiciebant Pelagiani, Deum juſte non imputare peccata, ſi vitari omnia non poſſint.

Reſpondet *S. Auguſt.* lib. *De Perfectione juſtitiæ*, cap. 6. Deum non imputare peccata his, qui fideliter ei dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et juſte non imputat, quia juſtum eſt, quod ait: *In qua menſura menſi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Peccatum eſt autem: „ Cum vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit; quia ſi poteſt, prætens vo-

Matth. 7.

lun-

luntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hæc fecit, & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur „„.

XII. Pelagianorum errorem, quo contendebant, eſſe in hac vita vel fuiſſe juſtos nullum omnino habentes peccatum, refellit rurſus *S. Auguſt.* lib 4. ad *Bonifacium* cap. 10. teſtimoniis luculentiſſimis *S. Cypriani*, & *Ambroſii*. Illud *S. Cypriani* prætermittere non poſſum in Tractatu de oratione Dominica: „„ Poſt ſubſidium cibi (*inquit*) petitur & venia delicti, ut qui a Deo paſcitur, in Deo vivat, nec tantum præſenti, & temporali vitæ, ſed & æternæ conſulatur, ad quam veniri poteſt, ſi delicta donentur, quæ debita Dominus appellat, ſicut in Evangelio ſuo dicit: *Dimiſi tibi omne debitum, quia me rogaſti.* Quam Matth. 18.
neceſſarie autem, quam providenter, & ſalutariter admonemur, quod peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia a Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur: ne quis ſibi quaſi innocens placeat, cum innocens nemo ſit, & ſe extollendo, plus pereat, inſtruitur, & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in Epiſtola ſua monet dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,* 1. Joan. 1.
nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. In Epiſtola ſua utrumque complexus eſt, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam, cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem policitationis ſuæ reſervantem. Quia qui orare nos pro peccatis, & debitis docuit, paternam miſericordiam promiſit, & veniam ſecuturam „„.

XIII. Africana denique Synodus a Sede apoſtolica confirmata, Pelagianum errorem, Catholicæ, quam expoſuimus, veritati contrarium damnavit Canonibus 6. 7. & 8. ex iis, qui Synodi Milevitanæ nomi-

ne inſcribuntur. Octavus his verbis conceptus eſt: „ Quicunque verba Dominicæ orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ dimittantur, ſe debita non habere „?

Idem dogma firmavit ſacra Synodus Tridentina, ſeſſ. 6. Can. 23. cujus hæc ſunt verba: „ Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuiſſe juſtificatum; aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit „.

Non ſolum nobis ſed proximis noſtris peccata ſua condonari ſupplices rogamus.

XIV. His itaque Orationis dominicæ verbis: *Dimitte nobis debita noſtra*, nos peccatores, non ſolum humiliter, ſed etiam veraciter confitemur. Quod autem rogamus, *Dimitte nobis*, admonemur in hoc fraternæ charitatis, ut non minore mentis fervore, ac devotione petamus proximis noſtris delicta ſua ignoſci, quam nobis noſtra condonari ſupplicamus. Quin & majori, ac ferventiori charitate veniam aliis rogaſſe Sancti videntur, quam ſibi, ſuæque ſalutis pene fuiſſe immemores, ut aliorum ſalutem procurarent, atque a Deo precibus impetrarent. Hoc ſpiritu charitatis accenſus S. Paulus pro Iſraelitarum ſalute orabat: *Veritatem* (inquit) *dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto; quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ.* Eodem ſpiritu Moyſes orabat pro populo idololatriæ reo: *Obſecro* (inquit) *peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.*

Rom. 9.

Exod. 32.

Di-

Dicimus autem debita noſtra, longe aliter, ac dicimus antea, *Panem noſtrum*: noſter enim ille eſt panis, quia nobis Dei munere tribuitur, ſed noſtra ſunt peccata, quia in nobis ſunt ex nobis ipſis, & non a Deo; quo auctore nemo ſit deterior. Peccatum ex nobis.

Dimitte nobis debita noſtra, dicimus, & dicamus, quia verum dicimus. Quis enim hic vivit in carne, & non habet debita? Quis eſt homo ſic vivens, ut ei non ſit iſta oratio neceſſaria? Inflare ſe poteſt, juſtificare non poteſt. Bonum eſt illi, ut imitetur Publicanum, nec tumeſcat ſicut Phariſæus, qui aſcendit in templum, & jactavit merita ſua, texit vulnera ſua. Ille autem ſcivit, quare aſcenderit, qui dicebat: *Domine propitius eſto mihi peccatori.* Hoc Dominus Jeſus orare docuit diſcipulos ſuos, illos magnos primos Apoſtolos ſuos, arietes noſtros. „ „ Si ergo pro peccatis ſuis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere, de quibus dictum eſt: *afferte Domino filios arietum?* Remiſſio peccatorum una eſt, quæ ſemel datur, alia, quæ quotidie datur. Remiſſio peccatorum una eſt, quæ ſemel datur in ſancto Baptiſmate; alia, quæ quamdiu vivimus hic, datur in Dominica oratione „ „; propter quod dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et baptizati ſumus, & debitores ſumus, non quia aliquid remanſit, quod nobis in Baptiſmo non dimiſſum fuerit; ſed quia vivendo contrahimus, quod quotidie dimittatur. „ „ Qui baptizantur, & exeunt, ſine debito aſcendunt, ſine debito pergunt. Qui autem baptizantur, & tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etſi non naufragatur, tamen oportet, ut ſentinetur; quia ſi non ſentinatur, paulatim ingreditur, unde tota navis mergatur. Et hoc orare, ſentinare eſt. Non tantum autem debemus orare, ſed & eleemoſynam facere; quia quando ſentinatur, ne navis mergatur; & vocibus agitur, & manibus. Vocibus agimus, cum dicimus: *Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Manibus autem agimus, cum facimus: *Frange eſurienti panem tuum, & egenum* Iſai. 58.

S. Auguſt. Serm. 58. alias 22 inter Homilias 19.

Luc. 18.

Quotidiana remiſſio peccatorum.

Pſal. 28.

Eccl. 29. *sine tecto induc in domum tuam. Include eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit ad Dominum.* Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis „ „. Verba sunt *S. August.* Sermone 56. alias *De Diversis*, 48.

Peccata quotidiana, & levia Dominica oratione mundantur.

XV. Peccata ergo quotidiana, & levia Dominica oratione mundantur, si omnino displiceant, eorumque deponatur affectus, nec ore duntaxat, sed animo vere pœnitenti dicamus Deo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* Unde *S. August.* in *Enchiridio*, cap. 71. ait: „ „ De quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in cœlis*, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata „ „. Gravia vero, mortiferaque peccata, quæ ab Apostolo, & a Patribus crimina vocantur: *Quæ non admittit bonæ fidei, & spei Christianus* (ut *S. August.* loquitur) sola oratione Dominica non purgantur, sed uberioribus fletibus graviorisque, ac diuturnioris satisfactionis labore opus est, atque imprimis pœnitentiæ Sacramento, re, vel certe desiderio, suscepto. Conducit tamen Dominica oratio ad impetrandam etiam lethalium peccatorum veniam; cum peccator deposito hujusmodi criminum affectu, sinceroque dolore compunctus, quod Deum optimum, amantissimumque Patrem offenderit, ipsum ut filius diligere incipiens, ad eumque instar Prodigi reversus, & deinceps illum colere, super omnia diligere, eique in omnibus obsequi apud se statuens, ait: *Pater, peccavi in cælum, & coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus.* Hinc *S. August. in Enchiridio*, post verba mox citata subdit: „ „ Delet & illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit; si quemadmodum veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam

Luc. 15.

non

non desunt, quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: id est, si fiat, quod dicitur, quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere „ „

Et lib. 21. *De Civit. Dei*, cap. 27. „ „ Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus, unde & Dominica nominatur, delet quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, atque id quod sequitur, non solum dicitur, sed etiam fit, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet juste in hujus vitæ caligine, atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare, & eis, qui in nos peccant, ut & nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait: *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater vester peccata vestra*, ut de hac oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentia, qua non timeremus hominum leges, vel astutia, qua homines falleremus; sed ut per illam disceremus, non putare nos esse sine peccatis, etiamsi a criminibus essemus immunes; sicut etiam legis veteris Sacerdotes hoc ipsum Deus de Sacrificiis admonuit, quæ jussit eos primum pro suis, deinde pro populi offerre peccatis. Nam & ipsa verba tanti Magistri, & Domini nostri vigilanter intuenda sunt. Non enim ait: Si dimiseritis peccata hominibus, & Pater vester dimittet vobis, qualiacunque peccata, sed ait: *Peccata vestra*. Quotidianam quippe orationem docebat, & justificatis utique discipulis loquebatur. Quid est ergo: *Peccata vestra* nisi peccata, sine quibus nec vos eritis, qui justificati, & sanctificati estis? Ubi ergo illi, qui per hanc orationem occasionem perpetrandorum quotidie scelerum quærunt, dicunt, Dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit: Dimittet vobis parva, sed *Peccata vestra*; ibi nos considerantes qualibus loquebatur, & audientes dictum; Matth. 6.

Peccata veſtra, nihil aliud debemus exiſtimare, quam parva, quoniam talium jam non erant magna. Verumtamen nec ipſa magna, a quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum eſt, dimittuntur orantibus, niſi fiat, quod ibi dicitur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Si enim minima peccata, ſine quibus non eſt etiam vita juſtorum; aliter non remittuntur; quanto magis multis, & magnis criminibus involuti, etiamſi ea perpetrare jam deſinant, nullam indulgentiam conſequuntur, ſi ad remittendum aliis, quod in eos quiſque peccaverit, inexorabiles fuerint, cum dicat Dominus: *Si autem non dimiſeritis hominibus, neque Pater veſter dimittet vobis* „.

Et libro 1. ad *Bonifacium*, contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 14. „ Quidquid (*inquit*:) parit nunc iſta concupiſcentia, ſi non ſint illi partus, qui non ſolum peccata, verum etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidianæ orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut dimittimus*, & eleemoſynarum ſinceritate *mundatur*. Neque enim quiſquam ſic deſipit, ut dicat ad baptizatos dominicum
Luc. 6. illud non pertinere præceptum: *Dimittite & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis.* Nullus autem in Eccleſia recte poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet
Tit. 2. Apoſtolus: *ſi quis ſine peccato*, ubi ait: *Si quis ſine crimine eſt*; aut ſi dixiſſet: *Nullum peccatum haben-*
1. Tim. 3. *tes*; ubi ait: *Nullum crimen habentes.* Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adverſum nos inſientur, & diſrumpantur inſania; non quia aliquid peccati remanet quod in Baptiſmate non remittatur; ſed quia a nobis in hujus vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quieſcunt, quæ fideliter orantibus, & miſericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc eſt Fidei catholicæ ſanctitas, quam ſanctus ubique ſeminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas, & præſumptio ſpiritus „.

XVI.

XVI. Poſtulationi veniæ conditionem adjicimus ex inſtitutione Chriſti: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Igitur ſi volumus Deum nobis veniam concedere delictorum, parcamus illis neceſſe eſt, a quibus injuriam accepimus. Ad injuriarum oblivionem, & condonationem, ad inimicorum dilectionem, & lex Chriſti jubentis, & exemplum, & propoſita merces, nempe dignitas filiorum Dei, & pacti neceſſaria obſervantia, ut dimittamus ſi dimitti nobis a Deo volumus, nos obſtringunt, & invitant. Adjunxit Chriſtus, & addidit legem: „ Certa nos conditione, & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus, ſcientes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus. Idcirco & alio in loco dicit: *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.* Et qui ſervus poſt dimiſſum ſibi a Domino omne debitum conſervo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur; quia indulgere conſervo ſub noluit, quod ſibi a Domino indultum fuerat, amiſit. Quæ adhuc fortius Chriſtus in præceptis ſuis majore cenſuræ ſuæ vigore proponit: *Cum ſteteritis* (inquit) *ad orationem, remittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittat peccata veſtra vobis; ſi autem vos non remiſeritis, neque Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra.* Excuſatio tibi nulla in die judicii ſupereſt, cum ſecundum tuam ſententiam judiceris; & quod feceris, hoc & ipſe patiaris. Pacificos enim, & concordes, atque unanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit; & quales nos fecit ſecunda nativitate tales vult renatos perſeverare, ut qui filii Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus Spiritus unus eſt, unus ſit & animus, & ſenſus. Sic nec Sacrificium Deus recepit diſſidentis, & ab Altari revertentem prius fratri reconciliari juſſit, ut pacificis precibus & Deus poſſit eſſe pacatus. Sacrificium Deo major eſt pax noſtra, & fraterna concor-

Injuriarum condonatio conditio eſt adjecta poſtulationi veniæ.

S. Cypr. lib. de Or. Dom.

Matth. 7.

Marci 11.

dia, & de unitate Patris, & Filii, & Spiritus ſancti plebs adunata. Neque enim in ſacrificiis, quæ Abel, & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, ſed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus, & juſtus, dum Deo ſacrificat innocenter, docuit & cæteros, quando ad Altare munus offerunt, ſic venire cum Dei timore, cum ſimplici corde, cum lege juſtitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille, dum in ſacrificio Dei talis eſt, ipſe poſtmodum ſacrificium Deo factus eſt, ut Martyrium primus oſtendens, initiaret ſanguinis in gloria dominicam Paſſionem, qui & juſtitiam Domini habuerat, & pacem. Tales Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino vindicabuntur. Cæterum diſcordans & diffidens, & pacem cum fratribus non habens, ſecundum quod B. Apoſtolus, & Scriptura ſancta teſtatur, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit evadere, quia, ſicut ſcriptum eſt: *Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt*; non poteſt eſſe cum Chriſto, qui imitator Judæ maluit eſſe, quam Chriſti. Quale delictum eſt, quod nec Baptiſmo Sanguinis poteſt ablui? Quale crimen eſt, quod Martyrio non poteſt expiari „ „? (*Verba ſunt S. Cypriani.*)

5. Joan. 3.

Pactum cum Deo facimus in oratione.

Quotidie ergo dicamus, & corde vero dicamus, & quod dicimus, faciamus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Sponſionem facimus cum Deo, pactum, & placitum. Hoc tibi dicit Dominus tuus: Dimitte, & dimitto; non dimiſiſti; tu contra te tenes, non ego. Habetis inimicos? Diligite illos. Nullo modo tibi poteſt nocere ſæviens inimicus, quantum tibi noces, ſi non diligis inimicum. Ille enim nocere poteſt, aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut ſervo tuo, aut filio tuo, aut conjugi tuæ, aut ut multum, ſi illi data fuerit poteſtas, carni tuæ? Nunquid, quomodo tu, animæ tuæ? *Diligite inimicos veſtros.* Primo credite poſſe fieri; & orate, ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodeſt malum inimici tui? Si malum nullum habe-

haberet, nec inimicus tuus eſſet. „ „ Bonum illi opta, finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim inimica eſt tibi in illo natura humana ſed culpa. Omittamus originem primam. Deus Pater, Eccleſia mater; ergo nos fratres „ „. Sed inimicus meus Paganus eſt. Judæus eſt, hæreticus eſt. Saulus inimicus erat Eccleſiæ, oratum eſt pro illo, factus eſt amicus. Non tolum deſtitit eſſe perſecutor, ſed laboravit, ut eſſet adjutor. Oratum eſt contra illum; ſed contra ejus malitiam, non naturam. „ „ Ora & tu contra malitiam inimici tui; illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quaſi inimico caruiſti, ſed nec amicum inveniſti. Si autem mortua fuerit malitia ejus; & inimicum amiſiſti, & amicum inveniſti. *Dimittite, & dimittetur vobis; quod ſi non feceritis, peribitis.* Quid trahis ſemper cor in terra? Audi, *Surſum cor*, extende, dilige inimicos. Si non potes diligere lævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem, qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignoſce mihi; tunc ſi non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo, ſed deleberis de libro Dei „ „. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Sermone 56. alias *de Diverſis* 68.

XVII. Verum (inquies) ſi veniam delictorum ea conditione a Deo poſtulamus, ut ipſi dimittamus injurias iis, qui nos offenderunt, & inimicos noſtros diligamus, ſi injuriarum immemores eſſe oportet; quis poterit Dominicam orationem dicere, cum maxima pars Chriſtianorum, etiam Deum timentium, injurias voluntaria oblivione conterere non poſſit, & omnem vindictæ appetitionem extinguere?

Reſpondetur, etſi caro concupiſcat adverſus ſpiritum, & carnalis appetitus ſit ad ultionem proclivis; ſi tamen ſpiritus adverſus carnem concupiſcat, ſi ratio, & voluntas Dei præcepto ſubdita, & inchoata ſaltem charitate inſtructa, corruptæ naturæ appetitionibus reluctetur, & injuriarum obliviſci ſincere velit, atque dimittendi proximo puriorem affectum, ſeu majorem charitatem a Deo ſibi dari deſideret, hu-

humiliterque poſtulare velit, poſſe, qui ita eſt affectus, orationem Dominicam recitare, ac dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nam præterquam qpod totius Eccleſiæ nomine hæc dicuntur, in qua plures ſunt pietate & charitate inſignes, qui ſævientibus etiam inimicis injurias ex animo remittunt; id a Deo petentes, rogamus, quidquid ad illud impetrandum neceſſarium eſt, ſcilicet veræ pœnitentiæ, & charitatis dona, adeoque & bonam voluntatem erga eos, qui nos quovis modo læſerunt. Si ſoli debent dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, qui diligunt inimicos, neſcio, quid faciam, neſcio quid dicam (inquit *S. Auguſt.*) Dicturus enim vobis ſum: Si non diligitis inimicos veſtros, nolite orare? Non audeo: *Imo ut diligatis, orate.* Sed nunquid vobis dicturus ſum, ſi non diligitis inimicos veſtros, nolite in oratione Dominica dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?* Puta quia dico, Nolite dicere? „ Si non dixeritis, non dimittuntur; ſi dixeritis, & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum eſt, & faciendum, ut dimittantur „. Maximum hoc eleemoſynæ genus eſt, inimicis parcere, ut oſtendit *S. Auguſt.* in *Enchiridio*, cap. 72. 73. & 74. Ad omnia ſane, quæ utili miſericordia fiunt, valet, quod Dominus ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* „ Non ſolum ergo, qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægroto, vel incluſo viſitationem, captivo redemptionem, debili ſubvectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti conſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læſus, aut offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non ſolum

Orandum ut inimicos diligamus.

S. Auguſt. Ser. 5. alias de Diverſis 42.

Inimicis parcere, maximum eleemoſynæ genus.

Lucæ 11.

„ lum in eo, quod dimittit, atque orat; verum etiam „ in eo, quod corripit & aliqua emendatoria pœna „ plectit, eleemoſynam dat, qua miſericordiam præ„ ſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando „ eorum conſulitur utilitati, non voluntati; quia ipſi „ ſibi inveniuntur eſſe inimici, amici vero eorum „ potius illi, quos inimicos putant, & reddunt er„ rando mala pro bonis, cum reddere mala Chriſtia„ nus non debeat nec pro malis. „„ Multa itaque genera ſunt eleemoſynarum, quas, cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur noſtra peccata; ſed ea nihil eſt majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccavit. Minus enim magnum eſt erga eum eſſe benevolum, ſive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit; illud multo grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult; & ſi poteſt facit, ut bonum ſemper velis, faciaſque, cum poſſis, audiens dicentem Deum: *Diligite inimicos veſtros, benefacite eis, qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos perſequuntur.* Sed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei; quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, ſecumque agendo, luctandoque perducere; tamen, quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;* proculdubio verba ſponſionis hujus implentur, ſi homo, qui nondum ita profecit, ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde; quia etiam ſibi roganti utique vult dimitti, cum orat, & dicit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: id eſt, Sic dimitte debita noſtra rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris. Jam vero, qui eum in quem peccavit, hominem rogat, ſi peccato ſuo monetur, ut roget, non eſt adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere ſit difficile, ſicut Matth. 5.

diffi-

Et ſi videtis iram veſtram ſtare adverſus vos, rogate contra illam Deum; faciat te Deus victorem tui, faciat te Deus victorem non inimici forinſecus tui, ſed intrinſecus animi tui „ „.

ARTICULUS IX.

Orationis Dominicæ petitio ſexta explicatur: Et ne nos inducas in tentationem.

Gratiæ quotidianum adjutorium ad tentationes vincendas neceſſarium.

I. Propter præterita peccata dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; propter illa, in quæ poſſumus incidere, dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Ad non peccandum enim arbitrii poteſtas non ſufficit, niſi adjuvetur infirmitas. Non peccare ſanctificationis eſt, hoc eſt, divini muneris per Spiritum ſanctum. Dogma fidei eſt: „ „ Neminem etiam baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei „ „ (ut habetur in Capitulis Sedis apoſtolicæ, adnexis Epiſtolæ *Cæleſtini I.* ad Epiſcopos Galliæ.) „ Neceſſe eſt enim, ut quo „ auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur „ „ (inquit *Innocent. I.* in Epiſtola ad Concilii Carthaginenſis Patres.) Hinc *S. Auguſt.* libro *de Natura, & Gratia*, cap. 67. „ „ Poteſt (*inquit*) peccatum caveri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli. Nam & hoc ipſum ad cavendum peccatum pertinet, ſi veraciter dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, & ut non accidat, & ut ſi acciderit, cito ſanetur; ut non accidat, caveamus dicendo: *Ne nos inferas in tentationem*; ut cito ſanetur, caveamus dicendo: *Dimitte nobis debita noſtra.* Jam vero, cum dicunt Sancti: *Ne nos inferas in tentationem*; quid aliud, quam ut in ſanctitate perſeverent, precantur? Nam profecto conceſſo ſibi iſto Dei dono, quod eſſe Dei donum, cum ab illo poſcitur, ſatis, aperteque monſtratur;

tur; isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei, quod orat, ut non inferatur; utique in sanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit „„. Verba sunt S. *Augustini*. lib. *de Dono Perseverantiæ*, cap. 5. & cap. 6. „„ Imperavit Deus, ut ei Sancti ejus dicant orantes: *Ne nos inferas in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc petens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim, voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat; & si exaudimur, utique non fit: quia Deus non permittit, ut fiat. Potens ergo est, & a malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum ingressum... Cui non frustra dicitur: *Ne nos inferas in tentationem*; nam quisquis in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur; & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur „„.

Multiplex acceptio vocis istius tentatio.

II. Ut autem petitionis istius sensus magis explicetur, vis istius verbi, *Tentare*, imprimis exponenda est. Tentare, est periculum de aliquo facere; sed quia variis modis de aliquo periculum fieri, sive experimentum sumi potest, varia quoque acceptio est vocis istius, *Tentatio*. Quemadmodum enim aliter tentat discipulum præceptor, aliter Sophista; ille ut erudiat, iste ut decipiat; ille ad exercitationem, iste ad illusionem; ita Deus homines tentare dicitur, quorum virtutem probat, seu explorat, non quasi nescius intimorum animi sensuum, propensionum, & affectionum, sed ut aliis illorum virtutem perspectam, & notam faciat ad exemplum; utque omnes ob id ipsum Deum laudent, ejusque Majestati gratias agant.

Sunt

Sunt enim plurimi, qui multum in chriſtiana perfectione ſe provectos putant, ſeque Deo firmiter adhærere, eumque diligere confidunt, priuſquam ſui periculum fecerint. At cum adverſitatis procellæ a Deo immiſſæ fuerint, vel permiſſa diaboli tentatio, tum demum diſcunt experimento ſuo, quam longe abſint a perfectione juſtitiæ. Tentantur ergo, ut ſibi ipſis cogniti fiant, utque erudiantur, ac probentur. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit* (inquit Sapiens.) Hanc tentandi rationem bonam eſſe, & ſolum Deo convenire certum eſt. Unde Deut. 13. dicitur: *Tentet vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum.* Sic legimus Abraham eſſe tentatum, ut filium immolaret: *Tentavit Deus Abraham*; obedientiaque ſua, religione, fide gloriam immortalem apud Deum, & apud homines promeritus eſt. Sic Job tentatus a Deo eſt, ut virtus ejus eluceſceret, fieretque exemplum patientiæ ſingulare ad memoriam hominum ſempiternam. Ita ſe tentari David rogabat: *Proba me, Domine, & ſcito cor meum; interroga me, & cognoſce ſemitas meas. . . Proba me, Domine, & tenta me.* Eodem ſenſu *de Tobia* dictum eſt: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Sic tentare dicitur ſuos Deus, cum inopia, morbo, & aliis calamitatum generibus premit, quod probandæ eorum patientiæ cauſa facit, & ut aliis ſint exemplum chriſtiani officii. Hinc *Jacobi* 1. ſcriptum eſt: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. . . . Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* De iſto tentationis genere *S. Auguſt.* Enarration. in Pſalm. 36. Ser. 1. „„. Fortaſſe (*inquit*) ipſe Abraham nondum noverat, quas vires haberet fides ejus (unuſquiſque enim ſe tentatione tanquam interrogatus agnoſcit:) ſicut Petrus, quas vires haberet fides ejus, utique neſciebat, quando dixit Domino:

Eccl. 34.
Gen. 22.
Pſal. 138.
Pſal. 25.
Tob. 12.

Lucæ 22. *Tecum ſum uſque ad mortem.* Dominus autem, qui noverat eum, prædixit, ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem ejus, tanquam tacta vena cordis ejus. Proinde Petrus, qui ante tentationem præſumpſit de ſe, in tentatione didicit ſe. Sic ergo non abſurde ſentimus, & Patrem noſtrum Abraham cognoviſſe vires fidei ſuæ, ubi juſſus immolare unicum filium ſuum, non dubitavit, nec trepidavit ei offerre, qui dederat; quia quemadmodum nelcivit, unde daturus erat nondum natum, ſic credidit poſſe reparare immolatum. Dixit ergo Deus: *Nunc cognovi*; quod intelligimus, nunc cognoſcere te feci. *Alia eſt igitur* tentatio deceptionis, alia tentatio probationis; ſecundum illam non intelligitur, qui tentat niſi diabolus; ſecundum hanc vero tentat Deus „„. Hinc diabolus *Tentator* in Evangelio nuncupatur; & Apoſtolus de eodem ſcribit: *Ne forte tentaverit vos is; qui tentat, & inanis fiat labor noſter.* Tentat igitur diabolus, non ut inſtruat, ſed ut deſtruat; non ut erudiat, ſed ut decipiat, non ut proſit, ſed ut perdat, hominesque ſecum pertrahat in ſempiternum interitum. Hæc tentatio Deo convenire non poteſt. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur* (inquit S Jacobus) *Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.*

S. Auguſt. Epiſt. 205. alias 146.

Matth. 4.

1. Theſſ. 3.

Jac. 1.

Quo ſenſu Deo ſupplicamus, ne nos inducat in tentationem.

III. Neminem Deus in tentationem inducit impellendo ad peccatum, aut illud ſuggerendo, quia odio habet omnes operantes iniquitatem, ſed nos in tentationem inducere dicitur, quatenus permittit, ut diaboli tentationibus ſuperemur, occulto judicio, ſed tamen juſto, gratiam ſuam nobis ſubtrahens ob peccata noſtra. „„ In illa tentatione (*inquit S. Auguſt.*) qua quiſque decipitur, & ſeducitur, neminem tentat Deus; ſed plane judicio ſuo alto, & occulto quoſdam deſerit. Cum ille deſeruerit, invenit, quid faciat tentator. Non enim invenit adverſus ſe luctatorem, ſed continuo illi ſe exhibet poſſeſſorem, ſi deſerat Deus. Ne deſerat ergo nos, ideo dicimus: *Ne nos inferas in tentationem. Unuſquiſque enim tentatur*, ait

Serm. 57. alias de Div.

Petimus, ne Deus gratiam ſuam nobis ſubtrahat.

Jac. 1.

Apo-

Apoſtolus Jacobus, *a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem, cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Quid nos docuit? Ut pugnemus contra concupiſcentias noſtras. Nullus hoſtis metuatur extrinſecus; te vince, & victus eſt mundus. Quid tibi facturus eſt tentator extraneus, ſive diabolus, ſive miniſter diaboli? Quicunque homo proponit lucrum, ut ſeducat, avaritiam in te non inveniat; quid facit propoſitor lucri? Si autem avaritia in te inventa fuerit, viſo lucro inardeſcis, vitioſæ eſcæ caperis laqueo. Si autem non in te invenerit avaritiam, remanſit fruſtra extenta muſcipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam feminam; adſit intus caſtitas, victa eſt foris iniquitas. Ut ergo non te capiat propoſita pulchritudine mulieris alienæ, cum tua libidine intus pugna. Non ſentis hoſtem tuum, ſed ſentis concupiſcentiam tuam. Diabolum non vides, ſed quid te delectet, vides. Vince intus, quod tu ſentis. Pugna, pugna; quia, qui te regeneravit, judex eſt; propoſuit luctam, parat coronam. Sed quia ſine dubio vinceris, ſi illum adjutorem non habueris, ſi te deſeruerit, ideo ponis in oratione: *Ne nos inferas in tentationem.* Ira judicis donavit quoſdam concupiſcentiis ſuis: *Tradidit illos Deus in concupiſcentiam cordis illorum.* Quomodo tradidit? Non cogendo, ſed deſerendo „ „. Præterea, nos in tentationem Deus inducere dicitur, cum ejus beneficiis, quæ nobis ad ſalutem dedit, abutimur ad perniciem, & Patris ſubſtantiam, ut prodigus ille filius, diſſipamus, vivendo luxurioſe, noſtris cupiditatibus morem gerentes. Tunc enim temporalia illa beneficia, ingenii dotes, ſcientiæ claritas, opes, honores, dignitates, &c. quæ ad juſtitiam, & gratiarum actionem, Deo adjuvante nos provocant, eo deſerente nobis occaſiones peccati fiunt vitio concupiſcentiæ noſtræ. Quamobrem de hujuſmodi beneficiis divinis dicere poſſumus, quod de lege Apoſtolus dixit: *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.*

Nullus hoſtis metuendus extrinſecus, ſi nos ipſos intus vincamus.

Rom. 1.

Rom. 7.

Deum oramus, ne tentatio ne vinci nos permittat. Matth. 26.

IV. Deum igitur oramus: *Ne nos inducat in tentationem*, id eſt, ne nos tentatione vinci permittat, ſive patiatur. In eumdem ſenſum diſcipulos vigilare, & orare monuit Chriſtus, *Ne intretis* (inquit) *in tentationem*. Intrare namque in tentationem, eſt tentationi cedere; quod tunc fit, cum peccatorum noſtrorum meritis caremus, aut luce, qua peccatum, tentationiſve fallaciam, & diaboli artem lucis Angelum ſimulantis, malumque ſub ſpecie boni ſæpe proponentis dignoſcamus, aut juſtitiæ amore, quo carnis, & mundi illecebris, amoribus, & terroribus reſiſtamus. Unde *S. Cyprianus* hanc petitionem ſic enuntiat; *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* Quod & *S. Auguſt.* lib. *de Dono Perſeverantiæ*, c. 6. obſervavit. „ Quod dicimus Deo (*inquit*) ne nos inferas in tentationem, quid dicimus, niſi ne nos inferri ſinas? Unde ſic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus; & hoc ſic poſuit S. Cyprian. *Ne patiaris nos induci in tentationem.* In Evangelio tamen græco nuſquam inveni, niſi: *Ne nos inferas in tentationem* „. Quibus verbis oſtenditur, nihil contra nos adverſarium poſſe, id eſt, diabolum, qui *Tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret*, niſi Deus ante permiſerit, ut omnis timor noſter, & devotio, atque obſervatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus noſtris nihil malo liceat, niſi poteſtas inde tribuatur. Datur autem poteſtas adverſus nos malo ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt: *Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſrael eis, qui prædantur illum? Nonne Deus, cui peccaverunt, & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus, superduxit ſuper eos iram animationis ſuæ?* Poteſtas vero dupliciter adverſus nos datur, vel ad pœnam, cum delinquimus, vel ad gloriam, cum probamur; ſicuti de Job factum videmus, manifeſtante Deo, & dicente: *Ecce omnia quæcunque habet, in manus tuas do; ſed ipſum cave, ne tangas.* Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus: „ Admonemur infirmitatis, & imbecilliatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne

1. Pet. 5. Job 2. Iſai. 42.

quis

quis ſe inſolenter extollat, nè quis ſibi ſuperbe, atque arroganter aliquid aſſumat, ne quis aut confeſſioni gloriam ſuam ducat, cum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit: *Vigilate, & orate, ne veniatis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: Ut dum præcedit humilis, & ſummiſſa confeſſio, & datur totum Deo, quidquid ſuppliciter, cum timore, & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur „„ Verba ſunt *S. Cypriani*, Tract. *De oratione Dominica.* Matth. 26.

V. Quam aſſidue vero, ac ferventer frequentanda ſit hæc precandi ratio, exploratum erit conſideranti bus humanam ignorantiam, imbecillitatem, fragilitatem: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Adamus in Paradiſo cecidit, in tanta non peccandi facilitate, cum tanta gratiæ, ac donorum Creatoris ubertate, cum tantis liberi arbitrii ſani prorſus, & integri viribus. Apoſtolorum Princeps lapſus eſt in tanta profeſſione ſingularis fortitudinis, eximiique in Chriſtum Dominum amoris, cum paulo ante bene ſibi fidens dixiſſet Salvatori, ac Magiſtro: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Unius mulierculæ voce perterritus, Dominum negavit; auræ leviſſimæ flatu concuſſa Eccleſiæ columna eſt. Alii viri ſancti humanæ naturæ fragilitate graviter peccaverunt, diabolo tentante; quid non igitur nobis timendum eſt, qui tantis in periculis aſſidue conſtituti ſumus, ab hoſtibus domeſticis, carne ſcilicet, concupiſcentiaque noſtra, ab extraneis, mundo ſcilicet, ac diabolo undique oppugnati: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Eva noſtra interior caro noſtra eſt; Dalila eſt, quam Philiſtæus confœderatam habet, & in exitium noſtrum conjuratam; cupiditatibus noſtris utitur, ut cor expugnet, ut animam occupet. „„ Circuit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illicibiles, & faciles vo-

Ad hanc precationem frequentandam humana fragilitas nos invitat. Matth. 26. 41.

Matth. 26. 35.

Jac. 1.

Diabolus cupiditatibus noſtris utitur, ut cor expugnet.

luptates, ut viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram Muſicam tentat, ut ſoni dulcioris auditu ſolvat, & molliat chriſtianum vigorem. Linguam convitio provocat; manum injuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat, ut fraudatorem faciat, lucra proponit injuſta, ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia; honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat; oſtentat falſa, ut vera ſubripiat, & cum latenter non poteſt fallere, exſerte, atque aperte minatur, terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad debellandos Dei ſervos inquietus ſemper, & ſemper infeſtus; in pace ſubdolus, in perſecutione violentus „ „ Verba ſunt *S. Cypriani*, Tractatu *De zelo, & livore.* Job 18. ſcriptum eſt: *Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam.* Sæpe enim (inquit *S. Greg.* lib. 14. *Moralium*, cap. 7.) „ „ Proponuntur animo cum culpa honores, divitiæ, ſalus, & vita temporalis; quæ mens infirma dum quaſi eſcam videt, & decipulam non videt, per eſcam quam videns appetit, in culpa conſtringitur, quæ non videtur. Exiſtunt enim qualitates morum, quæ certis vitiis ſunt vicinæ. Nam mores aſperi aut crudelitati, aut ſuperbiæ ſolent eſſe conjuncti; mores autem blandi, & quam decet amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ, & diſſolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui; & illa opponit ante faciem, ad quæ facilius cognoſcit inclinari mentem; ut blandis, lætiſque moribus ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis conſpicit, quia illic periculum deceptionis inſerit, ubi viam eſſe invenerit propinquæ cogitationis „ „.

VI. Mundo præterea confœderatus eſt diabolus, ut nos in peccatum, & damnationem æternam pertrahat. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non ex patre, ſed ex mundo eſt.* Triplex iſta concupiſcentia,

1. Joan. 2. Triplex tentatio.

tia, triplex eſt diabolicæ tentationis inſtrumentum. Concupiſcentia carnis voluptatis infimæ amatores ſignificat; concupiſcentia oculorum curioſos; ambitio ſeculi ſuperbos, ut explicat *S. Auguſt* lib. *de vera Religione*, c. 38. Triplicem iſtam tentationem Chriſtus, qui per omnia tentatus eſt abſque peccato, ut nobis vincendi vires, vincendi formam tribueret, in deſerto ſuſtinuit, *Dic* (inquit tentator) *ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. At ille unus, & ſolus Magiſter: *Non* (inquit) *in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. Ita enim domitam docuit eſſe oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum ſit. Sed forte dominationis temporalis faſtu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit, omnia ergo mundi regna monſtrata ſunt, & dictum eſt: *Omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Cui reſponſum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ita calcata eſt ſuperbia. Subjecta eſt autem extrema etiam curioſitatis illecebra; non enim, ut ſe de faſtigio templi præcipitaret, urgebat, niſi cauſa tantum aliquid experiendi. Sed neque hic victus eſt, & ideo ſic reſpondit, ut intelligeremus, non opus eſſe ad cognoſcendum Deum tentationibus viſibiliter divina explorare molientibus: *Non tentabis* (inquit) *Dominum Deum tuum.* Quamobrem „„ Quiſquis intus verbo Dei paſcitur, non quærit in iſta eremo voluptatem. Qui uni Deo tantum ſubjectus eſt, non quærit in monte, ideſt, in terrena elatione jactantiam. Quiſquis æterno ſpectaculo incommutabilis veritatis adhæreſcit, non per faſtigium hujus corporis, ideſt, per hos oculos præcipitatur, ut temporalia, & inferiora cognoſcat„„. Verum divina gratia opus eſt, ut in corpore mortali, & in hoc mundo viventes mundi concupiſcentiis non cedamus. Totus mundus in maligno poſitus eſt. Auram peſtilentiſſimam veluti reſpirare, & peſtifera lue non affici, quam difficile! Voluptatis blanditiis non illici, opum fulgore non percelli, cupiditate non corrumpi, viſco non implicari, non inquinari; honorum,

& laudum humanarum flantibus ventis a christianæ humilitatis sensu non dimoveri, quam rarum! Ad Deum itaque confugiendum est, gratiæ ejus ad tam periculosas tentationes vincendas necessarium omnino implorandum est auxilium dicendo; *Et ne nos inducas in tentationem.*

Luc. 4. [illegible] S. August. Serm. 23. alias 42 de Divers.

Cum ista triplici tentatione Dominus tentatus fuisset, recessit diabolus; *Et consummata omni tentatione* (inquit S. Lucas) *Diabolus recessit ab illo, usque ad tempus*. His tribus suggestionibus omnem tentationem consummatam ait, ad illecebram utique pertinentem. Duo sunt, quæ in peccata homines illiciunt, aut impellunt, voluptas, aut dolor; „„ Voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates, necessaria est continentia, contra dolores, patientia. Hoc enim modo suggeritur humanæ menti, ut peccet; aliquando dicitur: Fac, & hoc habebis; aliquando autem: Fac, ne hoc patiaris. Voluptatem præcedit promissio, dolorem comminatio. Ut ergo habeant homines voluptatem, vel non patiantur dolorem, peccant.... Externa est parata muscipula inimici. Posuit in muscipula errorem, & terrorem; errorem, quo illiciat, terrorem, quo frangat, & rapiat. Tu claude januam cupiditatis contra errorem, tu claude januam timoris contra terrorem, & educeris de muscipula. Hujusmodi pugnæ exemplum ipse tibi Imperator tuus, qui propter te etiam tentari dignatus est, in se demonstravit. Et primo tentatus est illecebris, quia tentatus est in illo janua cupiditatis, quando illum tentavit diabolus dicens: *Dic lapidibus istis, ut panes fiant. Adora me, & dabo tibi regna ista. Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.* Omnis hæc illecebra cupiditatem tentat. At ubi clausam januam invenit cupiditatis in eo, qui tentabatur pro nobis, convertit se ad tentandam januam timoris, & præparavit illi Passionem, denique hoc dicit Evangelista: *Et consummata tentatione diabolus recessit ab eo ad tempus.* Quid est ad tempus?

Idem Enar. 2. in Ps. 30.

Matth. 4. Lucæ 4. S. August. Serm. 283.

Tan-

Tanquam rediturus, & tentaturus januam timoris, quia clauſam invenit januam cupiditatis. *Sic totum corpus Chriſti tentatur uſque in finem.* Ideo Deus contra iſta duo, quorum eſt unum in blanda promiſſione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus eſt, & terrere; promittere regnum cœlorum, terrere de ſuppliciis inferorum. Dulcis eſt voluptas, ſed dulcior eſt Deus; malus eſt dolor temporalis, ſed pejor eſt ignis æternus. Habes, quod ames pro mundi amoribus, imo pro immundis amoribus, habes, quod timeas pro mundi terroribus... Promittit mundus carnalem voluptatem; reſponde illi, delectabilior eſt Deus. Promittit mundus honores, & ſublimitates ſeculares; reſponde illi, altius eſt omnibus regnum Dei. Promittit mundus ſuperfluas, vel damnabiles curioſitates; reſponde illi, ſola non errat veritas Dei „ „. Delectationem unam veram & falſæ delectationi oppone, & dolori. Quænam illa eſt? *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluptatem Domini.* Delectatio illa contra utrumque pugnabit; & contra lævientem mundum, & contra blandientem. Vincendi formam Chriſtus oſtendit. *Sed parum eſt moneri, niſi impetres adjuvari.* Dicas ergo: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me, & miſerere mei, quoniam unicus, & pauper ſum ego.*

S. Auguſt. Serm. 284.

Pſalm. 26.

S. Auguſt. Serm. 283. Pſalm. 24.

VII. Carnis, mundique adminiculis fretus diabolus, nos & aperte, & per cuniculos aggreditur. Hoſtis naturam, & qualitates ſcire deſideras? Spiritus eſt, viribus potens, fortis armatus, aſtutia inſignis, leo impetu, inſidiis draco, cui mille nocendi artes, malitia incomparabilis, odio, invidia, furore adverſus homines percitus. *Induite vos armaturam Dei* (inquit Apoſtolus) *ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Eo maxime ſpectat illo-

Hoſtis noſtri, ſeu diaboli tentatoris nequitia.

Epheſ. 6.

„ Patriæ ſede ceciderunt? Vel quos alios filios habet, niſi perverſos homines, qui de ejus prava perſuaſione in malitiæ operatione generantur? Quibus dictum eſt: *Vos ex Patre diabolo eſtis.* Sicut ergo Redemptor noſter una perſona eſt cum congregatione bonorum; ipſe namque caput eſt corporis, & nos hujus capitis corpus; ita antiquus hoſtis una perſona eſt cum cuncta collectione reproborum, quia ipſe eis ad iniquitatem quaſi caput præeminet; illa autem dum ad perſuaſa deſerviunt, velut ſubjunctum capiti corpus inhærent (inquit *S. Gregorius*, lib. 13. *Moralium*, cap. 12. & lib. 4. cap. 14.) Tantum igitur abeſt, ne ipſos tentet, ac perſequatur, ut potius ipſis utatur, velut miniſtris ad tentationem, & perſecutionem piorum. Sed hæc aperta tentatio eſt. Joan. 8. 44.

VIII. Longe vero periculoſiores ſunt tentationes, quibus occulte, & per cuniculos corda piorum pulſat. Has deſcribit *S. Bern.* Serm. 6 in Pſalm. 90. & Serm. 33. *in Cantica*, ſeu potius exponit deſcripta his Prophetæ verbis: *Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Primordia (inquit) noſtræ converſionis primus exagitat *Timor*, *quem ſtatim horror vitæ ingerit arctioris, & inſuetæ auſteritas diſciplinæ.* Atque is *Timor nocturnus* dicitur, vel quia nox in Scripturis ſignificare ſolet adverſa, vel quoniam, propter quod adverſa pati aggredimur, id nondum revelatum eſt. „ Si enim dies ille luceret, „ in cujus lumine pariter & labores, & præmia videremus, timor omnino quorumvis laborum nullu eſſet præ deſiderio præmiorum, dum clara „ luce apparerent: *Quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Nunc vero quoniam abſcondita ſunt „ ab oculis noſtris, & nox eſt interim in hac parte, „ tentamur a timore nocturno, & pro bonis, quæ „ non videmus, formidamus, quæ in præſentiarum „ ſunt Periculoſiores tentationes, quibus diabolus occulte, & per cuniculos corda piorum pulſat. Rom. 8.

„ sunt adversa, tolerare. *Sagitta volans in die*, est *Inanis gloria*. Fama siquidem volat; & ideo in die, quia „ ex operibus lucis. Si hæc exsuflatur tanquam inanis aura, restat, ut solidius aliquid afferatur de divitiis, & honoribus seculi, si forte, qui non curat „ laudes, appetat dignitates. *Negotium perambulans in tenebris*, est *Hypocrisis*; etenim ista de ambitione „ descendit, & in tenebris habitatio ejus; quippe abscondit, quod est, & quod non est, mentitur. „ Negotiatur autem omni tempore, formam retinens „ pietatis ad sese occultandum, virtutem autem ejus „ vindicans, & emens honores. *Dæmonium meridianum*, quod solet maxime insidiari perfectis, quos „ videt diligere justitiam, & odisse iniquitatem, est „ propositio mali sub specie boni, & virtutis. „ „ Quos enim perfecti boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur (*inquit S. Bernard.*) ut cito consentiat, qui magnopere diligit bonum, & facile, qui currit, incurrat „ „. *Vigilandum igitur, & orandum est; ut non circumveniamur a satana; non enim ignoramus cogitationes ejus*, qui sæpe *Transfigurat se in Angelum lucis*.

1. Cor. 2.

Diabolus minus perfectos de levioribus peccatis t[illegible], ut [illegible] ad [illegible]

Sicut autem malum sub specie boni, ac virtutis proponit viris perfectis, viris virtutum, qui omnia superaverint, virtutes, favores, honores; ita probos quidem, sed minus perfectos de minimis primum peccatis tentat, ut eos sensim ad graviora pertrahat. Qua de re præclare disserit *S. Joan. Chrysost.* Homil. 87. in Matthæum. „ „ Veterator (*inquit*) malorum diabolus cum sit, magna malitia, multa opera, ingenti studio, condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur: a minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonissæ nugas, ac deliramenta Saul Regem detrudere. Sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibuisset; quando enim id fecisset, qui Pythonissas expellebat? Propterea sensim, & paulatim ipsum in[illegible] Nam quoniam Samueli non obtemperavit, & holo-

holocauſta ipſo abſente offerri præparavit, accuſatus ait, neceſſitas hoſtium facta eſt major. Cumque flere oportuiſſet, quaſi nihil mali feciſſet, lætabatur. Juſſit rurſum nonnulla de Amalecithis Deus, ea quoque tranſgreſſus fuit. Hinc adverſus David inſanivit; ac ſic paulatim lapſus, in perditionis barathrum ſe immiſit. Similiter etiam de Cain factum eſſe videmus. Non enim confeſtim cædem fratris illi ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus, tam ſceleſtum facinus abominaretur; ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum eſſe id dicens peccatum; deinde invidiæ veneno ſuccendit, nihil etiam hinc mali ſecuturum perſuadendo. Ita ſenſim in eum illapſus, ad cædem fratris & ad negationem ſceleris impulit. Repellenda igitur malorum initia ſunt; nam etiamſi ad majora prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum; nunc vero per iſtam incuriam gradatim ſuperaſcendunt; quapropter omni ſtudio, atque opera funditus principia peccatorum ſunt evertenda. Non enim vim delicti ſolam conſideres, nec quia parvum ſit, cogites; ſed illud præcipue tene, quia ſi radicem non evulſeris, magnum inde peccatum ſuccreſcet. Mirabile quiddam, atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe vitanda, quam parva; illa enim ut averſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem eo ipſo, quo parva ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſe inſurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia noſtra. Hoc ipſum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Juda maximum proditionis malum exortum eſt; niſi enim parvum eſſe putaſſet pecuniam inopum ſurripere, in tantam impietatem non adveniſſet. Judæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe, uſque ad cædem Chriſti lapſi non fuiſſent. Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem inſiliit. Habet quippe inſitum quemdam animo pudorem, atque innatum,

quem

Deo ; nobis immittuntur, tolerare debemus, non amare. „ „ Nunquid (*inquit S. Auguſt.* lib. 10. *Confeſſionum*, cap. 28.) non tentatio eſt vita hominis ſuper terram ? Quis velit moleſtias, & difficultates? Tolerari jubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, etſi tolerare amat „ „. Cum autem petimus, ut omnino non tentemur, non ſemper exaudimur, quia Deus utiles excitandæ vigilantiæ noſtræ, ac fidei, præſertimque domandæ ſuperbiæ tentationes eſſe novit. Unde Apoſtol. 2. ad Corinth. 12. ſcribit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me; & dixit mihi; ſufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc *S. Gregor.* lib. 23. *Moralium*, cap. 16. ait: „ „ Cum ſicut cupimus, ad Deum proficimus, ſi profectum noſtrum tentatio nulla pulſaret, alicujus nos fortitudinis eſſe crederemus. Sed quia nobiſcum ſuperna diſpenſatione agitur, ut infirmitatis noſtræ. quia proficientes obliviſcimur, tentati recolamus; & in profectu noſtro, quid de divino munere, & in tentatione cognoſcamus, quid de propriis viribus ſumus: quæ nos profecto tentatio ad plenum raperet, niſi protectio ſuperna ſervaret. Sed pulſat, nec frangit; impellit, nec movet; quatit, nec dejicit; ut de noſtra infirmitate ſentiamus eſſe, quod quatimur, & de divino munere eſſe, quod ſtamus „ „.

Toleranda non amanda tentatio.

Tentationes utiles excitandæ vigilantiæ, domandæ ſuperbiæ.

Cum itaque in poteſtate noſtra non ſit omnino non tentari, parati eſſe debemus ad tolerandas animo chriſtiano & fideli tentationes, & ad reſiſtendum diabolo: *Scutum fidei ſumentes, in omnibus, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Divina protectione freti, cum beato Job dicamus: *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Et cum David: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Vigilemus, oremus, humiliemus

Tentationibus reſiſtendum.

Epheſ. 6.

Job 17.

Pſalm. 22.

mus noſmetipſos, jejunio, & eleemoſyna diabolum
Epheſ. 6. a nobis expellamus; reſiſtamus ſatanæ, & fugiet a nobis. Sobrii ſimus, ipſi reſiſtamus *fortes in fide.* Aſſumamus gladium *ſpiritus, quod eſt verbum Dei*, induamur *loricam juſtitiæ; galeam ſalutis* aſſumamus, *Succincti lumbos in veritate; orantes omni tempore in ſpiritu; & in ipſo vigilantes in omni inſtantia;* ut chriſtianæ militiæ armis muniti, poſſimus *Reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Mundum ne diligamus diabolo confœderatum ad perniciem noſtram,
1. Joan. 2. neque ea, quæ in mundo ſunt: *Si quis* enim *diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Chriſtus mundum, diabolumque vicit, nobiſque vicit, confidamus, & in adjutorio Altiſſimi ſperemus, in ejuſque protec-
Pſalm. 90. tione commoremur. Dicamus Domino: *Suſceptor meus, & refugium meum es tu, Deus meus, ſperabo in eum; quoniam ipſe evellet me de laqueo venantium;* & ſcuto circumdabit nos veritas ejus, ut undequaque munitum cor noſtrum, nullis adverſarii incurſibus
1. Cor. 10. pateat. *Fidelis* enim *Deus eſt* (inquit Apoſtolus) *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Chriſtus diabolum alligavit ſpiritualibus vinculis, ejus poteſtatem cohibuit, ac frænavit, ne vim, ac fraudem omnem exerceat ad ſeducendos, ac dejiciendos fideles Dei cultores „ „ Alligatus eſt diabolus, ne faciat, quantum poteſt, ne faciat, quantum vult; tamen tantum tentare ſinitur, quantum expe-
S. Auguſt. in Pſal. 63. dit proficientibus... Diabolo poteſtas quædam eſt, plerumque tamen vult nocere, & non poteſt, quia
Idem in Pſalm. 61. poteſtas iſta ſub poteſtate eſt; nam ſi poſſet tantum nocere diabolus, quantum vult; non aliquis juſtorum remaneret, aut aliquis fidelium eſſet in terra. Qui dat poteſtatem tentatori, ipſe tentato præbet miſericordiam. Ad menſuram enim permittitur tentare diabolus. Noli ergo timere permiſſum aliquid facere tentatorem; habes enim miſericordiſſimum Salvatorem Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis, ut

Chriſtus diabolum nobis vicit.

qui

qui te neſciebas, a te ipſo inveniaris „ „. Apud Deum non eſt iniquitas; tu tantum ad eum pertines, in ipſo ſpem pone, ipſe ſit adjutor tuus, Salutare tuum, in illo ſit locus munitus, turris fortitudinis, refugium tuum ipſe ſit, & non te ſinet tentari ſupra, quam potes ferre, ſed faciet etiam cum tentatione exitum, ut poſſis ſuſtinere; ut quod te ſinit pati tentationem, poteſtas ejus ſit; quod non ſinit ultra in te fieri, quam potes ferre, miſericordia ejus ſit: *Quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Domine, miſericordia.* Cor noſtrum diabolus obſidet, oppugnat, non expugnabit, non vincet, niſi voluerimus „ „ Si diabolus aliquid ſuggerit, conſentientem tenet, non cogit invitum (*inquit S. Auguſtinus*) non enim ſeducit ille, aut trahit aliquem, niſi quem invenerit ex aliqua parte jam ſimilem ſibi. Invenit enim eum aliquid cupientem; & cupiditas aperit januam intranti ſuggeſtioni diaboli. Invenit illum aliquid timentem, monet, ut fugiat, quod illum invenit timere; monet, ut adipiſcatur, quod illum invenit cupere; & per has duas januas cupiditatis, & timoris intrat. Claude illas, & imples illud Apoſtoli: *Non detis locum diabolo.* Ibi enim voluit oſtendere Apoſtolus, quia quamvis intret, & poſſideat diabolus, homo illi tamen locum dedit, ut poſſit intrare „ „.

Diabolus cor noſtrum non expugnat, niſi voluerimus. Serm. 32. alias 20. de Diverſ. & 31. ex Homiliis 50.

Ephes. 4.

Verum dicet aliquis, ſi alligatus eſt ſatanas, quare adhuc tantum prævalet? Verum eſt, Fratres, multum prævalet; ſed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe ad illum ultro mortifera ſecuritate conjunxerit. Jam videte, quam ſtultus homo ille eſt, quem canis in catena poſitus mordet. „ „ Tu te ad illum per voluptates, & cupiditates ſeculi noli conjungere & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere non poteſt niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, non extorquet a nobis conſenſum, ſed petit „ „. Verba ſunt *S. Cæſarii* Are-

latenſis Epiſcopi, Sermone 18. alias inter Auguſtinianos *De Tempore* 197. nunc in Appendice 37. Quamobrem ſi forte tentationi conſenſeris, diabolum ne accuſes, ſed te ipſum. „ „ Satanas fecit (*inquis*) ipſe mihi perſuaſit; quaſi ſatanas habeat poteſtatem cogendi. Aſtutiam ſuadendi habet; ſed ſi ſatanas loqueretur, & taceret Deus, haberes, unde te excuſares; modo aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non ceſſat ſatanas ſuadere malum; ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum; in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire. Si aliquid perſuadente ſatana mali feceris, dimitte ſatanam, accuſa te, ut accuſatione tua Dei miſericordiam merearis. Expetis illum accuſare, qui non habet veniam? Te accuſa, & accipis indulgentiam (*inquit S. Auguſtinus*, Enarratione in Pſalmum 91.)

XI. „ Per cupiditatem rerum temporalium regnat „ in homine diabolus, & cor ejus tenet. Tales ſunt „ omnes, qui diligunt iſtum mundum. Mittitur au„ tem diabolus foras, quando ex toto corde renun„ tiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, „ qui Princeps eſt hujus mundi, cum renunciatur „ corruptelis, & pompis, & Angelis ejus. Ideoque „ ipſe Dominus jam triumphantem naturam hominis
Joan. 16. „ portans: *Confidite* (inquit) *ego vici mundum.* Mul„ ti autem dicunt, quomodo poſſumus vincere dia„ bolum, quem non videmus? Sed habemus magi„ ſtrum, qui nobis monſtrare dignatus eſt, quomo„ do inviſibiles hoſtes vincantur. De illo enim dicit
Coloſ. 2. „ Apoſtolus: *Expolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Ibi ergo „ „ vincuntur inimicæ nobis inviſibiles poteſtates, ubi vincuntur inviſibiles cupiditates; & ideo quia in nobis ipſis vincimus temporalium rerum cupiditates, neceſſe eſt, ut in nobis ipſis vincamus & illum, qui per ipſas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum eſt diabolo: *Terram manduca-*

bis;

bis; dictum eſt peccatori: *Terra es, & in terram ibis.* Gen. 3.
Datus eſt ergo in cibum diabolo peccator. Non ſimus terra, ſi nolumus manducari a ſerpente. Sicut enim, quod manducamus, in noſtrum corpus convertimus, ut cibus ipſe ſecundum corpus hoc efficiatur, quod nos ſumus; ſic malis moribus per nequitiam, & ſuperbiam, & impietatem hoc efficitur quiſque, quod diabolus, id eſt, ſimilis ejus, & ſubjicitur ei, ſicut ſubjectum eſt nobis corpus noſtrum. Et hoc eſt, quod dicitur, manducari a ſerpente. Quiſquis itaque timet illum ignem, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus, det operam triumphare de illo in ſemetipſo. Eos enim, qui foris nos oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiſcentias, per quas nobis dominantur „„. Verba ſunt *ſancti Auguſtini*, lib. *De Agone chriſtiano*, cap. 2. Id ut Pater cœleſtis gratia ſua nobis præſtet, ſuppliciter poſtulamus his verbis: *Ne nos inducas in tentationem.* Petimus auxilium, quo carnalem libidinem, & cupiditates omnes domemus. Petimus, ne ulla nos creatura ſua fucata venuſtate, ac dulcedine ad peccatum provocet, atque a Chriſti charitate ſeparet. Petimus, ne mundi malitia, perſecutiones, calumniæ, vexationes ad impatientiam, vindictam, aliaque vitia nos impellant, ſed ut conſtantes ad mortem uſque, fidem, ſpem, & dilectionem in Deum firmam teneamus. Petimus, ut cum Deus nos pro peccatis noſtris in hoc mundo variis flagellis caſtigat, hujus tentationis, ac probationis felicem faciat exitum, ut hic ita emendemur, ne cum hoc mundo damnemur. Petimus denique, ne nos diaboli tentatio obruat, cujuſcunque generis illa ſit. Rogamus autem non pro nobis ſolis, ſed pro Chriſtianis omnibus, ut Deus, cujus beneficio arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore; doceat manus noſtras ad prælium, det nobis protectionem ſalutis, & ſub umbra alarum ſuarum nos protegat adverſus hoſtes animarum noſtrarum, ut parta aliquando ex mundo, carne, diaboloque victoria, ſimul agamus immortales in ſempiternum *Deo gratias*, *qui* 1. Cor. 15.

dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ſimulque exultantes in gloria, feſtivis Angelorum plauſibus gratulatorias voces miſceamus, dicentes: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter Sanguinem agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Apoc. 12.

ARTICULUS X.

Orationis Dominicæ petitio ſeptima explicatur: Sed libera nos a malo.

I. Quod ſuis electis adprecatus eſt a Patre Chriſtus e vita migraturus: *Rogo, ut ſerves eos a malo*, id fideles ſuos precari docuit, eamque voluit eſſe divinæ hujus orationis clauſulam, quæ vim, & rationem petitionum complectitur cæterarum. His enim verbis: *Sed libera nos a malo* (inquit *ſanctus Cyprianus*) comprehendimus „ „ Adverſa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, a quibus poteſt eſſe fida, & firma tutela, ſi nos Deus liberet; ſi deprecantibus, atque implorantibus opem ſuam præſtet. Quando autem dicimus: *Sed libera nos a malo*, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari, quando ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus, qua impetrata, contra omnia, quæ diabolus, & mundus operantur, ſecuri ſtamus, & tuti. Quis enim ei de ſeculo metus eſt, cui in ſeculo Deus tutor eſt „ „? Joan. 17.

Mali nomine diabolus intelligitur.

II. Recte quidem *Mali* nomine diabolum intellexerunt *Tertullianus*, *ſanctus Joannes Chryſoſtomus*, & alii. Ille enim ſine addito *Malus* dicitur, quod in extremo malitiæ gradu conſtitutus ſit, a quo revocari nequeat. Deinde, quod ejus invidia, & ſuggeſtione homines ad peccatum incitentur, ſitque omnium malorum caput. Tertio, quod eo velut ſuæ juſtitiæ mi-

ni-

niſtro Deus utatur in pœnis repetendis a facinoroſis, & ſceleratis hominibus. Quarto, quod nobis perpetuum bellum inferat, quamvis nihil ipſum læſerimus, neque odio capitali inſectetur; & ſi nos fide armatos, & ſecundum Chriſti præceptum vigilantes, ac orantes in peccatum impellere non poſſit, extorquis tamen malis nos quacunque poteſt ratione divexat, ut vel hinc periculum faciat everſionis noſtræ; ut ſancti Job, & aliorum piorum exempla probant. Quamobrem Dei auxilium imploramus, ut nos *A malo*, id eſt, a diabolo liberare dignetur. Dicimus autem, Chriſto docente: *Libera nos a malo*; non a malis; quia mala omnia, quæ nobis a proximis inferuntur, ad ſatanam tanquam impulſorem, & incentorem referenda ſunt, omneque odium, & iracundiam noſtram in ipſum convertere debemus, non in homines, qui illius ſuggeſtione, & impulſu nobis injuriam inferunt. Quamobrem ſi nos læſerit proximus, Deum orare debemus, ut non ſolum nos, ſed & proximum nobis injuriam inferentem, a malo, id eſt, ex diaboli manu, & laqueis liberet. Magis enim ſors perſecutorum noſtrorum dolenda eſt, quam noſtra; ſicut magis dolenda eſt ſors phrenetici, quam amicorum, aut famulorum ipſi miniſtrantium, in quos ſævit, niſi ligetur. Non enim, qui patitur, ſed qui facit injuriam, miſer eſt.

Cardinalis Gropperus in Enchir. Chriſt. Inſtit. & Concil. Trid. Catech.

III. Non negandum tamen eſt, quin hic mali nomine intelligendum etiam ſit, quidquid periculorum eſt, incommodorum, adverſarumque rerum, quæ corpori, & animæ, fortunis, & famæ vel acciderunt, vel jam imminent, vel accidere poſſunt. Hoc autem petitioni hujus a priori diſcrimen eſt, quod illa Deum oremus, ut nos a malo culpæ (ut vocant) ſive a peccato immaculatos ſervet, iſta, ut a malo pœnæ præſentis, & futuræ liberet; illa, ne tentationibus nos ſuccumbere patiatur, iſta, ne præſentibus calamitatibus, aut futuris nos opprimi, vel everti permittat. Petimus igitur a Deo, ut nos paterna ſua bonitate ſervet ab aqua, & igne, a fulgure, & tem-

Mali nomine intelliguntur etiam omnia pericula, incommoda, & res adverſæ.

Petitionis hujus a ſu-

periori discrimen.

pestate, ut grandinem frugibus noxiam, annonæ caritatem, seditiones, bella, morbos, pestem, vastitatem arceat, ut vincula, carcerem, exilium, proditiones, insidias, cæteraque id genus mala prohibeat, omnes denique flagitiorum, & facinorum causas avertat. Oramus etiam, ne temporalia bona, scilicet divitiæ, honores, valetudo, robur corporis, hæc ipsa vita, nobis ad malum, & ad animæ nostræ exitium convertantur. Oramus etiam Deum, ne repentina, & improvisa morte intercipiamur, & opprimamur, ne in nos iram Dei concitemus, ne in damnationem æternam incurramus. Hanc petitionem & in Missa, & in Litaniis sic interpretatur Ecclesia, Deo supplicans, ut liberet nos *Ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, ut ope misericordiæ ejus adjuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Temporalia vero mala, & flagella sic deprecari debemus, ut primo loco, & ardentibus votis, sanctificationem divini nominis, regnum Dei, voluntatis ejus adimpletionem in terra sicut in cœlo, quotidianæ gratiæ auxilium, panemque verbi Dei, & Sacramentorum subsidia animæ nostræ sustentandæ necessaria, remissionem peccatorum nostrorum, & victoriam tentationum optemus, & postulemus, liberationem vero ab incommodis, calamitatibus, damnis rerum temporalium, morbis, persecutionibus ea solum ratione deprecemur, qua nobis impedimento esse possunt ad Dei obsequium, & ad æternam salutem, totumque divinæ voluntati committamus. Media quidem humana, & legitima minime negligenda sunt, ut morbos, ut mortem, ut improborum hominum injurias declinemus, aut propulsemus, sed spes omnis in Deo collocanda est, qui justos ad se clamantes in adversis rebus exaudit, ut Abraham, Jacob, Joseph, Job, Davidis, Tobiæ, Judith, Esther, Susannæ exempla in veteri, aliaque insigna in novo Testamento demonstrant. *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Psalm. 33.

IV.

IV. Variis autem modis benigniſſimus Deus ſervos ſuos a malis liberat: Primo cum imminentes calamitates prohibet. Sic Jacob eripuit ab inimicis, quos in illum concitaverat Sichimitarum cædes a filiis ejus patrata. *Terror* enim *Dei invaſit omnes per circuitum civitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Præterea, homines a malis liberat Deus, cum illos in ſummum diſcrimen adductos, integros, & incolumes ſervat, quemadmodum tres pueros in ardentem fornacem conjectos, & Danielem in lacum leonum detruſum ſervavit. Tertio, nos liberat a malis, quatenus vitæ præſentis incommoda, & calamitates viribus noſtris attemperat, ut eas tolerare poſſimus. *Cibabis nos pane lacrymarum* (inquit Propheta) *& potum dabis nobis in lacrymis in menſura.* Quid eſt, *In menſura?* Apoſtolum audi: *Fidelis eſt Deus, qui non vos permittit tentari, ſupra quam poteſtis ferre.* „ *Ipſa* „ eſt menſura, ut erudiaris, non ut opprimaris „ (*inquit S. Auguſt.* Enarratione in Pſalm. 79.) Quarto Juſtos a malis Deus liberat, multa interius dans illis ſolatia, quibus ſubleventur. Quo pertinet illud Prophetæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Multi dolores, ſed multæ conſolationes; amara vulnera, ſed ſuavia medicamenta. Hinc Apoſtolus 2. ad Corinthios 7. *Repletus ſum* (inquit) *conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus; foris pugnæ, intus timores. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus.* Et cap. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra; ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi a Deo. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Fieri certe non poteſt, quin magno ſolatio afficiantur, qui perſuaſum habent, ſe Deo

Variis modis ſervos ſuos Deus a malis liberat. Geneſ. 35.

Pſal. 79.

1. Cor. 10.

Pſal. 93.

S. Aug. in hunc Pſal.

volente calamitates, incommoda, perſecutiones pati; Deum ſervis ſuis in tribulationibus ſingulari quadam ratione adeſſe: *Cum ipſo ſum* (inquit) *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*: Qui ſe Chriſto pro nobis omnibus paſſo conformari, & ſimilitudinem mortis ejus in ſeipſis exprimi gaudent; qui rerum adverſarum perpeſſionem viam eſſe ad regnum cœlorum certo credunt; quoniam & *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; & ſic oportet pati Chriſtianum: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum.* Nam *Si commortui ſumus, & convivemus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Conſolatur nos Deus propſita brevitate laborum, & magnitudine, atque æternitate præmiorum. Venale eſt, quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Requiem venalem habeo, eme illam de labore. *Quodammodo propoſuit Deus venale regnum cælorum; pretium ipſius labor eſt.* Quantus labor eſt? Oſtendit Deus, quanta ſit illa requies, tu judica, quanto labore emenda ſit. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? Æterna requies æterno labore recte emitur, ſed noli timere, miſericors eſt Deus. „ „ Si enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Ergo ut aliquando pervenias ad illud, quod emis, non in æternum laborandum eſt; non quia non valet tanti; ſed ut poſſideatur, quod emitur. Digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed neceſſe eſt, ut labore temporali ematur... Paucos annos laboras, & in ipſis paucis annis non deeſt conſolatio, non deſunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in ſeculo, gaude in Chriſto, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. Quantæ ſunt iſtæ conſolationes in laboribus „ „ Verum eſt ergo, quod ſcribit Apoſtolus: *Id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce, quantum pretium damus, quodammodo unam aliquam ad com-

Pſal. 90. 15.
Luc. 24.
Act. 14.
2. Tim. 2.
S. Auguſt. Enarr. in Pſalm. 93.
Pſalm. 83.
2. Cor. 4.

comparandum theſauros ſempiternos, ſiliquam laboris ad requiem, felicitatem, & delectationem incredibilem, & nuſquam finiendam; ad bonum, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis aſcendit, ad fruitionem Dei, ad gaudium Domini, cujus non erit finis, ad bona, quæ præparavit in terra viventium, his, qui diligunt illum. „„ Gaudes ad tempus: noli ibi fidere; triſtis es ad tempus, noli deſperare. Non te corrumpat felicitas, & non frangat adverſitas. Recedat ſpes ſeculi, & accedat ſpes Dei „„. Clama cum Propheta: *Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium ſpei meæ.* Modo enim Dominus ſpes. Quamdiu enim hic ſumus, in ſpe ſumus; nondum in re. „„ Sed ne in ſpe deficiamus, adeſt promiſſor erigens nos, & temperans mala, quæ patimur... Sic mittit in fornacem tribulationis, ut coquatur vas, non ut frangatur: *Vas* (inquam) *miſericordiæ*; quod præparavit in gloriam „„. Quinto juſtos a malis liberat Deus, occulto, & inviſibili modo, ſemperque verum eſt; quod *Salus juſtorum a Domino, & protector eorum eſt in tempore tribulationis.* Non minus protector fuit Machabæorum Martyrum, qui igne ſunt conſumpti, quam trium puerorum, quos ab ignis vi liberavit. „„ Utriſque adfuit; illis in aperto, iſtis in occulto. Illos viſibiliter liberabat; iſtos inviſibiliter coronabat. Illi quidem de morte liberati ſunt; ſed in hujus vitæ tentatione manſerunt; ab igne liberati, ad pericula reſervati; uno tyranno victo, adhuc certaturi cum diabolo. Machabæi melius, & tutius liberati ſunt. Ab illis tribus viris, cæteris remanentibus, illa una tentatio ſuperata eſt; ab iſtis iſta vita finita, quæ tota tentatio eſt „„. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Sermone 301. alias *de Diverſis* 110. cap. 3.

S. Aug. ib.

Pſalm. 90.

Pſalm. 36.

V. Denique quod hac petitione rogamus: *Libera nos a malo*, omni ex parte in nobis perficietur; cum hujus mortalitatis onere depoſito, ab ignorantiæ, concupiſcentiæ, corruptioniſque malo plane liberi erimus, abſorpta morte in victoria. Tribus igitur poſtre-

Quando in nobis perficietur, quod petimus, ut ab omni malo liberemur.

ſtremis Dominicæ orationis petitionibus precamur 1. Remiſſionem peccatorum, quæ commiſimus. 2. Gratiam, qua peccata deinceps caveamus, & vitemus. 3. Ut a concupiſcentiæ malo penitus liberemur. „ Manet enim malum in carne noſtra, non natura, in qua divinitus creatus eſt homo, ſed vitio, quo voluntate prolapſus eſt; ubi amiſſis viribus, non ea, qua vulneratus eſt, voluntatis facilitate ſanatur. De hoc malo dicit Apoſtolus: *Scio, quoniam non habitat in carne mea bonum.* Cui malo non obedire præ-
Rom. 6. cipit, cum dicit: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus.* Si ergo his deſideriis concupiſcentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione conſenſimus, ad hoc ſanandum dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, adhibentes remedium ex opere miſericordiæ, in eo, quod addimus, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ut autem non ei conſentiamus, depreçamur adjutorium dicentes: *Et ne nos inducas in tentationem.* Non quod ipſe Deus tali tentatione aliquem tentet; ſed ut ſi forte tentari cœperimus a concupiſcentia noſtra, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo poſſimus vincere, ne abſtrahamur illecti. Deinde addimus, quod perficietur in fine, cum abſorbebitur mortale a vita: *Sed libera nos a malo.* Tunc enim nulla erit talis concupiſcentia, cum qua certare, & cui non conſentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis poſitum breviter peti poteſt: Ignoſce nobis ea, in quibus ſumus abſtracti a concupiſcentia: Adjuva, ne abſtrahamur a concupiſcentia: Aufer a nobis concupiſcentiam „ „. Sic explicat *S. Auguſtinus*, libro 2. *De Peccatorum meritis, & remiſſione*, capit. 4. Oramus itaque, ut non ſolum non inducamur in malum, quo caremus; quod ſexto loco petitur; ſed ab illo etiam liberemur, quo jam inducti ſumus. Quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidoloſum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita, quamdiu illam mortalitatem circumferimus, in quam ſerpentina perſuaſione inducti ſumus, non

ſpe-

ſperandum eſt poſſe fieri; ſed aliquando futurum ſperandum eſt. „ Sed tamen ſapientia, quæ in hac quo- „ que vita conceſſa eſt, fidelibus ſervis Dei non eſt „ deſperanda. Ea eſt autem, ut id, quod Domino „ revelante fugiendum eſſe intellexerimus, cautiſſima „ vigilantia fugiamus; & id, quod Domino revelante „ appetendum intellexerimus, flagrantiſſima chari- „ tate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis hu- „ jus onere ipſa morte depoſito, ex omni hominis „ parte perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata „ eſt, & cui capeſſendæ, atque obtinendæ nunc om- „ nis conatus impenditur. S. Auguſt. lib. 2. de Ser. Dom. cap. 9.

ARTICULUS XI.

Explicatur ultima vox orationis Dominicæ, Amen.

I. Græci Dominicam orationem his verbis abſolvunt: *Quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Ita nunc græci Codices habent, necnon Syriaca, & Arabica Verſio; *ſanctus Joan. Chryſoſtomus*, Auctor Operis imperfecti in Matthæum, *Euthymius*, & *Theophylactus*. Sed in vetuſtiſſimis exemplaribus græcis hanc non extitiſſe clauſulam, non *Tertulliani* tantum, & *Origenis*, & *S. Cypriani*, qui eam non legerunt, ſed maxime *S. Hieronymi* auctoritas probat, qui cum novum Teſtamentum juſſu *S. Damaſi* romani Pontificis græcæ fidei reddiderit, hæc tamen verba nec vertit, nec in Commentariis exponit. Unde nec illa, ceu Dominicæ partem orationis agnoſcit Eccleſia latina; ſed divinam illam orationem concludit hac voce, *Amen*, quam *S. Hieronymus* vocat *Signaculum Dominicæ orationis.*

II. *Amen*, Hebræum verbum eſt, cujus, ſicut & quorumdam aliorum: *Propter ſanctiorem auctoritatem ſervata eſt antiquitas* in latina Scripturæ ſacræ editione; & in eccleſiaſticis precibus, ut loquitur *S. Auguſt.* libro 2. *De Doctrina chriſtiana* cap. 11. tum maxime ob Chriſti Domini reverentiam, cujus in ore ſacro

Vocis Amen, vis multiplex.

ſacratiſſimo frequens fuit. Multiplex eſt vocis hujus interpretatio. Primo, vim habet affirmandi: *Amen*, id eſt, *Vere*, ſeu *Verum eſt*. Atque eo ſenſu hanc vocem uſurpavit Chriſtus: *Amen, amen dico vobis*. Eodem ſenſu hanc adhibuit Apoſtolus 2. ad Corinthios 1, *Dei Filius Jeſus Chriſtus* (inquit) *qui in vobis per nos prædicatus eſt, non fuit* eſt, *&* non *ſed* eſt *in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones ſunt, in illo* eſt, *ideo & per ipſum* Amen *Deo ad gloriam noſtram*. Id eſt, omnes Dei promiſſiones per Chriſtum obligatæ, & confirmatæ, veræ ſunt, ratæ, ac immutabiles. Unde cum illas legimus, vel audivimus, dicendum eſt, *Amen Deo*. Et 1. ad Corinthios 14. *Cæterum ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit*. Secundo, verbum iſtud vim habet exprimendi conſenſum, aut deſiderium ejus, qui dicit, Amen, id eſt, *Fiat*. Hoc ſenſu ſæpe uſurpatur a ſancto Paulo, aliiſque Apoſtolis. Roman. 1. *Ipſi gloria in ſecula. Amen*. Roman. 15. *Deus pacis ſit cum omnibus vobis. Amen*. 1. Corinthios 16. *Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen*. 2. Corinthios 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen*. Epheſios 3. *Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen*. Et capit. 6. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione. Amen*. 1. Timotheum 1. *Regi ſeculorum, immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen*. Cap. 6. *Gratia tecum. Amen*. 2. Timotheum 4. *Liberabit me Dominus ab omni opere malo; & ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen... Dominus Jeſus cum Spiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen*. Apocal. 22. *Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam venio. Amen. Veni, Domine Jeſu. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen*. Hac maxime ſignificatione Dominicam orationem obſignat *Amen*. Attentionem

ſci-

ſcilicet noſtram recolligentes, & fiduciam in Deum magis, ac magis excitantes, hac voce petimus, ut omnia fiant, quæ ante precati ſumus. Deum rogamus, ut promiſſionem ſuam implere dignetur a Chriſto Salvatore noſtro obſignatam cum diſcipulis ſuis, fidelium omnium ſui nominis cultorum perſonam gerentibus ait: *Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis.* Joan. 16.

III. Verum & aliam hujus vocis myſticam ſignificationem, cum a Sacerdote Miſſam celebrante, & Dominicam orationem recitante profertur, Concilii Tridentini Catechiſmus appoſite obſervat. In aliis ſcilicet precibus publicis, Amen a miniſtris, ſive a populo reſpondetur, conſenſumque, ſeu deſiderium ſignificat. Unde ſanctus Juſtinus Martyr, *Apologia* 2. ſcribit: „ Abſolutis precibus, & gratiarum actione, „ quilibet de populo, qui adeſt, fauſtis vocibus ac„ clamat, Amen „. Sanctus Dionyſius Alexandrinus, in Epiſtola ad *Sixtum* romanum Pontificem, apud *Euſebium* libro 7. Hiſtoriæ, cap. 9. „ Qui gratiarum „ actionem frequenter audierit, & cum cæteris re„ ſponderit, Amen „. Sanctus Hieronymus, Præfat. lib. 2. Commentar. in Epiſtolam ad Galatas. „ Uſque hodie romanæ plebis laudatur fides. Ubi alibi tanto ſtudio & frequentia ad Eccleſias, & ad Martyrum ſepulcra concurritur? Ubi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui *Amen* reboat „ „ ? Sanctus Auguſt. lib. 2. *Contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. 7. „ Cum Epiſcopus ſolus intus eſt, populus orat cum „ illo, & quaſi ſubſcribens ad ejus verba reſpondet „ *Amen* „. Et in Fragmento ſermonis contra Pelagianos: „ *Amen* ſubſcriptio veſtra eſt, conſen„ ſio veſtra eſt, adſtipulatio veſtra eſt „. Sanctus Ambroſius lib. de iis, qui miniſteriis initiantur: „ Ante „ conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem „ Sanguis nuncupatur. Et tu dicis, *Amen*, hoc eſt, „ verum eſt „. Et *Florus* magiſter in expoſitione Miſſæ: „ „ *Amen* autem, quod ab omni Eccleſia reſpondetur, interpretatur, Verum, non ubicunque, & quo-

Cur in fine Dominicæ orationis, cum in Miſſa dicitur, non populus, ſed Sacerdos reſpondet, Amen.

quomodocunque, ſed myſtica religione. Hoc ergo ad tanti Myſterii conſecrationem, ſicut & in omni legitima oratione reſpondent fideles, & reſpondendo ſubſcribunt „ „. Theodoretus in Epiſtola 2. ad Corinthios cap. 1. „ Non ſolum (*inquit*) Sacerdos „ orans offert hymnum, ſed etiam, qui *Amen* adjungit, eſt oblatæ glorificationis particeps „. At in ſancto Miſſæ Sacrificio, cum pronuntiatur oratio Dominica, rei ſacræ miniſtri, & populus dicunt: *Sed libera nos a malo*; non dicunt *Amen*; id Sacerdoti ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine ſervatur. Cujus quidem conſuetudinis hanc rationem affert Concilii Tridentini Catechiſmus, quod Sacerdos ad Altare mediator ſit Deum inter & populum chriſtianum, Deique, & hominum ſit interpres. Deo populi vota, preces, oblationes offert; populo Dei voluntatem, ac verbum explicat. Omnium Fidelium nomine offert Deo Corpus, & Sanguinem Chriſti, cujus incruentum Sacrificium oratione Dominica proſequitur. Hæc omnium, qui Sacrificio interſunt, communis oratio eſt, quia complectitur, quidquid a Deo legitime, juſte, ac ſancte peti poteſt. Quamobrem populus reſpondet: *Sed libera nos a malo*, veluti ſignificans, circumſtantes fideles, pro quibus offertur, vel qui offerunt cum Sacerdotis ore Dominicam orationem fundere, & quidquid propter æternam, aut temporalem iſtam vitam ipſis neceſſarium eſt, a Deo in Chriſti Filii ejus nomine petere. Tum vero Sacerdos Dei nomine loquens, reſpondet, *Amen*, ſignificans, ac veluti denuntians, Deum preces nomine Filii ſui oblatas, Corporiſque, & Sanguinis ipſius Sacrificio, ac virtute fultas exaudiviſſe, & quod fideliter petitum eſt, conceſſiſſe. Sic olim Chriſtus Chananææ mulieri reſpondit: *Fiat tibi, ſicut vis.* Matth. 15.

Quoties in oratione Amen dicimus, ad æternam

IV. Quoties vero in oratione Dominica, aliiſque ſacris precibus *Amen* dicimus, cœleſtem patriam cogitare, & ad æternam beatitudinem flagranti charitate ſuſpirare debemus, in qua „ „ Tota actio noſtra

Amen,

Amen, & *Alleluja* erit. Non ſonis tranſeuntibus dicemus *Amen*, & *Alleluja*, ſed affectu animi. Quid eſt enim Amen? Quid Alleluja? *Amen*, Eſt verum: *Alleluja*, Laudate Deum. Quia ergo Deus veritas eſt incommutabilis, ſine defectu, ſine provectu, ſine detrimento, ſine augmento, ſine alicujus falſitatis inclinatione, perpetua, & ſtabilis, & ſemper incorruptibilis manens; hæc autem, quæ agimus in creatura, & in iſta vita, velut figuræ ſunt rerum per ſignificationes corporum, & quædam in quibus ambulamus per fidem; cum viderimus facie ad faciem, quod nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc longe alio, & ineffabiliter alto affectu dicemus: Verum eſt; & cum hoc dicemus, Amen utique dicemus, ſed inſatiabili ſatietate. Quia enim non deerit aliquid, ideo ſatietas; quia vero illud, quod non deerit, ſemper delectabit, ideo quædam, ſi dici poteſt, inſatiabilis ſatietas erit. Quam ergo inſatiabiliter ſatiaberis veritate, tam inſatiabili veritate dices, Amen. Jam qualis eſt, qui poteſt dicere: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*? Quia itaque ſine aliquo faſtidio, & cum perpetua delectatione videbimus verum, & certiſſima evidentia contuebimur, amore ipſius veritatis accenſi, & inhærentes, & dulci, & caſto amplexu, eodemque incorporeo, tali etiam voce laudabimus eum, & dicemus, Alleluja. Exultantes enim ſe ad parilem laudem flagrantiſſima charitate invicem, & in Deum, omnes cives illius civitatis dicent, Alleluja, qui dicent, *Amen*.

beatitudinem ſuſpirare debemus. S. Auguſt. ſer. 362. alias de verſ. 121. cap. 28.

1. Cor. 2.

IN-

INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM ET RERUM, QUÆ IN HOC TOMO NONO TRACTANTUR.
LIBER QUARTUS.

CAPUT. I. De quarto Decalogi Præcepto 1
ART. I. Quo Præcepti ſenſus, merceſque exponitur. ibid.
§. I. Qui parentum nomine ſint intelligendi. ibid.
§. II. In quo poſitus ſit honor parentibus debitus ex Dei Mandato. 3
§. III. Reverentiæ, & honoris erga Paſtores, & Presbyteros Officia. 10
§. IV. Reverentiæ, & honoris erga Principes, & Magiſtratus Officia. 17
§. V. Reverentiæ, & honoris ſervorum erga Dominos officia. 20
§. VI. Præcepti merces. 22
ART. II. De Officiis parentum erga filios, Paſtorum erga plebes, Principum, & Magiſtratuum erga ſubditos, Dominorum erga ſervos, Topercharum erga Vaſſallos. 25
§. I. Parentum erga filios officia. 29
§. II. Paſtorum erga oves officia. 45
§. III. Principum, & magiſtratuum officia. 53
§. IV. Dominorum erga ſervos officia. 65
§. V. Topercharum erga Vaſſallos officia. 67
ART. III. Regulæ circa quartum Decalogi præceptum. 69
Regula I. Lethalis peccati rei ſunt, qui parentibus maledicunt, qui ipſos verberant, ſpernunt, vel irrident, aut de ipſis erubeſcunt. Graviter etiam peccant, qui parentibus mœrorem creant, aut ſenectutis illorum infirmitates impatienter ferunt. ibid.
Regula II. Lethaliter peccant filii, qui parentes egenos deſerunt religionis prætextu. 70
Regula III. Religioſus profeſſus parentibus ſuis ad inopiam redactis ſubvenire tenetur, quantum poteſt, ſalva obedientia: ſed e clauſtro egredi non poteſt, abſque Superiorum ſuorum licentia, ut illis ſubveniat. 71
Regula IV. Parricidii rei ſunt filii, qui mortem parentum optant, aſſequendæ hereditatis cupiditate; nec eos excuſat, quod eam non optent, ut parentibus malam, ſed ut ſibi utilem. 72
Regula V. Filii, qui parentibus aliquid ſurripiunt, lethalis peccati rei ſunt, niſi materiæ levitas veniale faciat. 73
Regula VI. Filii parentibus non obedientes in his, quæ juſta ſunt, & quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam, rei ſunt lethalis peccati, ſi res præcepta ſit gravis momenti. In his etiam, quæ levis alias momenti eſſe videntur, lethaliter peccant, ſi ex contemptu non obediant. 74
Regula VII. Filii parentibus obedire non tenentur, cum aliquid præcipiunt contra Dei præcepta, vel conſilia evangelica. 76
Regula VIII. Mali etiam Sacerdotes proprer Miniſterium honorandi ſunt. Unde gravis peccati rei ſunt, qui ipſos contemnunt, vel irrident, aut ipſis detrahunt, & maledicunt. 81

RE-

INDEX.

Regula IX. Lethalis peccati rei ſunt parentes, qui filiorum ſuorum curam prorſus abjiciunt, illoſque exponunt. 85
Regula X. Lethalis peccati rei ſunt, qui filios ſuos in eodem ſecum lecto collocatos ex ſomnolentia opprimunt, vel tam negligenter educant, ut in ignem, vel in aquam cadant, aliove ſimili caſu extinguantur, vel quorum incuria ſine Baptiſmo moriuntur. 88
Regula XI. Graviter peccant parentes, qui ob ſecundarum Nuptiarum ſocietatem, filiorum ex primo thoro ſuſceptorum educationem negligunt. 90
Regula XII. Gravis peccati rei ſunt parentes, qui paterna providentia filiis ſuis non conſulunt, ſed eorum neglecta collocatione, & fortuna, bona ſua diſſipidant, &c. 91
Regula XIII. Quamvis parentes quandoque ſecundum legis, aut conſuetudinis municipalis indulgentiam, unum filiorum præ aliis bonis temporalibus augere poſſint, ejuſque ſortem meliorem efficere: id tamen ut faciant, plerumque non expedit, ſed in ſingulos dividere debent hereditatem, ſecundum quod lege, aut conſuetudine præſcriptum eſt. 92
Regula XIV. Famuli, & ancillæ, quibus ſervitium occaſio proxima peccati lethalis eſt, quod exigant Domini, ut eorum peccatis cooperentur, tenentur ab illis diſcedere, nec ipſorum peccatis ſervire poſſunt abſque lethalis peccati reatu. 94
CAPUT. II. De quinto Decalogi Præcepto. 96
ART. I. Quo præcepti ſenſus explicatur. 97
ART. II. Quæ cædes hoc præcepto non prohibeatur. 107
Propoſitio I. Cædes facinoroſorum hominum, quæ fit Magiſtratuum ſententia, hoc præcepto non prohibetur. ibid.
Propoſitio II. Cædes, quæ nominatim Dei juſſu fiunt, a crimine ſunt immunes. 110
Propoſitio III. Hoſtium cædes, quæ in bello juſto fiunt, non cupiditate, aut crudelitate, ſed ſolo publicæ utilitatis ſtudio, quinto Decalogi præcepto, non prohibentur. 111
Propoſitio IV. Homicidii rei non ſunt, qui non ſponte. neque meditato, ſed fortuito hominem occidunt. 117
Propoſitio V. Non eſt reus homicidii, qui ſalutis ſuæ, ſeu vitæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit. 119
Propoſitio VI. Homicidii reus non eſt, qui ſervato moderamine inculpatæ tutelæ interficit aggreſſorem illum mutilare volentem; aut maghi momenti bona temporalia, quæ aliter defendi, vel recuperari non poſſunt, & ex quibus vitæ, ſtatuſque conſervatio & ſuſtentatio pendet, illata vi rapientem. 121
ART. III. De Homicidio ſpirituali ſive Scandalo. 126
ART. IV. Regulæ Moralis chriſtianæ circa quintum præceptum. 131
Regula I. Omnis, qui ſine ulla legitimæ poteſtatis auctoritate hominem occidit, homicida eſt. ibid.
Regula II. Homicidii rei ſunt, qui Tyrannum quemlibet privata auctoritate occidunt: Parricidæ ſunt, ſi vaſſalli ſint illius, ſive ſubditi. 132
Regula III. Damnationem æternam incurrunt, quicunque ſibi ipſis violentas manus inferunt. 134
Regula IV. Homicidii rei non ſunt, qui vitam ſuam pro Dei honore, vel reipublicæ utilitate, ubi id neceſſitas poſtulat, certo periculo exponunt. 139
Regula V. Suicidii reus eſt, qui damnatus, ut fame pereat, cibum occulte ſibi ap-

appoſitum non comedit, vel damnatus, ut veneno extinguatur, venenum ſibi propinatum ſumit. 141
Regula VI. Suicidii rei ſunt, qui per crapulam, ebrietatem, vel obſcoenam libidinem, aut alias animi perturbationes ſeipſos occidunt. 142
Regula VII. A peccato non ſunt immunes, qui ſtudiorum, laborum, jejuniorum, vigiliarum, aliarumque corporis mortificationum immoderatione ſe conficiunt. ibid.
Regula VIII. Qui vitam ſuam defendens alterum occidit; poenitentiæ ſubjiciendus eſt, & ſi Clericus ſit, ab altaris miniſterio eſt arcendus; donec ipſi diſpenſatio Sedis apoſtolicæ auctoritate conceſſa fuerit. 148
Regula IX. Pro levis momenti rebus defendendis qui furem occiderit, homicidii reus eſt. 156
Regula X. Homicidii reus eſt, quiſquis jus, quod habet in res quaſcunque temporales, eorum, qui conſecutionem, vel poſſeſſionem illarum impediunt, cæde defendit. 151
Regula XI. Homicidii reus eſt, qui pro honoris defenſione hominem occidit, quod nunquam licet. 153
Regula XII. Homicidii rei ſunt, qui duello pugnant, quod per ſe illicitum, & mortale peccatum eſt. 159
Regula XIII. Quamvis gravius crimen ſit animati fœtus extinctio, quam excuſſio fœtus inanimis, homicidii tamen rei ſunt, lethaliſque peccati graviſſimi, qui abortum procurant, ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis. 163
Regula XIV. Non licet medico præbere mulieri prægnanti, in certo etiam periculo mortis conſtitutæ, potionem ad procurandum abortum; ſive fœtus ſit animatus, ſive inanimis. 171
Regula XV. Homicidii rei ſunt, quicunque dant proximam occaſionem abortui, etiam præter intentionem, ſi rei illicitæ dent operam, vel debitam cautionem non adhibeant. 172
Regula XVI. Homicidii reus eſſet judex, qui juris ordine non ſervato, morte damnaret hominem capitalis alioquin criminis reum. 173
Regula XVII. Homicidii, & cujuslibet damni proximo illati rei ſunt Principes, Toparchæ juriſdictiones habentes, & magiſtratus, qui homicidas, latrones, & graſſatores comprehendi, in vincula conjici, & ſecundum leges plecti non curant, & omne damnum a perditis illis hominibus illatum reſarcire tenentur. 175
Regula XVIII. Gravis peccati reus eſt, qui homicidas non accuſat, aut teſtimonium adverſus illos ferre recuſat, cum tenetur, & potest. Idemque de aliis criminibus in perniciem reipublicæ vergentibus eſto judicium. ibid.
Regula XIX. Homicidii rei ſunt, qui damnationem, & occiſionem innocentium non impediunt, cum poſſint, vel injuſte damnatos a morte non liberant. 177
Regula XX. Homicidii rei ſunt medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, ſi æger, cujus curam ſuſceperunt, eorum negligentia, vel imperitia moriatur. 178
Regula XXI. Homicidi rei ſunt, qui proximis in extrema neceſſitate poſitis non ſuccurrunt, cum poſſint. 180
Regula XXII. Lethaliter peccat in quintum Decalogi præceptum, qui ſe, vel alterum mutilat, niſi ad conſervationem totius corporis abſciſſio membri omnino neceſſaria de conſilio medicorum judicetur. ibid.
Regula XXIII. 181
Regula XXIV. Nemini licet ſeipſum Eunuchum facere, ut careat tentatio.

tionibus carnis, vel ne ipſis ſuccumbat. Qui id fecerit, lethalis peccati reus erit, & irregularis. ibid.
Regula XXV. In quintum Decalogi præceptum lethaliter peccat, qui aliquem ſibi non ſubditum graviter verberat: Imo & parentes, præceptores, & domini, qui cum diſciplinæ cauſa verberant filios, diſcipulos, vel ſervos, modum correptionis excedunt. 183
Regula XXVI. Incarcerare aliquem, vel qualitercunque detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, aut cautelam alicujus mali vitandi. 185
Regula XXVII. Qui aliquem occidit, mutilavit, vulneravit, aut verberavit, ad reſtitutionem tenetur. ibid.
ARTIC. V. Regulæ circa ſcandalum. 187
Regula I. Scandalum activum, ſi ſit per accidens, quandoque veniale, quandoque mortale peccatum eſt. ibid.
Regula II. Scandalum activum per ſe, lethale ut plurimum peccatum eſt; interdum tamen veniale 188
Regula III. Omnis actio, vel omiſſio, quæ vere eſt vel probabiliter cenſetur eſſe occaſio ruinæ proximi, ſpeciale peccatum eſt, ſcilicet ſcandalum, quamvis in ſpiritualem hujuſmodi ruinam agentis intentio, & voluntas expreſſe non feratur. 189
Regula IV. Facere coram aliis id, quod mali ſpeciem præ ſe fert, ſcandali peccatum eſt, quoties nulla ſubeſt id faciendi ratio legitima, præſentibus, quoad fieri poteſt, manifeſtata. 192
Regula V. Qui juſſu, ſuaſione, conſilio, precibus auctor eſt alteri, ut id faciat, quod abſque peccato fieri non poteſt, reus eſt ſcandali. 193
Regula VI. Scandali reæ ſunt mulieres chriſtianæ, quæ vel ea ſe ornant intentione, ut viros ad amorem alliciant inhoneſtum; vel habitu diſſoluto, & immodeſto utuntur, qui virorum concupiſcentiam excitare poſſit. 194
Regula VII. Superfluus, & immoderatus mulierum ornatus, & cultus nulquam abſque peccato eſt. 197
Regula VIII. Scandali reæ ſunt mulieres, quæ collum, pectus, brachiave nudant, & ita compoſitæ in publicum prodeunt. 201
Regula IX. Scandali reæ ſunt mulieres, quæ fucis vultum adulterant, aut capillos tingunt, & lethalis plerumque peccati reatum incurrunt. 204
Regula X. Scandali reæ ſunt mulieres, alienos capillos ad ornandum caput adhibentes. 209
Regula XI. Scandali rei ſunt & viri in corporis cultu, & capillaturæ cura modum excedentes. 213
Regula XII. Lethalis ſcandali rei ſunt, qui alterius ſexus veſte abſque neceſſitate utuntur. Non levis etiam ſcandali rei ſunt, qui larvati incedunt 214
Regula XIII. Peccant, quicunque in exteriore ornatu morem patriæ, modumque conditioni, & ſtatui ſuo convenientem excedunt. 220
Regula XIV. Scandali rei ſunt, qui novas illiciti ornatus, ac veſtimentorum formas excogitant, adinveniunt, & conficiunt; & lethaliter quidem peccant, ſi modus veſtium, ornatuſque pretioſioris, vel elegantioris inverecundus ſit, aut impudicus: Venialiter vero ſi vanitatem duntaxat, & curioſitatem alat, prætii, aut elegantiæ immoderatione. 222
Regula XV. Lethalis ſcandali rei ſunt Hiſtriones, & Mimi, qui verbis, & factis illicitis ad ludum utuntur, aut locis, & temporibus indebitis

ludunt. Verba autem illicita cenſeri debent, quæcunque amori profano, cæteriſque pravis animi cupiditatibus excitandis, aut fovendis inſervium, non ſolum quæ aperte obſcœna ſunt, & turpia, vel ſcurrilia. 227
Regula XVI. Lethalis ſcandali rei ſunt, qui ad ludos aleatorios ædes ſuas locant, vel commodant, aut publicas, vel privatas hujuſmodi ludorum academias aperiunt. 232
Regula XVII. Lethalis ſcandali rei ſunt, qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus, aut lenis ædes locant. 235
Regula XVIII. Bona ſpiritualia ad ſalutem neceſſaria nunquam omittenda ſunt ad vitandum aliorum ſcandalum. ibid.
Regula XIX. Falſitatem docere, aut veritatem doctrinæ diſſimulare, vel tacere, cum ad ſalutem, aut chriſtianam perfectionem neceſſaria eſt, vel eam docere, ſeu prædicare alicui incumbit ex officio, nunquam licet ad vitandam aliorum offenſionem, ſeu ruinam. 236
Regula XX. Omne, quod fieri poteſt, vel non fieri, ſalva triplici veritate, doctrinæ ſcilicet, vitæ, & juſtitiæ, dimitti debet ad vitandum ſcandalum puſillorum. 239
Regula XXI. Bona ſpiritualia, quæ ad ſalutem non ſunt omnino neceſſaria, ob ſcandalum puſillorum vitandum, quandoque differenda, vel occultanda ſunt, non abſolute & in perpetuum dimittenda. 241
Regula XXII. Bona temporalia, quorum adminiſtratio, vel cuſtodia fidei ſuæ commiſſa eſt, nemini dimittere licet ob vitandum ſcandalum. 244
Regula XXIII. Bona temporalia, quorum domini ſumus, quandoque ob vitandum ſcandalum puſillorum negligenda ſunt, vel certe ſcandalum alia ratione ſedandum eſt. 245
CAPUT III. De ſexto Decalogi præcepto. 246
ART I. Præcepti ſenſus explicatur. 247
ART. II. Regulæ morales circa textum Decalogi præceptum. 250
Regula I. Copula cum aliena conjuge, etiam conſentiente marito, adulterium eſt. ibid.
Regula II. Cum ex adulterio ſecuta eſt proles, adulter, & adultera tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum, ſive legitimis filiis, ſive aliis heredibus 254
Regula III. Moroſa delectatio de rebus obſcœnis lethale peccatum eſt contra ſextum Decalogi præceptum. 259
Regula IV. Aſpectus impudici, & libidinoſi ſunt lethalia peccata. 260
Regula V. Verba impudica, & obſcœna proferre, turpiaque cantica componere, & canere, lethale, ut plurimum, peccatum eſt, &c. Ea item audire, iiſque delectari ex propenſa ad libidinem voluptate. Amatoria vero cantica edere, canere, audire, caſtitati periculoſum eſt. 269
Regula VI. Librorum obſcœnorum lectio cum lethali peccato, ut plurimum, conjuncta eſt. Lectio vero librorum amatoriorum periculoſa ſemper eſt, eoque nomine vetita. 272
Regula VII. Spectaculorum, & Comœdiarum frequentatio periculoſa eſt caſtitati, & multis modis animæ noxia; unde vix abſque peccato intereſſe ſpectaculis, & Comœdiis Chriſtianus poteſt. 274
Regula VIII. Saltationes, & Choreæ periculoſæ ſunt caſtitati, & innocentiæ chriſtianæ; eoque nomine vitandæ ſunt a Fidelibus. 286
Regula IX. Tactus impudici, & oſcula libidinoſa ſunt peccata mortalia. 289
CAPUT IV. De ſeptimo Decalogi præcepto. 295

ART.

INDEX.

ART. I. Quis præcepti ſenſus. Quid ſit furtum. Quot ejus genera. ibid.
ART. II. Quam grave ſit furti peccatum. 304
Propoſitio Unica. Furtum lethale peccatum eſt, niſi materiæ levitate, & excluſa voluntate gravis damni inferendi veniale fiat. ibid.
ART. III. Regulæ Moralis chriſtianæ circa Furtum, & Rapinam. 309
Regula I. Lethalis furti rei ſunt pauperes, qui divitibus aliquid notabile furripiunt, quamvis divites graye ex illius ſubtractione incommodum non patiantur ibid.
Regula II. Lethalis peccati reus eſt, qui per plura furta leviora notabilem ſummam totalem abſtulit, ſeu eidem perſonæ, ſeu diverſis; ſive ab initio voluntatem habuerit notabilem ſummam per plura furta minima corradendi, ſive non. 310
Regula III. Gravis neceſſitas furtum non excuſat, ſed ſolum extrema. Unde pauper gravi neceſſitate affectus, ſi quid notabile furripiat eo colore, ut neceſſitatem ſuam ſublevet, lethalis nihilominus peccati reus eſt. 318
Regula IV. Furti rei ſunt ſervi, & ancillæ, qui res dominorum ſuorum furripiunt compenſationis nomine, &c. Idem eſto de opificibus judicium. 315
Regulæ V. VI. VII. 318
Regula VIII. Furti rei ſunt, qui res inventas, quarum dominus poſt diligentem inquiſitionem requiri poteſt, retinent, vel gratis reſtituere nolunt. 319
Regula IX. Pauperes ruſtici, qui ligna cædunt, vel cæſa auferunt ex ſilvis Regiis, aut privatorum Dominorum, ſive ſicca, & mortua, ſive virentia, rei ſunt furti, niſi extrema neceſſitate urgeantur. 324
Regula X. Furti rei ſunt venatores, qui per ſe, vel per famulos ſuos, equos, aut canes, alienis beſtiis, ſegetibus, aut prædiis damnum inferunt, nec illatum reſarcire curant, &c. ibid.
Regula XI. Qui jumenta ſibi commodata longius duxerint, aliave re invito domino uſi fuerint, furti rei ſunt. 325
Regula XII. 326
Regula XIII. Furti rei ſunt quicunque juſſu, ſuaſione, & conſilio, conſenſu, conniventia, ſilentio, patrocinio, approbatione, & adulatione furto cooperantur, & qui furti ſunt participes. ibid.
Regula XIV. Rapinæ rei ſunt, qui debitam operariis mercedem non perſolvunt, aut eam dare in longum tempus differunt. 328
Regula XV. Rapinæ rei ſunt, qui debita Eccleſiæ Præſidibus, & Principibus, vectigalia, tributa, debita, & reliqua hujus generis non ſolvunt, vel intervertunt, & ad ſe transferunt 329
Regula XVI. Rapinæ rei ſunt fraudatores creditorum, & qui fraudulenter bonis, & foro cedunt, aut aliquid abſcondunt, & ſubtrahunt e bonis ſuis, cum a creditoribus ex judicum ſententia injecta manu ſequeſtranda proxime ſunt, &c. 332
Regula XVII. Rapinæ rei ſunt non ſolum homines privati, ſed etiam Principes, & Dynaſtæ, qui contra jus aliquid auferunt a ſubditis, ſive clientibus, aut etiam ab extraneis. 335
Regula XVIII. Præda ex hoſtibus parta in bello injuſto rapina eſt, non vero in bello juſto. 336
Regula XIX. Rapinæ rei ſunt milites, qui in bello etiam juſto prædas agunt, domos incendunt, agros populantur abſque juſſu Principis, ſive Ducis. ibid.

INDEX

Regula XX. 337
Regula XXI. 338
Regula XXII. Rapinæ rei ſunt, quicunque res naufragorum diripiunt. ibid.
ART. IV. Regulæ morales de reſtitutione. 340
Regula I. Fures, raptores, uſurarii, reſtitutionis lege ita tenentur, ut ſacramentaliter abſolvi, & ſalutem conſequi non poſſint, niſi reſtituant, quod injuſte abſtulerunt, & acceperunt, ſi tamen reſtituere poſſint. ibid.
Regula II. Fur, raptor, uſurarius, & quicunque alteri damnum intulit in rebus ejus, id tantum reſtituere tenetur, quod accepit, vel ejus æqui valens; plus reſtituere non tenetur ante ſententiam judicis. 342
Regula III. Quicunque injuſte rem alienam accepit, quam actu habebat, ad reſtituendum tenetur. Si vero damnum intulit impediendo conſecutionem ejus, quod in ſpe erat, & potentia, tenetur ad compenſationem pro ratione lucri intercepti faciendam, ſpectatis rerum & perſonarum circumſtantiis. 343
Regula IV. Qui damnum intulit alteri abſque omni prorſus culpa, ad reſtitutionem non tenetur. 345
Regula V. Ratione contractus, qui fit in ſolius accipientis utilitatem, lege reſtitutionis ipſe tenetur ex culpa etiam leviſſima. 346
Regula VI. Ratione contractus, qui fit in ſolam accipientis utilitatem, v. g. commodati, obligatio reſtituendi ex caſu fortuito non oritur, niſi culpa ipſius contigerit, vel intervenerit pactum, vel in mora fuerit. 347
Regula VII. In contractu, qui fit in ſolius dantis utilitatem, quale eſt depoſitum, accipiens reſtitutionis lege tenetur, ſi ejus dolo, vel lata culpa res pereat, non aliter. 348
Regula VIII. In contractu, qui ſit ad utilitatem utriuſque partis, quale eſt locatum, utraque tenetur ad reſtitutionem ex culpa lata, & levi, non tamen ex leviſſima, neque ex fortuitis caſibus. 349
Regula IX. Qui ad rem fragilem admodum tranſvehendam operas ſuas locat, ad damnum reſarciendum tenetur ex culpa etiam leviſſima. 350
Regula X. In quaſi contractu, ſeu negotiorum alienorum geſtione, tenetur quis ad reſtitutionem ex dolo duntaxat, aut culpa lata, niſi ſe obtulerit, cum alter diligentior adhibendus eſſet, vel quærendus. 351
Regula XI. Qui aliena gerit negotia, ad reſtitutionem aliquando tenetur ob caſus fortuitos, ſi abſque mandato illa geſſerit. 352
Regula XII. Ratione tutelæ, dotis, dationis, & ſocietatis, ſive communionis rerum, tenetur aliquis ad reſtitutionem ex culpa lata, & levi, niſi aliter conventum ſit. ibid.
Regula XIII. Judices, qui iniquam ſententiam ſive dolo, ſive ex imprudentia, aut ignorantia tulerunt, ad reſarcienda damna omnia inde conſequentia parti læſæ tenentur. 353
Regula XIV. Judex, qui pecuniam accepit, ut ſententiam qualemcunque ferret, reſtitutionis lege tenetur. 354
Regula XV. Quicunque ex officio aliquid faciunt in utilitatem alterius, mercede tamen conducti, ut advocati, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, artifices, non ſolum ex dolo, & lata culpa, ſed etiam ex culpa levi ad reſtitutionem tenentur. ibid.
Regula XVI. Principes, & magiſtratus, qui leges iniquas. vel ſtatuta injuſta tulerunt, ad reſtitutionem tenentur ratione omnium damnorum inde conſequentium. Idem eſto judicium de illis, qui auctores ipſi fuerunt hujuſmodi legum condendarum. 358

Re-

INDEX

Regula XVII. Teſtis tenetur ad reſtitutionem pecuniæ, quam pro teſtimonio ferendo accipit, multo magis tenetur falſus teſtis. ibid.
Regula XVIII. Accuſator, qui ut alium criminis accuſaret, vel ut ab accuſatione deſiſteret, pecuniam accepit, reſtitutionis lege tenetur. 360
Regula XIX. Qui ex officio conſilium dedit, ad reſtitutionem tenetur ex culpa lata. Si mercede ſit conductus, tenetur etiam ex culpa levi. Extra hos vero caſus ſolum tenetur ex dolo. ibid.
Regula XX. Quamvis res furto ſublata caſu fortuito perierit, ad illius tamen reſtitutionem fur tenetur. 361
Regula XXI. Qui rem alienam emit mala fide, tenetur eam reſtituere vero Domino, etiam cum damno proprio, nec non fructus omnes perceptos, & qui intermedio tempore percipi potuerunt. Emptor vero, & poſſeſſor bonæ fidei fructus conſumptos reddere non tenetur, niſi ex illis factus ſit ditior. 362
Regula XXII. Reſtitutionis lege tenetur quiſquis alterius damno efficaciter cooperatus eſt aliquo ex modis ſuperius recenſitis. 366
Regula XXIII. Reſtitutio facienda eſt ei, a quo aliud injuſte eſt acceptum ſi Dominus illius erat, ſive juſtus poſſeſſor, vel adminiſtrator, aut cuſtos. 369
Regula XXIV. Res aliena non eſt reſtituenda ei, a quo injuſte ablata eſt, ſi reſtitutio illi, vel alteri ſit vehementer nocitura. 370
Regula XXV. Quod injuſte acceptum eſt ab eo, qui contra legem dedit, illi reſtitui non debet, ſed in pios uſus erogari. ibid.
Regula XXVI. Defuncto rei injuſte acceptæ Domino, reſtitutio fieri debet ejus heredibus: Si nulli compareant heredes legitimi, in pios uſus, maximeque ad pauperum neceſſitatem ſublevandam converti debet. Bonorum etiam, quorum incertus eſt vel ignotus Dominus, reſtitutio facienda eſt pauperibus. 372
Regula XXVII. Reſtitutionis lege tenentur, qui ludo lucrantur aliquid ab illis, qui res proprias non habent, aut liberam rerum ſuarum adminiſtrationem ſecundum Leges; item qui alios ad ludendum compellunt, & trahunt, qui denique fraude lucrati ſunt. 377
Regula XXVIII. Qui reſtitutioni obnoxius eſt ratione delicti, rem alienam reſtituere debet eo loco, ex quo injuſte ablata eſt, & ubi degit ille, cui damnum eſt illatum, idque propriis ſumptibus, etiamſi illi excedant rei ablatæ valorem. 380
Regula XXIX. Qui ratione ſolius rei acceptæ obnoxius eſt reſtitutioni, tenetur reſtituere in eo duntaxat loco, ubi res illa extat. ibid.
Regula XXX. Qui reſtitutioni obnoxius eſt ratione contractus, reſtituere debet in loco, de quo conventum eſt, aut in quo voluiſſe Dominum, ut ſibi reſtitueretur, eſt veriſimile. 381
Regula XXXI. Qui per internuntium reſtituit, reſtitutionis onere non ſemper liberatur, cum res aliena perit, antequam in manu Domini repoſita fuerit. ibid.
Regula XXXII. Prælatus, qui res Eccleſiæ uſurpavit, eas Eccleſiæ reſtituere, vel iis, quibus ab Eccleſia conceſſus illarum uſusfructus eſt relinquere tenetur. 383
Regula XXXIII. Non ſolum ex injuſta rei alienæ acceptione, vel detentione, ſed etiam ex injuſta boni alteri obventuri interceptione, & impeditione, reſtituendi oritur obligatio. 384
Regula XXXIV. Obligatio reſtituendi rem alienam, ad heredes furum, raptorum, uſurariorum, &c. ita tranſit, ut reſtituere ſinguli teneantur pro

pro rata ſaltem hereditatis portione, quæ ad illos pervenerit. Idem onus legatariis, & venatariis incumbit in ſupplementum. 385
Regula XXXV. Reſtituere tenetur Uſurarius quidquid lucratus eſt per Uſuram ex rebus, quarum uſus non eſt ipſarum conſumptio, non vero quod lucratus eſt ex rebus, quæ ipſo uſu conſummuntur. 389
Regula XXXVI. Quicunque Uſurarum exactioni cooperati ſunt, ad reſtitutionem tenentur, in ſubſidium illorum, qui Uſuras acceperunt, ſi illi non reſtituerint. 391
Regula XXXVII. Creditoris condonatio a reſtitutionis obligatione liberat debitorem. 393
Regula XXXVIII. Præſcriptio reſtituendi obligationem perimit. 397
Regula XXXIX. Qui probabiliter perſuaſus rem eſſe ſuam, ejus poſſeſſionem cepit, & medio tempore dubitavit, an ſua eſſet, vel aliena, reſtituere illam non tenetur, completa præſcriptione. 402
Regula XL. Reſtitutio ſtatim, & abſque mora facienda eſt, ſi fieri poſſit, certis tamen caſibus differri poteſt, &c. 403
Regula XLI. In reſtitutione facienda neceſſario ſervandus eſt ordo legibus civilibus, & jure etiam municipali præſcriptus; &c. 409
CAPUT V. De octavo Decalogi præcepto. 417
ARTIC. I. Quis ſit hujus præcepti ſenſus; id eſt, quid prohibeat, vel jubeat. ibid.
ARTIC. II. Mendacium omne lege divina prohibitum, per ſeque illicitum, ac malum eſt. 419
ARTIC. III. Regulæ moralis chriſtianæ circa falſum teſtimonium, & mendacium. 431
Regula I. Falſum teſtimonium lethale peccatum eſt, & quidem graviſſimum. ibid.
Regula II. Falſi teſtimonii reus eſt, qui pro certo aſſerit coram judice id, quod certo non novit, ſed probabiliter duntaxat, vel ex aliorum relatione. 436
Regula III. Reus ſecundum juris ordinem interrogatus veritatem confiteri debet; alioqui lethalis peccati reus eſt. ibid.
Regula IV. Qui veram apocham, ſchedulam obligatoriam, aut quodvis aliud inſtrumentum amiſit, cujus defectu lite graviſſimi momenti evincendus eſt, falſum fabricare, ac ſupponere non poteſt abſque gravi peccato. 440
Regula V. Mendacium omne, quod Deo injurioſum, aut proximo graviter noxium eſt, mortale peccatum eſt. 441
Regula VI. Pro vita alterius temporali, vel ſua ſervanda mentiri non licet. 442
Regula VII. Mentiri non licet, ne prodatur innocens ab iniquo judice quæſitus ad mortem. 446
Regula VIII. Pro ſervanda pudicitia corporis mentiri non licet. 447
Regula IX. Nec pro æterna alicujus ſalute procuranda mentiri licet. 448
Regula X. Ad detegendos hæreticos ſeſe verbotenus hæreticum mentiri; lethale peccatum eſt. 449
Regula XI. Æquivocationum, & reſtrictionum mentalium uſus per ſe malus eſt, & quavis in occaſione, rerumque circumſtantiis quibuslibet illicitus. 450
Regula XII. Licet aliquando veritatem occultare. 455
Regula XIII. Omnis ſimulatio proprie dicta peccatum eſt. ibid.

INDEX

Regula XIV. Lethalis peccati reus eſt, qui vi tormentorum, vel ad ea vitanda, ſe reum criminis fatetur, cum ſit innocens. 461
Regula XV. Specie humilitatis mentiri, peccatum eſt. 463
Regula XVI. Adulatio ſemper peccatum eſt. 464
Regula XVII. Proximo adulari, vel ejus laudando peccata, vel animo decipiendi, ac nocendi, vel præbendo ipſi ruinæ occaſionem, lethale peccatum eſt. 467
Regula XVIII. Judicium temerarium, pravaque opinio, ac ſuſpicio deliberata de proximo in re gravi, lethalia peccata ſunt. 473
Regula XIX. Dubia indicia de malitia proximi in meliorem partem interpretari teniemur. 486
Regula XX. Dubia in deteriorem partem interpretari, ſeu id, quod deterius eſt, ſupponere, ac timere, ubi de damno vitando, aut prohibendis malis agitur, cautionis eſt, ac prudentiæ; ſed nec tunc quidem ex levibus indiciis judicare, vel ſuſpicari licet proximum eſſe malum. 489
CAPUT VI. De duobus poſtremis Decalogi præceptis. 490
ART I. Utriuſque præcepti diſcimen, & neceſſitas explicatur. 491
ART. II. Quæ concupiſcentia his præceptis vetita ſit. 494
ART. III. Regulæ morales circa duo poſtrema præcepta. 498
Regula I. Lethalis peccati reus eſt, quiſquis pravæ, turpique concupiſcentiæ carnis præbet aſſenſum, vel ejus motibus non repugnat ibid.
Regula II. Uxorem alterius concupiſcere lethale peccatum eſt, quamvis non concupiſcatur, ut adulterio polluenda, ſed ut matrimonio legitimo intercedente fruenda. 499
Regula III. Ejuſdem, imo gravioris peccati rea eſt mulier, quæ alienum virum concupiſcit. 500
Regula IV. Lethalis peccati in nonum præceptum rei ſunt, qui mulieres aliis deſponſatas concupiſcunt, abſtrahunt, abalienant. 501
Regula V. Lethalis peccati reus eſt, qui feminam ad Dei cultum religionemque conſecratam, vel religioſæ veſtis, velique ſuſceptione Chriſto deſtinatam, ſeque agni nuptiis præparantem, in conjugem expetit. ibid.
Regula VI. In decimum Decalogi præceptum graviter peccant, non ſolum qui rem alienam injuſtis, ſed etiam qui permiſſis apud homines rationibus, atque (ut dici ſolet) ſub juris colore conſequi appetunt, ac poſſidere, cum incommodo, vel damno proximi; & qui proprii quæſtus, & lucri cauſa calamitates, vel incommoda aliorum appetunt. 502
Regula VII. Poſtremum Decalogi præceptum omni ex parte non implemus, niſi ardenti ſtudio optemus, id potiſſimum effici, non quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult. 504

LIBER QUINTUS.

DE ORATIONE.

CAPUT I. De oratione in genere. 511
ART. I. Quid, & quotuplex ſit oratio. ibid.
ART II. De neceſſitate orationis. 518
ART. III. De utilitate orationis. 523
ART IV. Quis orandus. 535

INDEX.

ART. V. De variis orandi gradibus, ſive modis. 536
ART. VI. Quæ in oratione a Deo petenda ſint. 544
ART. VII. Pro quibus orandum ſit. 551
ART. VIII. Pro quibus Deo agendæ ſint gratiæ. 556
Ad gratiarum actionem pertinet prima pars Angelicæ Salutationis 559
Angelicæ Salutationis explicatio. ibid.
ART. IX. Qua ratione ſit orandum, ſive quæ conditiones orationis. 566
Orandum in ſpiritu, & veritate. ibid.
Humilitas orationis. 568
Attentio in oratione neceſſaria. 569
Perſeverantia in oratione. 572
Locus orationis. 577
Reverentia Templis debita. 578
Extra Sacrarium orare debent Laici, præſertim vero mulieres. 582
Honeſto ſemper, ac modeſto corporis ſitu orandum. 581
CAPUT II. De oratione Dominica. 584
ART. I. De excellentia orationis Dominicæ. ibid.
ART. II. Quot Petitiones oratio Dominica complectatur. 589
ART. III. Orationis Dominicæ proœmium explicatur: Pater noſter qui es in cœlis. 591
ART. IV. Orationis Dominicæ Petitio altera explicatur: Sanctificetur nomen tuum. 602
ART. V. Orationis Dominicæ Petitio altera explicatur: Adveniat regnum tuum. 607
ART. VI. Orationis Dominicæ Petitio tertia explicatur: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. 618
ART. VII. Orationis Dominicæ Petitio quarta explicatur: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 633
ART. VIII. Orationis Dominicæ Petitio quinta explicatur: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 644
ART. IX. Orationis Dominicæ Petitio ſexta explicatur; Et ne nos inducas in tentationem. 669
ART. X. Orationis Dominicæ Petitio ſeptima explicatur: Sed libera nos a malo. 690
ART. XI. Explicatur ultima vox orationis Dominicæ: Amen. 697

Finis Tomi noni.